C. 91. 8

M

CHABRONI
PHILOSOPHIA
QVATVOR TOMIS
comprehensa.

PHILOSOPHIA
PER ARGVMENTA BREVITER EXPLICATA,
AD VSVM, ET EXEMPLVM huius ſcientiæ ſtudio vacantium.

Auctore P. GVILLELMO CHABRONO, *è Societate* IESV.

TOMVS PRIMVS.

LOGICA, ET METAPHYSICA.

Editio noua emendatior.



PARISIIS,
Apud GASPARVM METVRAS, patrem & filium, viâ Iacobæâ, ſub ſigno SS. Trinitatis, prope Mathurinenſes.

M. DC. LXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

SANCTISSIMÆ

VIRGINI,

ET

INCARNATÆ SAPIENTIÆ

PARENTI.

BREVIS *huius per argumenta explicationis Philosophiæ, debitam tibi esse, sanctissima Virgo, dedicationem, eo mihi faciliùs persuaserunt tam multa illa, quæ in me contulisti beneficia; quòd tametsi tanti non*

essent pretij, & numero paucio-ra: illud vnum eam tibi plenissimo iure vendicaret, quo valetudinem vix satis firmam ad audiendam Philosophiam, & altiores discipli-nas, confirmari adeo tuis ad Filiũ precibus obtinuisti, vt ad imbuen-dos postmodum sapientiæ studio di-scipulorum animos vires non mo-dò mihi deesse non sis passa, sed etiam post à te excitatum in me stu-diũ conferendi aliquid ad minuen-das difficultates illas multas, & adeò graues in acquisitione Philo-sophiæ occurrere solitas, susceptum id perficiendi te auxiliante consi-lium singulari fauore semper fo-ueris, eóque promoueris, vt viris

omni tum doctrinæ, tum ſapientiæ laude cumulatiſsimis probatum ſit magnopere publici iuris fieri debere.

Quorum quidem monitis morem gerere cùm primùm ſtatui, tum non alijs, quàm ſub tuis auſpicijs aſpicere lucem debere, tam mihi oppidò certum fuit, quàm æquiſsimum ſemper viſum eſt præmonendos eos omnes, qui ex hac breui Philoſophiæ explicatione cõmodi aliquid ſunt percepturi, id, quidquid illud erit, à te deriuatum eſſe pro certo ſtatuendum, tibíque ab ipſis eas referendas gratias, quibus ego reddendis cùm impar omnino ſim, tibi ab omnibus re-

præsentari, quàm poterunt maximas, tam accenso opto studio, quàm te præcipuo cultu colere profitebor me teneri semper, summisque conatibus contendere, vt dici, & esse merear æternum.

Tuus humillimus, & addictissimus cliens
G. CHABRONVS.

BENEVOLO LECTORI.

QVAM insolitus est ornatus ille, quo hîc se tibi sistit Philosophia, Amice Lector, tam vtilem eum fore ea, quæ sequitur tibi facilè suadebit ratio. Certum est difficultates tres, aut quatuor non leues huius scientiæ candidatos initio præsertim, ab eius studio non parum deterrere; atque etiam nonnullos omnino auocare. Prima est in percipienda, & bene penetranda conclusionum, quas tueri debent veritate. Secunda in explicandis syllogisticè, & per argumenta illis rationum momentis, quibus eis Doctores suas confirmatas tradunt assertiones. Tertia in proferendis

appositè distinctionibus tradendisque *in forma*, & vt aiunt *in terminis* responsionibus, cùm nodi oppugnantium ipsorum doctrinam sunt dissoluendi. Quarta denique, cùm impugnanda habent contrarium sentientium placita in formandis syllogismis, illísque ita producendis, vt nec mutari medium, non probari negatum, peti principium, aut simile quidpiam exprobare eis possit respondens, gloriaríque prima sua distinctione illis imposuisse silentium, támque facilè eos omni planè vrgendi voluntate exuisse, ac si argumento integrè esset satisfactum, & omnis omnino exhausta difficultas. His incommodis sanè grauibus, qui obuiam ierit vtiliter admodum operam suam locasse, plurimúmque Philosophiæ alumnis profuisse inficiaturum neminem

existimo. Illud autem ipsum ab hac præstari Philosophiæ explicatione eos facilè concessuros non dubito, qui animaduerterint in ea conclusiones syllogisticè ad prima vsque ferè semper deductas principia. Fundamenta, quibus nituntur pedetentim, & quasi per gradus, vt faciliùs capiantur declarata. Responsiones, & distinctiones in loca sua digestas omnes, iisque terminis, quos appellant, & propositionibus, in quas cadunt adiunctas opportunè. Ac denique postquam quæ contra opinionem, quæ visa est probabilior congeruntur dissimulata non sunt; ex omnibus huiusmodi facta sequela, & concatenatione, vt iam non plura media, sed vnicum duntaxat explicari videatur, solutionem illis subiunctam esse non obscuram; atque etiam sæpè breuem

totius, aut certé præcipuæ, quæ fuit proposita, difficultatis declarationem. Quod quidem non tantùm huius facultatis tyronibus, gratum futurum mihi persuadeo, sed ijs etiam, qui dimissis à longo tempore his studijs subsidio egent aliquo, paratu non difficili, quo in disputationibus publicis fidem facere possint non dubiam eorum se, quæ olim apprimè sciuere, recentem etiamnum conseruare memoriam.

Accedit ad hæc commodum aliud haud contemnendum, quòd scilicet, cùm Philosophiæ notitia in discipulis, ea præsertim, qua iam ferè omnes huic disciplinæ traduntur ætate lactea adhuc tota, opus sit memoriæ potiùs, quàm iudicij, ea sit nostra hæc huius scientiæ explicatio, quam memoriter æquè, ac Ciceronem, aut

etiam faciliùs addiscere possint, ac retinere, donec maturiorem adepti rationis vsũ, quæ memoria sibi compararunt, iudicio valeant conseruare longè omni depulso periculo, ne vllo vnquam tempore in eorum mentibus consenescant.

Cæterùm, Amice Lector, tria, aut quatuor, vt boni consulas velim. Primum est, cùm ferè omnes aliæ scientiæ tot abundent medijs, non vnius, sed multorum industria adinuentis, quibus faciliùs comparari possint: ne Philosophia, cui propter grauiores difficultates in ipsius acquisitione superandas plura debebantur, iure queri possit se nullum habere; me in isto ipsi concinnando elaborasse. Secundum, probationes aliquas, vt à tyronibus faciliùs capiantur, minutiùs aliquando esse deductas, in iisque deducendis, syllogismos ca-

tegoricos, qui clariores, & minùs difficiles sunt hypotheticis ferè semper adhibitos. Tertium, breuitatis causa paucos laudatos esse auctores. Quartum, quæ apud ipsos habentur difficilia minimè esse prætermissa, sed ea, qua per occupationes licuit diligentia, & perspicuitate tibi hîc ob oculos subiecta. Quæ si tu grata habueris, vtilitatisque nonnihil tibi afferre fueris expertus, quem mihi mei huius laboris proposueram, finem assecutum me ne dubites: sin autem ingrata, & parum vtilia iudicaueris, non aliud me dolere certò tibi persuadeas velim, quàm propensam eam, quę mihi hoc opus suasit tibi benefaciendi voluntatem effectu suo caruisse. Vale.

INDEX DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM,

quæ in hoc primo Tomo continentur.

DISPVTATIO PROOEMIALIS,

TRACTATVS I.

De his quæ pertinent ad primam mentis operationum.

DISPVTATIO I.

DISPVTATIO II.

De Vniuersalibus in particulari.

DISPVTATIO III.

De Antepredicamentis.

DISPVTATIO IV.

De Prædicamento Substantiæ

DISPVTATIO V.

De Prædicamento Relationis.

TRACTATVS II.

De secunda mentis operatione.

DISPVTATIO I.

De partibus enuntiationis.

DISPVTATIO II.

De quibusdam Enuntiationis affectionibus.

TRACTATVS III.

De tertia mentis operatione.

DISPVTATIO I.

De syllogismo, & eius partibus.

DISPVTATIO II.

De Demonstratione.

DISPVTATIO III.

De Scientia.

TRACTATVS VNICVS METAPHYSICVS.

DISPVTATIO I.

DISPVTATIO II.

DISPVTATIO. III.

DISPVTATIO IV. & VLT.

De Accidente.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE : A nos amez & feaux Conseillers tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes

ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, ou leurs Lieutenans, & à tous autres nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre bien-aimé GASPAR METVRAS Marchand Libraire en noſtre bonne ville de Paris, Nous a fait remonſtrer que cy-deuant il auoit fait imprimer vn Liure intitulé, *Philoſophia per argumẽta authore Guillelmo Chabrono Soc. Ieſu*: Lequel liure il deſireroit faire r'imprimer, & duquel Nous luy auons cy-deuant concedé & accordé nos Lettres de Priuilege, deſquelles le temps eſt expiré, & que l'ayant fait corriger & augmenter de nouueau, il craint, qu'apres l'auoir fait imprimer, d'autres perſonnes ne le vouluſſent auſſi faire imprimer ſur cette impreſſion, ou ſur l'ancienne; ce qui luy tourneroit à grand preiudice à cauſe des grands frais qu'il auroit faits à ce ſujet: Et eſtant encores chargé de pluſieurs volumes ſeparez de la premiere impreſſion, requerant humblement nos Lettres ſur ce neceſſaires. A CES CAVSES, deſirant bien & fauorablement traitter ledit Expoſant, à ce qu'il

ne soit frustré de son labeur, Nous luy auons permis & octroyé, permettons & octroyõs par ces presẽtes, de r'imprimer ou faire r'imprimer leditliure *Philosophia per argumenta authore Guillelmo Chabrono Soc. Iesu,* en telle grandeur, marge, caractere, tels & tant de volumes que bon luy semblera, durant le temps & espace de sept années consecutiues, à cõmencer du iour qu'il sera acheué d'imprimer; pendãt lequel temps Nous faisons tres-expresses inhibitions & defenses à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, ou faire imprimer ledit Liure: Et parce que Nous auons sçeu que quelques Libraires ou Imprimeurs de nostre Royaume auroiẽt dessein d'encourir sur le trauail de l'Exposant, Nous faisons par ces presẽtes tres-expresses inhibitiõs & defenses à eux & à tous autres, d'imprimer ou faire imprimer ledit *Philosophia Chabroni,* contrefaire, ny abreger, tirer aucune chose, ny emprũter le Titre dudit Liure, vendre & distribuer par toutes les Terres & Seigneuries de Nostre obeïssance, ny mesme le faire imprimer sur celle qui a esté cy-deuant impri-

mée en quelque sorte & maniere que ce soit durant ledit temps, sans le consentement & permission dudit Exposant, ou de ceux qui aurōt charge de luy, à peine de deux mille liures d'amande, applicable vn tiers à Nous, l'autre tiers à l'Hostel-Dieu de nostre bōne Ville de Paris, & le troisiéme audit Exposant, confiscation des Exemplaires, & de tous despēs, dōmages & interests : A la charge qu'il en sera mis deux exemplaires en nostre Bibliotheque publique, & vn en la Bibliotheque seruante à Nostre Personne, establie en nostre Chasteau du Louure, vulgairement dit le Cabinet de nos Liures, dont Nous auons commis la garde à nostre Cōseiller le sieur de Chaulmōt, & vn en celle de Nostre tres-cher & féal le sieur Seguier Cheualier Chancelier de France, & qu'il sera registré sur le Liure de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de Nôtre bōne ville de Paris auant que de l'exposer en vente, à peine de nullité des presentes. SI VOUS MANDONS que du cōtenu en cesd. presētes, vous fassiez ioüir plainemēt & paisiblemēt ledit Exposāt, cessant

& faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire. Voulons qu'au vidimus des preſentes qui ſera adjouſté audit liure, foy ſoit ajouſtée comme à l'original. Mandons en outre & commandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des preſentes tous exploits neceſſaires. CAR tel eſt noſtre plaiſir, nonobſtant clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires. Donné à Paris le vingt-ſixiéme iour d'Avril l'an de grace mil ſix cens ſoixante, & de noſtre regne le dix-ſeptiéme. Par le Roy en ſon Conſeil.

Signé, GVITTONNEAV.

Regiſtré ſur le Liure de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs ſuiuant l'Arreſt du Parlement, du 8. Avril 1653. le 4. May 1660.

IOSSE SYNDIC.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGO CLAVDIVS DELINGENDES, Præpositus Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Franciæ, iuxta Priuilegium eidem Societati à Christianissimis Regibus Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. concessum; quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant; Concedo, vt *Philosophia per argumenta breuiter explicata*, P. GVILLELMI CHABRON, ex eadem Societate, iudicio trium eiusdem Societatis Theologorum approbata, typis mandetur à Gaspardo Meturas Bibliopola Parisiensi Datum Parisiis, die 10. Octobris 1650.

CLAVDIVS DELINGENDES.

IN

TRACTATVS LOGICOS

PRÆFATIO.

LOGICAM totam diuidam in 3. Tractatus; primus explicabit ea, quæ pertinent ad primam mentis operationem; secundus complectetur ea, quæ agitari solent de secunda; & tertius tandem de iis aget, quæ propria sunt tertiæ: vnusquisque autem ex his tractatibus constabit pluribus, aut paucioribus disputationibus, & disputationes sectionibus pro ratione subiectæ materiæ, cuius dignitas, aut necessitas his omnibus modum ponet.

Ceterùm quia vetus est institutum Authorum, in vestibulo cuiusque scientiæ de eius natura disputare, eorum ego ve-

ſtigjis inſiſtés, tribus his tractatibus præponam ſequentem diſputationem.

DISPVTATIO PROOEMIALIS.

De Natura Logicæ.

CVm innoteſcere non poſſit clariùs rei cuiuſuis natura, quàm declaratione generis ipſius, & differentię, corúmque quę iſtorum ſunt conſectaria, quinque huius diſputationis ſectiones totę erunt in Dialecticę genere, differentia, paucíſque alijs ad hęc conſequentibus breuiter explanandis.

SECTIO PRIMA.

An Logica ſit ſcientia.

QVAM indubitatus eſt omnium Authorum cõſenſus, cognitiones illas multas, ex quibus Logica conſtat, non eſſe omnes ſcientificas, tam certum eſt, & apertum inter eoſdem diſſidium, An inter ſcientias annumeranda ſit? Non annumerandam contendunt Pereira lib. 1. Philoſophię, & aliqui antiquiores apud Conimbricenſes quęſt. 3. proœmij art. 4. Mendoza verò, & Arriaga, ille diſp. 2. ſect. 5. hic diſp. 3. ſect. 2.

& alij quàplurimi apud ipsos in contraria prorsus sunt sententia. Horum fundamentum explicabit probatio Conclusionis; & obiectio postmodum rationes oppositum sentientium.

VNICA CONCLVSIO
Logica est scientia.

ILLA facultas est scientia, in qua sunt multæ cognitiones certæ, euidentes partæ per demonstrationem; atqui in Logica sunt multæ cognitiones certæ; euidentes partę per demonstrationem: ergo Logica est scientia.

Maior pr. Istæ cognitiones sunt in Logica. Definitio constare debet genere, & differentiâ. Demonstratio gignit scientiā. Syllogismus in Barbara rectè concludit, &c. atqui istæ cognitiones sunt certæ, euidentes, & partæ per demonstrationem: ergo in Logica sunt multæ cognitiones certæ, euidentes partæ per demonstrationem.

Minor pr. Conclusiones syllogismi demonstratiui sunt cognitiones certæ, euidentes, partæ per demonstrationem; atqui cognitiones allatæ sunt conclusiones syllogismi demonstratiui: ergo istæ cognitiones sunt certæ, euidentes, & partę per demonstrationem.

Minor pr. de prima harum cognitionum, Definitio constare debet genere, & differentia.

Iste syllogismus. Oratio explicans naturam rei constare debet genere, & differentia; sed definitio est oratio explicans naturam rei: ergo definitio constare debet genere, & differentia, est demonstratiuus. Atqui definitio constare debet

genere,& differentia est eius conclusio: ergo definitio constare debet genere, & differentia est conclusio syllogismi demonstratiui.

Probatio de aliis cognitionibus eodem modo formanda est.

Obijcies Instrumentum scientiarum non est scientia; atqui Logica est instrumentum scientiarum: ergo Logica non est scientia.

Maior pr. Instrumentum non est eiusdem rationis cum eo, respectu cuius dicitur instrumentum: ergo instrumentum scientiarum non est scientia.

Solutio: *Instrumentum non est eiusdem rationis cum eo, respectu cuius dicitur instrumentum,* Omne, Concedo. *de multis enim hoc docet experientia aliquod.* Nego. *malleo enim fieri malleum, nemo est qui nesciat.*

Contrà: Aliquod instrumentum ex concessis non est eiusdem rationis cum eo, respectu cuius dicitur instrumentum; atqui de nullo hoc potiori iure dici debet; quàm de instrumento scientiarum: ergo instrumentum scientiarum non est eiusdem rationis cum eo, respectu cuius dicitur instrumentum.

Minor pr. Logica ex Aristotelis mẽte nullo modo est scientia: ergo de nullo hoc potiori iure dici debet, quàm de instrumento scientiarum.

Antecedens pr. Logica est modus sciendi; atqui ex Aristotelis mente modus sciendi non est scientia: ergo ex Aristotelis mente Logica non est scientia.

Minor pr. Ex illius mente modus sciendi non est scientia, qui dicit absurdũ esse quærere sciẽ-

tiam, cùm quæritur modus ſciendi; atqui Ariſtoteles aſſerit 2. Metaphyſicæ abſurdum eſſe quærere ſimul ſcientiam, & modum ſciendi: ergo ex Ariſtotelis mente modus ſciendi non eſt ſcientia.

Solutio: *Ex illius mente modus ſciendi non eſt ſcientia, qui dicit abſurdum eſſe quærere ſcientiam quamcunque, cùm quæritur modus ſciendi,* Concedo. *ſcientiam tantùm diſtinctam à Logica,* Nego. *Atqui Ariſtoteles aſſerit abſurdum eſſe quærere ſimul ſcientiam quamcumque, & modum ſciendi,* Nego. *acquirere ſcientiam diſtinctam à Logicâ, & ſimul modum ſciendi,* Concedo. *quia ſcilicet Logica cùm ſit modus ſciendi, & doceat ſcire, præmitti debet, & addiſci ante alias ſcientias.*

Contrà. Quæcumque ſcientia quæratur, abſurdum eſt quærere ſimul modum ſciendi: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Abſurdum eſt quærere ſcientiam, & ſimul id, per quod debet acquiri; atqui omnis ſcientia acquiritur per modũ ſciendi: ergo quæcumque ſcientia quæratur, abſurdum eſt quærere ſimul modum ſciendi.

Solutio: *Atqui omnis ſcientia diſtincta à Logica, acquiritur per modum ſciendi,* Concedo. *Logica ſiquidem eſt neceſſaria, ad alias ſcientias perfectè comparandas, non diſtincta à Logica,* Nego. *Ad hanc enim ſufficit vis natiua intellectus, alioqui vitari vix poſſet proceſſus in infinitum, ſiquidem ſi ad hunc modum ſciendi requiritur alius modus ſciendi, idem dicendum eſſet de iſto: idem de eo, qui requireretur ad iſtum, & ſic ſine fine.*

Contrà. In Logica nulla eſt cognitio ſcientifica

ergo omnis planè ſcientia acquiritur per modum ſciendi.

Antecedens pr. De nullo alio potiori iure dici debet eſſe cognitio ſcientifica in Logica, quàm de demonſtratione in communi; atqui de demonſtratione in communi, nulla eſt cognitio ſcientifica in Logica: ergo nulla eſt cognitio ſcientifica in Logica.

Minor pr. Omnis ſcientia haberi debet per demonſtrationem; atqui ſcientia de demonſtratione in communi haberi non poteſt per demonſtrationem: ergo nulla eſt cognitio ſcientifica in Logica de demonſtratione in communi.

Minor pr. Demonſtratio illa, per quam dicitur haberi poſſe, debet eſſe vel demonſtratio in communi, vel in particulari; atqui haberi non poteſt neque per demonſtrationem in communi, neque per demonſtrationem in particulari: ergo ſcientia de demonſtratione in communi haberi non poteſt per demonſtrationem.

Reſpondeo *per aliquam particularem.*

Contrà. Demonſtratio in cõmuni, ſunt omnes demonſtrationes particulares; atqui haberi non poteſt ſciẽtia omniũ demonſtrationum in particulari, per aliquam demonſtrationem particularem: ergo nec de demonſtratione in communi.

Minor pr. Scientia omnium demonſtrationum in particulari, eſt ſcientia vniuſcuiuſque demonſtrationis particularis; atqui haberi non poteſt ſcientia vniuſcuiuſque demonſtrationis particularis, per aliquam demonſtrationem particularem: ergo nec omnium demonſtrationum in particulari.

Suppono illam aliquam demonſtrationem particulare m vocari A.

Demonſtratio A eſt vna demonſtratio particularis; atqui haberi non poteſt ſcientia ipſius per ipſam: ergo nec vniuſcuiuſque demonſtrationis particularis, per aliquam demonſtrationem particularem.

Minor pr. Nihil eſt ſcientia ſui ipſius; atqui illud, cuius habetur ſcientia per ſeipſum, eſt ſcientia ſui ipſius: ergo haberi non poteſt ſcientia illius demonſtrationis A per ſeipſam.

Solutio: *Nihil eſt ſcientia ſui ipſius diſtinctè cogniti*, Concedo. *confuſè cogniti*, Nego. *atqui illa demonſtratio cuius habetur ſcientia per ſeipſam, eſt ſcientia ſui ipſius diſtinctè cognita*, Nego. *confuſè cognita*, Concedo. *Senſus reſponſionis eſt demonſtrationem particularem de demonſtratione in communi, eo modo ſe habere circa ſeipſam, quo modo ſe habet volitio particularis, amans volitionem in communi, cognitio ſingularis repræſentans cognitionem in communi, & ſcientia hac numero repræſentans ſcientiam in communi, & ſicut in his non reputatur abſurdum, quod ſint volitio, cognitio, & ſcientia ſui ipſorum confuſè cognitorum, hoc eſt non ipſorum ſeorſim ſumptorum, ſed ſimul cum aliis, & eatenus habeant ad ſeipſa relationem, ordinem, tendentiam, &c. ita nec ob ſimilem rationem, negandum eſſe dari poſſe in Logica, ſcientiam demonſtrationis in communi, propterea quod debeat eſſe ſcientia demonſtrationis particularis, per quàm habetur, atque ita ſui ipſius.*

Contrà. Demonſtratio illa, & ſcientia ſui ip-

ſius confusè cognitæ, debet neceſſariò cũ aliis, quæ admittuntur in Logica, facere numerum maiorem numero opinionum, quæ ſunt in eadem, vel minorem; atqui neutrum dici poteſt: ergo admittenda non eſt in Logica demonſtratio illa, & ſcientia ſui ipſius confusè cognitæ.

Reſpondeo *eſſe numerum minorem ſcientiarum, quàm opinionum.*

Contrà. Illa facultas, in qua eſt minor numerus ſcientiarum, quàm opinionum, non debet dici potiùs ſcientia, quàm opinio; atqui in Logica ex conceſſis eſt minor numerus ſcientiarum, quàm opinionum: ergo Logica non debet dici potiùs ſcientia, quàm opinio.

Minor pr. Facultati, in qua ſunt plures actus opinionis, aut fidei humanæ, quàm ſcientiæ, nullum eſt fundamentum tribuendi potiùs denominationem ſcientiæ, quàm opinionis: ergo facultas, in qua eſt minor numerus ſcientiarum, quàm opinionum, non debet dici potiùs ſcientia, quàm opinio.

Minor pr. Fundamentum illud non poteſt dici aliud à beneplacito Philoſophorum; atqui non dici poteſt hoc eſſe beneplacitum Philoſophorum: ergo nullum eſt fundamentum tribuendi illi hanc potiùs denominationem, quàm aliam.

Minor pr. Beneplacitum Philoſophorum non eſt imprudens, & irrationabile; atqui beneplacitum tribuens facultati, in qua eſt minor numerus ſcientiarum, quàm opinionum, denominationem ſcientiæ, eſt imprudens, & irrationabile: ergo dici non poteſt hoc eſſe beneplacitum Philoſophorum.

Minor pr. Beneplacitum illud eſt imprudens, & irrationabile, quod in re multa cōplectēte ſumit denominationē à minori ipſius parte; atqui beneplacitum tribuens facultati, in qua eſt minor numerus ſcientiarum, quàm opinionum, denominationē ſcientiæ, ſumit illam à minori ipſius parte: ergo beneplacitum tribuens facultati, in qua eſt minor numerus ſcientiarum, quàm opinionum, denominationem ſcientiæ potiùs, quàm opinionis, eſt imprudens, & irrationabile.

Solutio : *Beneplacitum illud eſt imprudens & irrationabile, quod in re multa complectente, ſumit denominationem à minori ipſius parte, ſi hæc non fuerit aliis nobilior*, Concedo. *ſi fuerit nobilior*, Nego. *atqui beneplacitum tribuens facultati, in qua eſt minor numerus ſcientiarum, quàm opinionum denominationem ſcientiæ, ſumit illam à minori ipſius parte, & hæc non eſt aliis nobilior*, Nego. *& eſt aliis nobilior*, Concedo.

Contrà : Beneplacitum Philoſophorum, vt ſit rationabile debet eſſe conſtans; atqui ſumens denominationē ſciētiæ, in Logica à minori ipſius parte, quia nobilior eſt non eſt conſtans : ergo beneplacitum ſumens denominationem à minori parte, quia nobilior eſt non eſt rationabile.

Minor pr. Beneplacitum ſumens denominationem à minori parte, quia nobilior eſt, non eſt conſtans quod illam non ſumit ſemper ab huiuſmodi parte; atqui beneplacitum Philoſophorum non ſemper ſumit denominationem à minori parte, imò nec æquali licèt nobilior ſit: ergo beneplacitum Philoſophorum ſumens denominationem à minori parte, quia nobilior eſt non eſt conſtans.

Solutio: *Beneplacitum sumens denominationem à minori parte nobiliori non est constans, quod non semper illam sumit ab huiusmodi parte, si nulla sit noua ratio faciendi contrarium,* Concedo. *si sit,* Nego. *atqui beneplacitum Philosophorum, non sumit semper denominationem à minori parte, imò nec æquali, licèt nobilior sit, si offerat se noua ratio faciendi contrarium,* Concedo. *si nulla talis occurat,* Nego.

Contrà. Cùm agitur in Physica de denominatione corporei, aut spiritalis respectu hominis, non est vlla noua ratio, illam non sumendi à nobiliori parte non iam minori, sed ęquali; atqui beneplacitum Philosophorum non sumit illam à nobiliori parte ęquali: ergo beneplacitum Philosophorum non sumit illam semper à nobiliori parte minori, aut ęquali.

Minor pr. Nobilior pars est anima; atqui ab ea non sumitur denominatio spiritalis: ergo beneplacitum Philosophorum non semper sumit denominationem à nobiliori parte minori.

Solutio: *Neganda maior præcedentis argumenti, ratio autem non desumendi illam ab anima, quæ est nobilior pars, est quia denominatio spiritalis quæ ipsius videtur propria, tribui non potest toti, quod cum altera comparte constituit, cùm enim significet nullam habens dependentiam à re impenetrabili, & homo ratione corporis habeat maximam, dici non potest verè spiritalis, & consequenter beneplacitum Philosophorum, non sumens denominationem in homine à nobiliori parte, dici non debet carere noua ratione faciendi contrarium, nec propterea existimari non esse constans.*

Ex dictis inferes 1. facilem modum probandi, (ne idem cogamur sępius repetere) Physicam, Metaphysicam, & Moralem esse proprijssimè scientias, cùm enim ad veram scientiam nihil aliud desideretur, quàm vt inter cognitiones, ex quibus conflatur, sint non paucę, certę, euidentes, & partæ per demonstrationem, illúdque de allatis facultatibus negari queat, vt in decursu ostendemus, concedi etiã necesse est eas esse verè scientias.

Inferes secundò, licèt impositio nominum primigeniorum fuerit merè arbitraria, deriuatorum, qualis est, quę nunc fit, siue à Philosophis, siue ab alijs, vt bona sit, niti debere semper prudenti aliqua ratione, & fundamento.

SECTIO II.

Qualis scientia sit Logica.

DVPLEX hac in materia potest esse difficultas: vna est de voce, scilicet, an ex suppositione quòd in Logica sint aliquę cognitiones speculatiuæ, & aliæ practicæ ipsa dicenda sit tota speculatiua, aut tota practica, aut speculatiuo-practica? Secunda de re, an omnes eius cognitiones sint practicæ, & nulla planè speculatiua. Huic, quam solam examine dignam censeo affirmatiuè respondet Arriaga, disp. 3. sect. 2. negatiuè verò Mendoza, disp. 2. sect. 3. Rationes vtriusque proponet, huius quidem explicatio conclusionis, illius verò, quę contra illam obijciuntur.

VNICA CONCLVSIO:

Logica non est merè practica.

ILLA ſcientia non eſt merè practica, cuius aliquæ cognitiones ſunt ſpeculatiuæ; atqui aliquæ cognitiones Logicæ ſunt ſpeculatiuæ: ergo Logica non eſt merè practica.

Minor pr. Illæ cognitiones ſunt ſpeculatiuæ, vi quarum non eſt factibile earum obiectum; atqui vi aliquarum cognitionum Logicæ, non eſt factibile earum obiectum: ergo cognitiones aliquæ Logicæ ſunt ſpeculatiuæ.

Minor pr. Cognitiones Logicæ non ſunt factibiles vi ſui ipſarum; atqui cognitiones aliquæ Logicæ ſunt obiectum ſui ipſarum: ergo vi aliquarum cognitionum Logicæ, non eſt factibile earum obiectum.

Minor pr. Scientia particularis de ſcientia in communi, demonſtratio particularis de demonſtratione in communi, & definitio particularis de definitione in communi ſunt cognitiones Logicæ; atqui ſunt obiectum ſui ipſarum: ergo cognitiones aliquæ Logicæ ſunt obiectum ſui ipſarum.

Reſpondere *poſſet Arriaga ad minorem præcedentis argumenti, atqui cognitiones aliquæ Logicæ ſunt ſui ipſarum obiectum adæquatè ſumptum*, Nego. *inadæquatè ſumptum*, Concedo. *ergo vi aliquarum cognitionum Logicæ, non eſt factibile earum obiectum adæquatè ſumptum*, Concedo. *inadæquatè ſumptum*, Nego.

Contrà. Cognitiones, vi quarum non eſt fa-

ctibile earum obiectum, adæquatè sumptum, nō sunt adæquatè practicæ, sed partim speculatiuæ; atqui vi aliquarum cognitionum Logicæ, non est factibile earum obiectum adæquatè sumptum ex concessis: ergo cognitiones aliquæ Logicæ non sunt adæquatè practicæ, sed partim speculatiuæ.

Minor pr. Cognitiones partim practicæ, & partim speculatiuæ debent esse eæ, quæ habent obiectum omnino factibile vi ipsarum, aut nullo modo, & nulla ex parte, aut partim factibile, partim non factibile; atqui quarum obiectum se habet primo, & secundo modo non sunt partim practicæ, & partim speculatiuæ, sed totæ alterum ex illis: ergo cognitiones vi quarum non est factibile earum obiectum; adæquatè sumptum, non sunt totæ practicæ, sed partim speculatiuæ, & consequenter scientia ex illis conflata non est merè practica.

Obijcies. Illa scientia est merè practica, cuius omnes planè cognitiones sunt merè practicæ; atqui omnes planè cognitiones Logicæ sunt merè practicæ: ergo Logica est merè practica.

Minor pr. Illa cognitio est merè practica, cuius obiectum est factibile vi ipsius; atqui obiectum omnium cognitionum Logicæ, est factibile vi ipsarum: ergo omnes planè cognitiones Logicæ sunt merè practicæ.

Minor pr. Obiectum cognitionum Logicæ sunt operationes mentis; atqui operationes mentis sunt factibiles, vi cognitionum Logicæ: ergo obiectum omnium cognitionum Logicæ est factibile vi ipsarum.

Solutio: *Atqui operationes mentis sunt factibiles vi cognitionum Logicæ, omnes*, Nego. *quamplurimæ*, Concedo. *Ergo vi cognitionum Logicæ factibile est ipsarum obiectum omne, seu adæquatè sumptum*, Nego. *magnam partem*; *& inadæquatè sumptum*, Concedo.

Contrà. Operationes mentis sunt apprehensiones, iudicia, & argumentationes; atqui omnes apprehensiones, omnia iudicia, & argumentationes sunt factibiles vi cognitionum Logicæ: ergo omnes operationes mentis sunt factibiles vi Logicæ.

Minor pr. Illud est factibile vi cognitionum Logicæ quod ipsæ docent facere; atqui ipsæ docent, & præscribunt quomodo, & quando faciendæ sint apprehensiones omnes, omnia iudicia, & argumentationes: ergo omnes apprehensiones, omnia iudicia, & argumentationes sunt factibiles vi cognitionum Logicæ.

Solutio: *Illud est factibile vi cognitionum Logicæ, quod ipsæ docent facere nihil illius præsupponendo factum iam, & existens*, Concedo *præsupponendo aliquid illius factum iam, & existens*, Nego. *respectu enim illius, non possunt dici factiua, seu practicæ; atqui cognitiones Logicæ docent quomodo, & quando faciendæ sint omnes apprehensiones, iudicia omnia, & argumentationes, & nullam illarum præsupponunt factam iam, & existentem*, Nego. *& præsupponunt aliquas illarum factas iam, & existentes*, Concedo. *illas scilicet, quæ tradunt huiusmodi doctrinam, quæ sine dubio respectu sui ipsarum, non magis possunt dici factibiles, quàm alia res effectus sui*

ipsarum, & causari à se ipsis.

Contrà. Cognitiones Logicę non supponunt factum iam, & existens, quod docent quomodo sit faciendum, & quando; atqui cognitiones Logicę docent quomodo, & quando sint faciendę omnes apprehensiones, omnia iudicia, & argumentationes: ergo cognitiones Logicę non supponunt vllas apprehensiones, iudicia, & argumentationes factas.

Solutio: *Cognitiones Logicæ non supponunt factum iam, & id, de quo in particulari clarè, & distinctè repræsentato docent quomodo, & quando sit faciendum,* Concedo. *de quo tantùm in communi, & confusè repræsentato docent quomodo, & quando sit faciendum,* Nego. *hoc enim nihil aliud dicit, quàm idem esse obiectum sui ipsius confusè, quod negari non potest de apprehensione repræsentante omnes apprehensiones, seu apprehensionem in communi, de iudicio similiter, & argumentatione represæntantibus omnia iudicia, & argumentationes; atqui cognitiones Logicæ docent quomodo, & quando facienda sint omnes apprehensiones, &c. seorsim sumpta, & in particulari distinctè eas repræsentando,* Nego. *in communi, & confusè eas repræsentando,* Concedo. *Sensus responsionis est, cognitiones Logicæ non supponere non factum, & non existens id, de quo tantùm in communi docent, quomodo sit faciendum, cùm enim huiusmodi tradant doctrinam respectu sui, etiam cùm sunt supponerent se non esse, quod implicat, Quare satis est, vt supponant non factum, quod clarè, & distinctè docent, quomodo sit faciendum; quod de ipsismet dici non potest,*

siquidem non possunt seipsas clarè & distinctè repræsentare.

Contrà. Cognitiones Logicæ non supponunt factum iam, & existens ex concessis, de quo clarè, & distinctè repræsentato docent, quomodo sit faciendum, & quando; atqui cognitiones Logicæ docent de seipsis clarè, & distinctè repræsentatis quomodo sint faciendæ, & quando: ergo cognitiones Logicæ non supponunt seipsas factas iam, & existentes.

Minor pr. Definitio constare debet genere, & differentia, est cognitio Logica; atqui illa docet de seipsa clarè repræsentata, quomodo sit facienda: ergo cognitiones Logicæ docent de seipsis, quomodo sint faciendæ.

Minor pr. Docet de omni definitione quomodo sit facienda; atqui ipsa est definitio: ergo docet de se ipsa quomodo sit facienda.

Solutio: *Docet de omni definitione vnamquamque seorsim, & distinctè repræsentando, quomodo sit facienda*, Nego. *confusè, & indistinctè omnes repræsentando,* Concedo. *& concessa minori: ergo docet de seipsa clarè repræsentata, quomodo sit facienda,* Nego. *confusè repræsentata,* Concedo.

Ex dictis inferes primò nihil aliud requiri ad cognitionem practicam, quàm vt eius obiectum sit factibile vi ipsius, hoc est ex eius directione.

Secundò, cognitionem, cuius obiectum non est totum factibile vi ipsius, non esse etiam totam practicam, sed partim speculatiuam.

Tertiò, illud non esse factibile vi cognitionis, quod præsupponitur ab illâ factum.

SECTIO III.

Quodnam sit obiectum Logicæ.

COMMVNIS est quidem iam sensus Authorum fere omnium, operationes mentis esse obiectum Logicæ: non leuis tamen est inter eos disceptatio, an de omnibus, & de solis hoc verè dici possit. Aliqui enim idem tribui volunt enti rationis, & Mendoza disp. 5. sect. 2. id negat de prima illarum, & istius sententia minùs probabilis videtur Arriagæ, disp. 2. sect. 2. & 3. Eius fundamentum declarabit cōclusio nostra, rationes verò illorum subsequens obiectio.

PRIMA CONCLVSIO:

Tres mentis operationes sunt obiectum formale adæquatum Logicæ.

ILLVD est obiectum formale adæquatum Logicæ, de quo per se primò agit Logica, & quidem tantùm; atqui Logica agit tantùm per se primò, de tribus mentis operationibus: ergo tres mentis operationes sunt obiectum formale adæquatum Logicæ.

Minor pr. Tres mentis operationes sunt apprehensio, iudicium, & discursus, atqui Logica agit tantùm per se primò de apprehensione, iudicio, & discursu: ergo Logica agit tantùm per se primò de tribus mentis operationibus.

Minor pr. Logica agit tantùm per se primò de iis, per quæ bene disserimus, & ratiocinamur; atqui apprehensio, iudicium, & discursus sunt ea, per quæ bene disserimus, & ratiocinamur: ergo Logica agit tantùm per se primò de apprehensione, iudicio, & discursu.

Minor pr. Ea, per quæ bene disserimus, & ratiocinamur sunt illa quæ ratiocinatio necessariò præsupponit, aut agnoscit pro partibus; atqui ratiocinatio præsupponit apprehensionem, & agnoscit pro partibus iudicium, & discursum: ergo apprehensio, iudicium, & discursus sunt ea, per quæ bene disserimus.

Minor supponitur ex libris de anima.

Obijcies. Illud non est obiectum adæquatum Logicæ, de quo Logica aut non agit, aut non complectitur totum de quo agit; atqui Logica non agit de tribus mentis operationibus, & illæ non complectuntur ea omnia, de quibus agit Logica: ergo tres mentis operationes non sunt obiectum adæquatum Logicæ.

Prima pars minoris pr. Logica non agit de eo, de quo agit Physica; atqui Physica agit de tribus mentis operationibus: ergo Logica non agit de tribus mentis operationibus.

Solutio: *Logica non agit de eo, de quo agit Physica, eodem modo*, Concedo. *diuerso*, Nego. *& concessa minori: ergo Logica non agit de tribus mentis operationibus, eodem modo, quo Physica*, Concedo. *diuerso*, Nego. *Diuersitas illa consistit in eo, quod Logica repræsentet illas, vt sunt vtiles ad discurrendum: Physica verò prout sunt qualitates vitales, &c. Certè si vna scientia nullo mo-*

do habere deberet pro obiecto, quod habet alia, nulla planè admittenda esset scientia præter Metaphysicam; hæc enim cùm habeat pro obiecto ens in communi, seu omne ens, nihil relinqueret quod aliis scientiis assignari posset pro obiecto.

Contrà. Logica nullo modo agit de tribus mentis operationibus; ergo non agit de illis diuerso modo, quo Physica.

Antecedens pr. Logica non magis dicenda est agere de vna ex tribus mentis operationibus, quàm de aliis; atqui nullo modo agit de vna ex illis: ergo nullo modo agit de tribus mentis operationibus.

Minor pr. Apprehensio est vna ex tribus mentis operationibus; atqui Logica nullo modo agit de apprehensione: ergo Logica nullo modo agit de tribus mẽtis operationibus.

Minor pr. Logica non agit de operationibus mentis, quas non potest dirigere; atqui dirigere non potest apprehensionem: ergo Logica nullo modo agit de apprehensione.

Solutio: *Logica non agit de operationibus mentis, quas non potest dirigere impediendo, ne fiant proposito obiecto,* Nego. *docendo qua, & quando fieri debeant,* Concedo. *atqui Logica dirigere non potest apprehensionem, impediendo ne fiat proposito obiecto,* Concedo. *docendo qua, & quando fieri debeat,* Nego. *Hoc autem sufficit, vt dicatur illam dirigere, neque enim alio modo dirigit iudicium, quàm dictando; hoc affirmatiuum, v. g. eliciendum est potiùs, quàm negatiuum, & nunc potiùs, quàm alio tempore, aut non iam, sed postea.*

Contrà: Logica dici non potest dirigere apprehensionem dictando quæ,& quando fieri debeat, nisi quatenus est pars iudicij; atqui non est pars iudicij: ergo non dirigit illam docẽdo quę, & quando fieri debeat.

Maior pr Logica non potest dici dirigere apprehensionem,nisi quatenus illã considerat; atqui non considerat illam, nisi quatenus est pars iudicij: ergo Logica dici non potest dirigere apprehensionem dictando quæ, & quando fieri debeat.

Solutio: *Neganda est minor, quia cùm ipsa apprehensio per se, & independenter à iudicio conducat ad bene differendum, consideratur etiam per se, & independenter ab illo à Logica.*

Secunda pars primi argumenti probatur, scilicet, tres mentis operationes non complecti id omne, de quo agit Logica.

Logica agit de ente rationis; atqui tres mentis operationes non complectuntur ens rationis: ergo neque ea omnia, de quibus agit Logica.

Maior pr. Definitio ficta est ens rationis; atqui Logica agit de definitione ficta: ergo Logica agit de ente rationis.

Minor pr. Scientia,quæ agit de definitione vera agit de ficta; atqui Logica agit de definitione vera: ergo & de ficta.

Maior pr. Scientia, quæ agit de vno contrario, agit etiam de alio; atqui definitio ficta est contraria definitioni veræ: ergo scientia, quæ agit definitione, vera agit de ficta.

Solutio: *Scientia, quæ agit de vno contrario, agit etiam de alio ipsi opposito contrarietate pre-*

pria, Concedo. *contrarietate impropria*, Nego. *atqui definitio ficta est contraria vera contrarietate propria*, Nego. *impropria*, Concedo.

Contrà: Scientia aliqua agere debet de definitione ficta, & eo, quod ei opponitur contrarietate impropria; atqui nulla est, quæ hoc debeat potiùs facere, quàm quæ agit de definitione vera: ergo scientia, quæ agit de definitione vera, agit etiam de ficta, & eo, quod ei opponitur contrarietate impropria.

Minor pr. Illa scientia, quæ hoc debet potiùs facere, non est alia à Metaphysica; atqui Metaphysica hoc non debet facere: ergo non est alia scientia, quæ hoc debeat potiùs facere, quàm, quæ agit de definitione vera.

Minor pr. Illa scientia non debet hoc facere cuius est tantùm agere de ente vt sic; atqui Metaphysicæ est tantùm agere de ente vt sic: ergo Metaphysica non debet hoc facere.

Maior pr. Non magis illa scientia, cuius est tantùm agere de ente, vt sic, debet agere de definitione ficta, quàm de aliis entibus in particulari, quæ continentur in ente vt sic; atqui non debet agere de aliis entibus in particulari, quæ continentur in ente vt sic: ergo illa scientia non debet hoc facere, cuius est tantùm agere de ente vt sic.

Maior pr. Non potest esse alia ratio, cur agere debeat de definitione ficta, quàm quia continetur sub ente vt sic; atqui alia etiam entia continentur sub ente vt sic: ergo non magis illa scientia, cuius est tantùm agere de ente vt sic, debet agere de definitione ficta, quàm de aliis entibus in particulari.

Solutio : *Neganda est maior, illa alia ratio est quia pauca continentur in definitione ficta scitu digna, quæ non explicentur in ente vt sic, quare scientia, quæ agit de ente vt sic, censetur hoc ipso quantum satis est agere de illa. Contrarium autem contingit in alijs entibus particularibus, de quibus multa sciri possunt, quæ non explicantur in ente vt sic, ac proinde iure conceduntur illis peculiares scientiæ agentes de ipsis.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Obiectum materiale Logicæ sunt res omnes.

ILLVD est obiectum materiale Logicę, quod Logica nō attingit per se primò, sed ratione alterius; atqui Logica non attingi tres omnes per se primò, sed ratione operationum mentis: ergo obiectum materiale Logicæ sunt res omnes.

Minor pr. Illud attingit tantùm res ratione operationum mentis, quod attingit tantùm illas, quia sunt terminus illarum; atqui Logica attingit tantùm res, quia sunt terminus operationum mentis: ergo Logica attingit tantùm res ratione operationum mentis.

Minor pr. Terminus, & obiectum operationum mentis sunt idem, atqui Logica attingit tantùm res, quia sunt obiectum operationum mentis: ergo & quia terminus.

Minor pr. Illud attingit tantùm Logica, quia est obiectum operationum mentis, quod non iuuat aliter ad differendum, quàm quia est obie-

ctum operationum mentis; atqui res non iuuant aliter ad differendum, quàm quia sunt obiectum operationum mentis: ergo Logica attingit tantùm res, quia sunt obiectum operationum mentis.

Obijcies. Illud non est obiectum materiale Logicæ, quod Logica attingit per se primò; atqui Logica attingit per se primò res: ergo res non sunt obiectum materiale Logicæ.

Minor pr. Operationes mentis sunt res; atqui Logica attingit per se primò operationes mentis: ergo & res.

Solutio: *Operationes mentis sunt res, prout res contradistinguitur ab ente modali, aut ficto,* Concedo. *prout contradistinguitur à cognitione, aut ente intentionali,* Nego. *& concessa minori: ergo Logica attingit etiam per se primò res, prout res contradistinguitur ab ente modali, aut ficto,* Concedo. *prout contradistinguitur à cognitione, aut ente intentionali,* Nego. *In hoc secundo sensu dicimus nos non attingi per se primò res à Logica, in primo verò, cùm sint idem ex parte cum operationibus mentis, id facilè concedimus.*

Ex dictis inferes primò sufficere ad diuersitatem scientiarum, quòd tendant diuerso modo in idem obiectum, hoc est diuerso modo illud repræsentent, seu diuersa de illo explicent.

Secundò obiectum formale in eo distingui à materiali, quòd primũ attingatur per se primò, & non ratione alterius: secundum verò è contrà attingatur per aliud, & propter aliud, & consequenter cognitiones multas carere obiecto materiali, illas scilicet, quæ non attingunt vnum

per aliud, cuiusmodi sunt præmissæ.

Tertiò denominationem obiecti formalis, & materialis prouenire ab ipsis cognitionibus, quæ cùm per vnum ducunt in cognitionem alterius, primum constituunt formale, & secundum materiale.

Quartò Logicam rectè definiri scientiam de modo differendi.

SECTIO IV.

De diuisione Logicæ in docentem, & vtentem.

NOMINE Logicæ docentis intelligitur illa, quæ tradit præcepta differendi, docet modum v. g. faciendi syllogismi, definitionis, &c. Vtentis verò illa, quæ in praxim deducit, quod illa præscribit, quam quidem Arriaga, disp. 3. sect. 1. vt tueatur membra diuidentia participare verè rationem diuisi (prout necessarium est ad bonam diuisionem) conuenire vult tantùm actibus ipsius Logicæ factis ex aliorũ directione, siue exequentium, quòd isti distant, iuxta quem explicandi modum, faciliùs videtur dici posse, primum actum Logicæ esse tantùm docentem, quàm admittendo esse vtentem (vt ipse innuit) fateri, aut esse suimet regulam, & normam, seu id, quod dirigit, & dirigitur, aut supponere alium, à quo dirigatur; atque ita non esse primum. Lumen enim intellectuale (vt ipse admit-

admittit) se solo, & sine actu dici non potest directio ipsius, seu suarum operationum, quia falsæ pari iure cum veris dici possint directæ, &, quod idem est, veræ. Mendoza verò disp. 2. sect. 1. ea comprehendi vult etiam alias omnes scientias, de quibus verum est exerceri ab ipsis, quod Logica docet.

Quæstio est leuis, & de voce, nec digna, in qua immoremur; grauior videtur esse, quæ supposita secunda sententia agitari solet. An facilitas vtendi præceptis Logicæ nata ex longo vsu, & exercitio sit habitus distinctus ab eo Logicę docentis, & illo vtentis, seu illis aliarum scientiarum, in quibus argumentamur, diuidimus, definimus, &c. Communis sententia negat; quidam Neoterici in suis manuscriptis affirmant: vtriusque sententiæ rationes subijcient probatio, & impugnatio conclusionis.

VNICA CONCLVSIO:

Logica vtens sumpta pro facilitate vtendi præceptis docentis, non distinguitur ab huius habitu, & illo aliarum scientiarum simul sumptis.

NVLLA est necessitas huiusmodi distinctionis: ergo Logica vtens sumpta pro facilitate vtendi præceptis docentis, non distinguitur ab huius habitu, & illo aliarum scientiarum simul sumptis.

Antecedens pr. Necessitas huius distinctionis non est alia, quàm ad explicandam maiorem il-

lam facilitatem, quam experiuntur, qui sæpius argumentati sunt; atqui maior illa facilitas explicari potest, sine huiusmodi distinctione: ergo nulla est necessitas huiusmodi distinctionis.

Minor pr. Habitus Logicæ docentis, & habitus aliarum scientiarum, non sunt huiusmodi distinctio, seu habitus ille distinctus; atqui maior illa facilitas explicari potest, per solos habitus Logicæ docentis, & aliarum scientiarum: ergo maior illa facilitas explicari potest, sine huiusmodi distinctione.

Minor pr. Per ea bene explicatur maior illa facilitas, quibus positis intelligimus eam esse, & non positis non adesse; atqui positis solis habitibus Logicæ docentis, & aliarum scientiarum intelligimus, & bene concipimus debere esse facilitatem argumentandi, &c. & illis non positis non adesse: ergo maior illa facilitas explicari potest per solos habitus Logicæ docentis, & aliarum scientiarum.

Prima pars Minoris pr. Necessitas argumentandi, definiendi, &c. in intellectu est maior, & maxima ilius facilitas; atqui positis solis habitibus Logicæ docentis, & aliarum scientiarum proposito aliunde obiecto est in illo necessitas argumentandi, definiendi, &c. ergo positis solis habitibus Logicæ docentis, & aliarum scientiarum bene concipimus debere esse facilitatem argumentandi, &c.

Maior supponitur ex dicendis in Physica Tract. de Anima, disp. 4. sect. 6. & Minor probatur.

In intellectu est necessitas argumentandi, cùm habet omnia requisita ad id faciendum; at-

qui cùm habet habitus Logicæ docentis,& aliarum ſcientiarum,& eſt ei facta ſufficiens obiecti propoſitio,habet omnia neceſſaria ad argumētandum:ergo poſitis ſolis habitibus Logicæ docentis, & aliarum ſcientiarum,propoſito ei aliunde obiecto eſt in illo neceſſitas argumentādi.

Secunda pars Minoris ſuperioris argumenti, non eſſe facilitatem illis habitibus non poſitis, pr.

Illis non poſitis, non eſt facilitas ad argumentandum,quibus non poſitis vix eſt potentia ad id faciendum; atqui non poſitis habitibus Logicæ docentis, & aliarum ſcientiarum, vix eſt potentia ad argumentandum : ergo illis non poſitis, non eſt facilitas ad argumentandum.

Minor pr. Habitus Logicæ docentis, & aliarum ſcientiarum ſunt ſpecies intenſæ obiecti ipſarum; atqui illis non poſitis vix eſt potentia ad argumentandum: ergo non poſitis habitibus Logicæ docentis, & aliarum ſcientiarum, vix eſt potentia ad argumentandum.

Minor pr. Cùm non ponuntur intenſæ ſpecies obiecti, ponuntur tantùm remiſſæ, aut nullæ: atqui cùm nullæ ſunt, aut tantùm remiſſæ, vix eſt potentia ad argumentandum : ergo non poſitis intenſis ſpeciebus, vix eſt potentia ad argumentandum.

Minor pr. Cùm nullæ ſunt ſpecies nulla eſt potentia, & cùm remiſſæ ſunt infirma eſt, & debilis valdè potentia; atqui quidquid ex illis dicatur, vix eſt potentia ad argumentandum: ergo cùm nullæ ſunt, aut tantùm remiſſæ ſpecies, vix eſt potentia ad argumentandum.

Prima pars Minoris clara eſt, & ſecunda pr.

Cùm debilis eſt potentia, incipit tantùm eſſe, aut fere deſinit; atqui cùm incipit tantùm eſſe, aut fere deſinit, vix eſt potentia: ergo cùm debilis eſt potentia, vix eſt potentia ad argumentandum.

Obijcies. Illa realiter diſtinguuntur, quæ realiter ſeparantur; atqui habitus Logicæ vtentis ſumptæ pro facilitate vtendi præceptis docentis, ſeparatur realiter ab habitibus Logicæ docentis, & aliarum ſcientiarum: ergo Logica vtens ſumpta pro facilitate vtendi præceptis docentis, diſtinguitur ab habitu illius, & habitibus aliarum ſcientiarum.

Minor pr. Illa realiter ſeparantur, quorum cùm vnum exiſtit, non exiſtit aliud, aut ſaltem non tantumdem ipſius; atqui exiſtit habitus Logicæ vtentis ſumptæ, &c. non exiſtentibus habitibus Logicæ docentis, & aliarum ſcientiarum, aut ſaltem non tantumdem ipſorum: ergo habitus Logicæ vtentis, & illi docentis, & aliarum ſcientiarum realiter ſeparantur.

Minor pr. Cùm intenſus eſt habitus Logicæ vtentis, & illi docentis, & aliarum ſcientiarum remiſſi; exiſtit verè habitus Logicæ vtentis, non exiſtentibus habitibus docentis, & aliarum ſcientiarum, aut non tantumdem ipſorum; atqui intenſùs eſt ſæpè habitus Logicæ vtentis, cùm ſunt remiſſi habitus docentis, & aliarum ſcientiarum: ergo exiſtit habitus Logicæ vtentis, non exiſtentibus habitibus Logicæ docentis, & aliarum ſcientiarum, aut ſaltem non tantumdem ipſorum, quantum alterius.

Minor pr. Suppono hominem habere primò ha-

bitum, valdè intensum Logicæ docentis: atque etiam Physicæ,&Metaphysicæ. Illis deindè otio diuturniori, non parum remissis comparare sibi Mathesim; & sic argumentor:

In casu posito remissi sunt valde in illo homine habitus Logicæ docentis, & aliarum scientiarum; atqui intensus est in illo habitus Logicæ vtentis: ergo intensus est valde habitus Logicæ vtentis, cùm est remissus ille docentis, & illi aliarum scientiarum.

Minor pr. Tunc intensus est valde habitus Logicæ vtentis, cùm sentitur magna facilitas argumentandi, definiendi, &c. atqui iste homo sentit magnam facilitatem argumentandi, definiendi, &c. ergo homo iste habet intensum habitum Logicæ vtentis.

Minor pr. Ille sentit magnam facilitatem argumentandi, qui facilè argumentatur; atqui qui obliti sunt suæ Logicæ facilè argumentantur, vel ipsa teste experientia: ergo qui obliti sunt suæ Logicæ, sentiunt magnam facilitatem argumentandi.

Solutio: *Atqui qui obliti sunt omnino suæ Logicæ, facilè argumentantur,* Nego. *qui obliti sunt ex parte tantùm suæ Logicæ, & quidem illâ, quæ non docet modum argumentandi,* Concedo. *ergo qui obliti sunt suæ Logicæ omnino, sentiunt magnam facilitatē argumentandi,* Nego. *ex parte tantùm,* Concedo. *Certum enim est eos, qui* Logicæ *fuere olim peritissimi per non vsum, & defectu exercitij præceptorum ipsius obliuisci, non tamen omnium, eorum scilicet, quæ in praxim sæpius deducunt: inter quæ primum locum tenet illud,*

quod est de modo argumentandi. Vix enim contingere potest, vt non sæpius argumententur, ac proinde illius intendant habitum, non quidem quoad illa minutiora, saltem tam distinctè, in quo modo, in qua figura, &c. *verùm hoc non est necessarium, vt quis censeatur facilè argumentari, sufficit enim, vt sciat illa, quæ sunt magis vniuersalia. Tres debere esse propositiones, medium iungendum esse in vna propositione cum vno extremo, & in alia cum alio, quod solum docet experientia in iis, qui dicuntur sua Logica obliti, & nihilominus facilè syllogizare.*

Ex dictis inferes primò, supponi à nobis ex Tract. de Anima, disp. 4. sect. 6. in intellectu, & potentijs necessarijs habitus non esse distinctos à speciebus.

Secundò facilitatem omnium maximam in agente non libero esse necessitatem, hac enim rapitur quanto maximo potest conatu ad agendum.

SECTIO V.

De necessitate Logicæ ad alias scientias.

NEMO est, qui neget Logicam vtilissimam esse ad acquisitionem aliarum scientiarum, an autem sit necessaria? non conueniunt authores. affirmant Conimbricenses, quęstione sexta articulo secundo; negat verò Arriaga, disputatione tertia, sectione quarta.

Vtriusque sententiæ rationes, quæ sequuntur explicabunt

VNICA CONCLVSIO:

Logica est necessaria ad alias scientias totales perfectè comparandas.

ILLA scientia est necessaria ad alias perfectè comparandas, sine qua illæ perfectè comparari non possunt; atqui aliæ scientiæ totales perfectè comparari non possunt sine Logica : ergo Logica est necessaria ad alias scientias totales perfectè comparandas.

Minor pr. Scientia totalis perfectè comparari non potest, sine notitia germana, reducendi conclusiones ad prima vsque principia, & modi inuestigandi infallibiliter veritatem; atqui sine Logica haberi nequit huiusmodi notitia : ergo sine Logica aliæ scientiæ totales perfectè comparari non possunt.

Maior pr. Comparatio, & acquisitio perfecta scientiæ, facit suum subiectum imperturbabile, & incapax timoris, ne quod concipit sit falsum; atqui sine notitia germana, reducendi conclusiones ad prima vsque principia, & modi inuestigandi infallibiliter veritatem , non potest quis esse imperturbabilis , & incapax timoris, ne quod concipit sit falsum : ergo scientia totalis perfecte comparari non potest, sine germana notitia reducendi conclusionem ad prima vsque principia , & modi inuestigandi infallibiliter veritatem.

Minor pr. Ille non poteſt eſſe imperturbabilis, & incapax timoris, ne quod concipit ſit falſum, qui non eſt certus ſe illud aſſecutum, per modum infallibilem attingendi veritatem; atqui ſine notitia germana illius modi non poteſt quis de hoc eſſe certus: ergo ſine notitia germana modi inueſtigandi infallibiliter veritatem, non poteſt quis eſſe imperturbabilis, & incapax timoris, ne quod concipit ſit falſum.

Obijcies: Illa ſcientia non eſt neceſſaria ad alias totales perfectè comparandas, ſine qua illæ perfectè cõparari poſſunt; atqui aliæ ſciẽtiæ totales perfectè comparari poſſunt ſine Logica: ergo Logica non eſt neceſſaria ad alias ſcientias totales perfectè comparandas.

Minor pr. Scientia totalis nihil eſt aliud, quàm partiales, ex quibus conflatur; atqui ſcientiæ partiales perfectè comparari poſſunt ſine Logica: ergo & totales.

Solutio: *Scientia totalis nihil eſt aliud, quàm partiales, ex quibus conflatur, ſimul ſumptæ,* Concedo. *ſigillatim ſumptæ,* Nego. *atqui ſcientiæ partiales comparari poſſunt perfectè ſine Logica, ſimul ſumptæ,* Nego. *ſigillatim ſumptæ, ſeu aliquæ,* tranſeat. *Dico tranſeat, quia vix ſine ea poterit quis eſſe imperturbabilis in poſſeſſione etiam vnius ſcientiæ particularis, ſi nimirum opponatur ei in alia materia ſimilis forma argumentandi falsò concludens, vt facilè contingit.*

Contrà. Suppono ſcientias partiales, Medicinæ verbi gratia, eſſe viginti, & comparari primam ſine Logica prout datur, & probo idem de aliis. Æquè ad minus poteſt quis ſine Logica, adiu-

tus à prima partiali scientia Medicinæ comparare secundam, & adiutus prima,& secunda tertiam,& sic consequenter,quàm primam sine eadem; atqui potest ex admissis comparare primam sine Logica: ergo & secundam, tertiam, & reliquas omnes.

Solutio: *Negātur Maior,quia in illis viginti verbigratia (& idem esto iudicium de illis aliarum scientiarum) sunt aliqua ita difficiles, vt auxilium quod accipit intellectus, à iam comparatis non sufficiat, debent enim verbi gratia, vt earum perfectè appareat veritas, resolui ad prima principia, bonitas illationis declarari, & alia huiusmodi adhiberi, quæ sola Logica docet.*

Contrà Illud fieri potest, quod factum est; atqui nō tantùm prima scientia partialis Medicinæ,sed etiam secunda,tertia,& reliquæ omnes simul sumptæ comparatæ fuere ab Hippocrate sine Logica: ergo æquè ad minus potest quis sine Logica, adiutus à prima scientia partiali Medicinæ comparare secundam, & adiutus prima, & secunda tertiam, & sic consequenter, quàm primam sine Logica.

Minor pr. Sine eo comparata fuit ab Hippocrate prima, secunda, tertia, & reliquæ omnes partiales scientiæ Medicinæ, quod non extabat tempore Hippocratis;atqui tempore Hippocratis non extabat Logica: ergo sine Logica comparata fuit ab Hippocrate prima, secunda,tertia, & reliquæ omnes partiales scientiæ Medicinæ.

Solutio: *Atqui tempore Hippocratis non extabat Logica mandata typis, & quæ publicè docere-*

tur, Concedo. *non erat Logica, quam acquisierat propria industria*, Nego.

Contrà. Ad comparandam illam Logicam propria industria, vel fuit necessaria alia Logica, vel non; sed neutrum dici potest: ergo non extabat tempore Hippocratis Logica, quam acquisisset propria industria.

Respondendum est non fuisse necessariam.

Contrà. Logica non est magis necessaria ad alias scientias, quàm ad huiusmodi Logicam; atqui ad huiusmodi Logicam, non fuit necessaria ex concessis: ergo neque ad alias scientias.

Maior pr. Logica non est magis necessaria ad id, quod faciliùs addiscitur, quàm ad id, quod difficiliùs; atqui Logica difficiliùs addiscitur quàm aliæ scientiæ: ergo Logica non est magis necessaria ad alias scientias, quàm ad huiusmodi Logicam.

Solutio: *Logica non est magis necessaria ad id, quod faciliùs addiscitur, quàm ad id, quod difficilius, si difficilius illud non sit modus, & via addiscendi facilius*, Concedo. *si sit modus, & via addiscendi illud facilius*, Nego. *atqui Logica difficiliùs addiscitur, quàm alia scientia, & non est modus, & via addiscendi illas*, Nego. *& est huiusmodi modus*, Concedo. *Ex eo autem quòd ipsa sit modus addiscendi, sequitur clarè non indigere alio modo præuio, hic enim similiter requireret alium, & sic in infinitum.*

Contrà. Logica non est modus, neque necessarius, neque non necessarius addiscendi alias scientias: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illud non est modus necessa-

rius addiscendi alias scientias, sine quo illæ obtineri possunt; atqui aliæ scientiæ, & imprimis Medicina, obtineri potest sine Logica: ergo Logica non est modus necessarius addiscendi alias scientias.

Minor pr. Empirici nulla sunt præditi Logica; atqui possident Medicinam: ergo Medicina obtineri potest sine Logica.

Minor pr. Ille possidet Medicinam, qui nouit perfectè morbos, causas, & remedia illorum; atqui Empirici nouere perfectè morbos, causas, & remedia illorum: ergo Empirici possident Medicinam.

Solutio: *Ille possidet Medicinam, qui nouit perfectè morbos, causas, & remedia illorum notitia certa, & imperturbabili, & de cuius veritate nulla timeri potest suspicio dubitandi,* Concedo. *notitia non ita certa, & quæ non nitatur, & non fuerit parta per modum infallibilem attingendi veritatem,* Nego. *atqui Empirici nouere perfectè morbos, causas, & illorum remedia, notitia parta per infallibilem modum attingendi veritatem, & quæ possit eos, vt vult de verè scientibus Aristoteles, reddere imperturbabiles, & omnino incapaces dubitandi aliquando de sua scientia,* Nego. *notitia non ita certa, & non ita infallibili,* Concedo. *Hæc autem non sufficit ad perfectam scientiam, vt clarum est, & consequenter isti homines, non possunt dici perfectè scientes, sed imperfectè, quod non negamus haberi posse sine Logica. Certè illi non aliter peruenere ad suam illam notitiam, quàm per experientias aliquas, aut authoritatem, & testimonium eius, qui illos huius-*

modi docuit secreta. Euidens est autem, quòd neque experientia illa particulares, neque auctoritas docentis parere possint scientiam perfectam, ad quam non est alia via, quàm per modum infallibilem attingendi veritatem, quem sola docet Logica, & consequenter sine illa nec Medicina, nec vlla alia scientia acquiri perfectè potest.

Ex dictis inferes primò, ad perfectam scientiæ acquisitionem requiri non tantùm notitiam certam, & euidentem rei scitæ, sed etiam quare talis sit, vt sciens esse possit provt debet, imperturbabilis.

Secundò, ad Logicam, licèt difficilior sit alijs scientijs, sufficere solum lumen intellectuale, cùm enim ipsa sit modus addiscendi reliquas, si ad ipsam requireretur alius modus, daretur modus modi, & vitari non posset processus in infinitum.

TRACTATVS I.

DE HIS QVÆ PERTINENT ad primam mentis operationem.

HÆc ad duo capita reuocari solent: primum est Vniuersalia; secundum Prædicamenta: de illis eodem ordine agam.

DISPVTATIO I.

De Vniuersalibus in communi.

VNIVERSALIA non pauci existimauere esse ens rationis, recténe an perperam declarari vix potest, non explicata natura entis rationis. Ea, ne ignota sit, faciet, quæ sequitur.

SECTIO PRIMA.

An detur ens rationis, & à quo fiat.

DEFINIRI solet ens rationis, id quod habet tantùm esse obiectiuum, seu quod habet esse obiectiuum, & nullum aliud, secundum *habet*, intelligit Arriaga de actu; alij verò, & quidem vt videtur rectiùs, de potentia; ita vt sit idem, ac *habere possit*; in eo enim sensu explicari solent à Philosophis aliæ definitiones, *animal rationale*, verbi gratia, *vnum in multis*, &c.

CONCLVSIO PRIMA:

Datur ens rationis.

ID quod habet tantùm esse obiectiuum est ens rationis; atqui datur aliquid, quod habet tantùm esse obiectiuum: ergo datur ens rationis.

Minor pr. Impossibile cognitum habet tantùm esse obiectiuum; atqui datur impossibile cognitum: ergo datur aliquid, quod habet tantùm esse obiectiuum.

Maior pr. Quod habet esse obiectiuum, & nullum aliud, habet tantùm esse obiectiuum, sed impossibile cognitum habet esse obiectiuum & nullum aliud: ergo impossibile cognitum habet tantùm esse obiectiuum.

Minoris prima pars probatur.

Quod est obiectum cognitionis habet esse

obiectiuum; atqui impossibile cognitum est obiectum cognitionis: ergo habet esse obiectiuum.

Minoris secunda pars probatur.

Nullum aliud est esse ab obiectiuo, quàm reale; atqui impossibile non habet esse reale: ergo nullum aliud habet esse, quàm obiectiuum.

Minor pr. Quod nec est, nec esse potest, non habet esse reale; atqui impossibile nec est, nec esse potest: ergo non habet esse reale.

Obÿcitur. Quod implicat in terminis non datur; atqui ens rationis implicat in terminis: ergo non datur.

Minor pr. Illud implicat in terminis, cuius termini sunt contradictorij; atqui termini entis rationis sunt contradictorij: ergo implicat in terminis.

Minor pr. Illi termini sunt contradictorij, quorum vnus negat, quod alter asserit; atqui vnus terminus entis rationis negat, quod alter asserit: ergo sunt contradictorij.

Minor pr. Termini entis rationis sunt, *ens* & *rationis*; atqui, *rationis*, negat, quod asserit, *ens*: ergo vnus negat, quod alter asserit.

Minor pr. Ens est idem, ac posse esse, & rationis, ac non posse esse; atqui non posse esse, negat, quod asserit posse esse: ergo rationis negat, quod asserit ens.

Solutio: *Ens est idem ac posse esse physicè tantùm.* Nego. *Physicè, vel intentionaliter,* Concedo. *& rationis est non posse esse Physicè,* Concedo. *intentionaliter,* Nego. *ex quo patet, vt rationis, nō negare totum, quod dicit ens, sed tantùm alteram eius partem, ac proinde non opponi ei contradictoriè.*

Contrà. Ens rationis non poteſt eſſe intentionaliter : ergo nullà ſolutio.

Antecedens pr. Illud non poteſt eſſe intentionaliter ; quod non poteſt habere eſſe intentionale, ſeu obiectiuum; atqui ens rationis non poteſt habere eſſe obiectiuum : ergo neque eſſe intentionaliter.

Minor pr. Illud non poteſt habere eſſe obiectiuum , quod non poteſt eſſe obiectum cognitionis; atqui ens rationis non poteſt eſſe obiectũ cognitionis : ergo nec habere eſſe obiectiuum.

Minor pr. Cognitio eſt vel ſenſitiua, vel intellectiua ; atqui non poteſt eſſe obiectum cognitionis, neque intellectiuæ, neque ſenſitiuæ: ergo non poteſt eſſe obiectum cognitionis.

Minoris ſecunda pars probatur.

Obiectum ſenſitiuæ debet eſſe quid poſitiuum, aut certè realiter exiſtens ; atqui ens rationis, neque eſt quid poſitiuum, nec realiter exiſtens: ergo non eſt obiectum ſenſitiuæ.

Minoris prima pars probatur, non eſſe etiam obiectum intellectiuæ.

Nihil eſt obiectum intellectiuæ , quod priùs non fuerit obiectum ſenſitiuæ; atqui ens rationis ex conceſſis , non eſt obiectum ſenſitiuæ: ergo neque intellectiuæ.

Maior pr. Quod non eſt in intellectu priùs, quàm in ſenſu , non eſt obiectum intellectiuæ priùs, quàm ſenſitiuæ ; atqui nihil eſt in intellectu , quin priùs fuerit in ſenſu : ergo nihil eſt obiectum intellectiuæ , quod priùs non fuerit ſenſitiuæ.

Solutio : *Nihil eſt in intellectu , aut obiectum*

intellectiua per propriam ſpeciem, quin priùs fuerit in ſenſu, aut obiectum ſenſitiua, Concedo. *per alienam*, Nego. *Hoc autem vltimo modo ens rationis eſt in intellectu.*

Contrà Quod eſt in intellectu per alienam ſpeciem eſt prius ſui cognitione; atqui ens rationis non eſt prius ſui cognitione: ergo non eſt in intellectu, etiam per alienam ſpeciem.

Maior pr. Quod eſt cauſa cognitionis ſui, eſt prius ſui cognitione; atqui quod eſt in intellectu, etiam per alienam ſpeciem, eſt cauſa cognitionis ſui: ergo quod eſt in intellectu per alienam ſpeciem, eſt prius ſui cognitione.

Maior pr. Quod eſt obiectum cognitionis, eſt cauſa cognitionis; atqui quod eſt in intellectu, etiam per alienam ſpeciem, eſt obiectum cognitionis: ergo eſt cauſa cognitionis.

Solutio: *Quod eſt*, &c. *eſt cauſa cognitionis per ſe, vel per aliud ſupplendo eius vices*, Concedo. *primò, & per ſe tantùm*, Nego. *& conceſſa Minori: ergo quod eſt in intellectu per alienam ſpeciem, eſt cauſa cognitionis per ſe*, Nego. *per aliud ſupplens eius vices*, Concedo. *quod autem ſupplet vices entis rationis eſt res illa, quæ producit ſpecies illas alienas, per quas repræſentatur; atque ita verum ſemper manet commune proloquium, cognitionem fieri ab obiecto, hoc eſt illo concurrente, vel alio cùm ipſum non poteſt, eius loco.*

Contrà. Quod eſt cauſa cognitionis tantùm per alienam ſpeciem, non eſt illius obiectum; atqui ens rationis ex conceſſis eſt tantùm cauſa cognitionis ſui per alienam ſpeciem: ergo non eſt illius obiectum.

Maior pr. Negatio entis rationis eſt cauſa cognitionis ſui per alienam ſpeciem; atqui non eſt illius obiectum: ergo quod eſt cauſa tantùm cognitionis ſui per alienam ſpeciem, non eſt illius obiectum.

Minor pr. Negatio entis rationis non poteſt eſſe ens rationis; atqui poſito quod ſit obiectum cognitionis, eſt ens rationis: ergo negatio entis rationis non poteſt eſſe obiectum cognitionis.

Minor pr. Impoſſibile, quod eſt obiectum cognitionis, eſt ens rationis; atqui negatio entis rationis, in ſententia aſſerente illud dari, & Deum illud facere, eſt impoſſibilis: ergo negatio entis rationis, quæ eſt obiectum cognitionis, eſt ens rationis.

Solutio: *Diſtinguenda eſt Maior prioris argumenti, negatio entis rationis non poteſt eſſe ens rationis, ſumpta ſecundùm ſe, & praciſè,* Concedo. *ſumpta vt ſubſtans cognitioni*, Nego. *atqui poſito quòd ſit obiectum cognitionis, eſt ens rationis ſumpta ſecundùm ſe*, Nego. *ſumpta prout ſubſtat cognitioni*, Concedo.

Contrà. Nihil poteſt eſſe ſui negatio: ergo negatio entis rationis, etiam ſumpta vt ſubſtans cognitioni, non poteſt eſſe ens rationis.

Solutio: *Nihil ſumptum ſecundùm ſe poteſt eſſe ſui negatio*, Concedo. *ſumptum ſub aliqua alia ratione*, Nego. *certè homo ſecundùm ſe non eſt cognitus, quod tamen verè, & propriiſſimè eſt, cùm eſt terminus cognitionis.*

Contrà. Quod eſt ſui negatio ſub aliqua ratione, ſub illa identificatur cum ſui negatione; atqui nihil ſub vlla ratione identificari poteſt

cum ſui negatione : ergo nihil ſub vlla ratione eſſe poteſt ſui negatio.

Solutio : *Atqui nihil ſub vlla ratione, identificari poteſt cum ſui negatione, hoc eſt eſſe, quod non erat intrinſecè, & eſſentialiter,* Concedo. *extrinſecè, & accidentaliter,* Nego. *ergo nihil poteſt eſſe ſui negatio, hoc eſt non eſſe, quod erat intrinſecè.* Concedo. *extrinſecè, & accidentaliter,* Nego. *Negari profectò non poteſt rem, quæ cognoſcitur, cùm deſinit cognitio, eſſe non cognitam, & deinde iterum adueniente cognitione eſſe cognitam, cùm priùs non eſſet. Idem contingit in negatione entis rationis, illa enim ſecundùm ſe non eſt cognita, nec conſequenter ens rationis, ſeu ens impoſſibile cognitum, quod haud dubiè eſt, cùm repræſentatur à cognitione, ac proinde quemadmodum nemini difficile videri poteſt, negationem illam cognoſci, cùm antea non cognoſceretur; ita nec prout ſubſtantem cognitioni, eſſe ens rationis, ſeu cognitum, quod ſecundùm ſe, & independenter à cognitione non erat, vno verbo, negatio entis rationis ſecundùm ſe, non eſt ens rationis, ſeu ens impoſſibile repræſentatum, quod tamen eſt ſi adiungatur ei cognitio ipſius repræſentatiua.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Deus, angelus, & homo faciunt ens rationis.

ILLI omnes faciunt ens rationis, qui dant eſſe obiectiuum rei, quæ nullum aliud habere poteſt; atqui Deus, angelus, & homo, dant eſſe obiectiuum rei, quæ nullũ aliud habere poteſt:

ergo faciunt ens rationis.

Minor pr. Quod dat esse obiectiuum rei impossibili, dat esse obiectiuum rei quæ nullum aliud habere potest; atqui Deus, angelus, & homo, dant esse obiectiuum rei impossibili: ergo & rei, quæ nullum aliud habere potest.

Minor pr. Qui cognoscit rem impossibilem, dat esse obiectiuum rei impossibili; atqui Deus, angelus, & homo cognoscunt res impossibiles: ergo dant esse obiectiuum rei impossibili.

Maior pr. Qui facit rem impossibilem esse obiectum suæ cognitionis, dat ei esse obiectiuum; atqui qui cognoscit rem impossibilem, facit eā esse obiectum suæ cognitionis: ergo qui cognoscit rem impossibilem, dat ei esse obiectiuum.

Distinguunt *Aduersarij primam partem Minoris prioris argumenti. Deus cognoscit res impossibiles, dicendo esse possibiles*, Nego: *negando esse possibiles*, Concedo.

Contrà. Tam benè, qui cognoscit rem impossibilem dicendo non esse possibilem, dat ei esse obiectiuum, quàm qui dicit illam esse possibilem; atqui per te Deus cognoscit rem impossibilem, dicendo non esse possibilem: ergo dat ei esse obiectiuum.

Maior pr. Dare esse obiectiuum, nihil aliud est, quàm cognoscere; atqui qui negat seu dicit, esse rem impossibilem, tam benè illam cognoscit, ac qui dicit esse possibilem: ergo tam benè qui cognoscit rem impossibilem dicendo non esse possibilem, dat ei esse obiectiuū, quàm qui dicit illam esse possibilem.

Obijcitur contra primam partem conclusionis.

Cognitio, per quam fit ens rationis est falsa; atqui Deus non habet cognitionem falsam: ergo Deus non facit ens rationis.

Maior pr. Illa cognitio est falsa, quæ fingit; atqui cognitio, quæ facit ens rationis fingit: ergo est falsa.

Minor pr. Illa cognitio fingit, quæ dicit rem aliter esse quàm sit, sed cognitio faciens ens rationis, dicit rẽ aliter esse, quàm sit: ergo fingit.

Minor pr. Cognitio, quæ facit ens rationis, vel dicit rem, vt est, vel aliter, quàm sit; atqui non dicit illam esse vt est: ergo dicit eam esse aliter, quàm sit.

Minor pr. Cognitio, quæ dicit id, quod est à parte rei, non facit ens rationis; atqui quæ dicit rem esse, vt est, dicit tantùm id, quod est à parte rei: ergo cognitio, quæ dicit rem esse, vt est, non facit ens rationis.

Solutio: ***Illa cognitio non facit ens rationis, quæ dicit id, quod est à parte rei, si id dicendo non concipit simul aliquid impossibile,*** Concedo. ***cùm id dicendo concipit simul aliquid impossibile,*** Nego. ***atqui quæ dicit rem esse vt est, dicit tantùm id, quod est à parte rei, & id dicendo non concipit simul aliquid impossibile,*** Nego. ***& id dicendo concipit aliquid impossibile,*** Concedo.

Contrà. Cognitio concipiens impossibile est imperfecta; atqui cognitio diuina non est imperfecta: ergo cognitio diuina nihil concipit impossibile.

Maior pr. Illa cognitio est imperfecta, quæ concipit rem esse aliter, quàm sit; atqui quæ cõcipit impossibile, concipit rem esse aliter, quàm

sit: ergo cognitio, quæ concipit impossibile, est imperfecta.

Solutio: *Illa cognitio est imperfecta, quæ concipit rem esse aliter quàm sit, dicendo ita esse,* Concedo. *negando ita esse,* Nego. *atqui quæ concipit impossibile, concipit rem esse aliter, quàm sit, & dicit ita esse,* Nego. *& non dicit ita esse, omnis saltem, vt diuina,* Concedo. *quæ ratione tantùm abest, vt contrahat aliquid imperfectionis, vt potiùs sit inde perfectior. Cùm enim negare impossibile esse possibile, sapiat perfectionem, & scientiam, & negare sit cognoscere, cognitio siquidem negans est tam benè cognitio, ac affirmans, clarum est in τὸ cognoscere impossibile, dicendo non esse possibile, nihil esse posse imperfectionis.*

Ex dictis inferes primò, esse intentionaliter, & non esse Physicè non opponi. Benè enim stat aliquid cognosci antequam sit, aut postquam desiit, aut etiam si non possit esse.

Secundò, ad faciendum ens rationis, non esse opus cognitione, & iudicio falso, tam benè enim fit per verum, modò repræsentet aliquid impossibile, quod neget esse, ac per falsum.

SECTIO II.

Quo ſenſu res ſpiritales, denominationes extrinſecæ, & ſecundæ intentiones Logicæ ſint, aut non ſint ens rationis.

CONCLVSIO PRIMA:

Res ſpiritales conceptæ ad modum corporeæ ſunt aliquando ens rationis, aliquando non ſunt.

PROBATVR *non eſſe.*
Illud non eſt ens rationis, quod non habet tantùm eſſe obiectiuũ; atqui res ſpiritales, conceptæ ad modum corporeæ, non habent tantùm eſſe obiectiuum: ergo non ſunt ens rationis.

Minor pr Quod habet verum eſſe reale, non habet tantùm eſſe obiectiuum; atqui res ſpiritalis concepta ad modum corporeæ, habet verum eſſe reale: ergo non habet tantùm eſſe obiectiuum.

Minor pr. Angelus eſt res ſpiritalis, & iuuenis corporea; atqui angelus conceptus ad modum iuuenis habet verum eſſe reale: ergo res ſpiritalis concepta ad modum corporeæ, habet verum eſſe reale.

Minor pr. Angelus conceptus ad modum iu-

uenis, nihil est aliud, quàm Angelus repræsentatus, præditus agilitate, viribus, pulchritudine, & aliis perfectionibus similibus illis, quæ conueniunt iuueni; atqui Angelus, & illæ ipsius perfectiones habent verum esse reale: ergo & Angelus conceptus ad modum iuuenis.

Minor pr. Illud habet esse reale, quod verè est; atqui agilitas, vires, pulcritudo, &c. verè sunt in Angelo: ergo habent verum esse reale.

Probatur iam altera pars conclusionis, esse aliquando ens rationis.

Res spiritalis concepta ad modum corporeæ, aliquando habet tantùm esse obiectiuum: ergo est ens rationis.

Minor pr. Illud habet tantùm esse obiectiuum, quod habet esse cognitum, & nullum aliud; atqui res spiritalis, concepta ad modum corporeæ, aliquando habet esse cognitum, & nullum aliud: ergo aliquando habet tantùm esse obiectiuum.

Minor pr. Res spiritalis concepta ad modum corporeæ, non est aliud aliquando, quàm ipsa repræsentata esse idem, & habere identitatem cum corporea; atqui res spiritalis repræsentata esse idem cum corporea habet esse cognitum, & nullum aliud: ergo aliquando habet esse cognitum, & nullum aliud.

Prima pars clara est, & secunda probatur.

Quod non habet esse reale, nullum aliud habet, quàm cognitum; atqui res spiritalis habens identitatem cum corporea, non habet esse reale: ergo habet esse cognitum, & nullum aliud.

Minor pr. Quod nec est, nec esse potest, non habet

habet esse reale; atqui res spiritalis identificata cum corporea, nec est, nec esse potest: ergo non habet esse reale.

Minor pr. Fieri non potest, vt quod distinguitur ab alio realiter, cum illo identificetur; atqui res spiritalis distinguitur realiter à corporea, & materiali: ergo res spiritalis nec est, nec esse potest corporea.

SECVNDA CONCLVSIO:

Multæ denominationes extrinsecæ, non sunt ens rationis.

MVLTAE denominationes extrinsecæ habent esse reale: ergo non sunt ens rationis.

Antecedens pr. Illud habet esse reale, cuius omnes partes sunt reales; atqui omnes partes multarum dennminationum extrinsecarum sunt reales: ergo multæ habent esse reale.

Minor pr. Denominationes vestiti, cogniti, & visi sunt extrinsecæ; atqui illarum partes sunt reales: ergo & multarum denominationum extrinsecarum.

Minor pr. Partes denominationis visi sunt visio, paries, & tendentia illius in istum; atqui visio, paries, & illa tendentia sunt realia: ergo partes illarum denominationum sunt reales.

Minor pr Illud est reale, quod verè existit nemine cogitante; atqui visio, paries, & illa tendentia verè existunt nemine cogitante: ergo sunt realia.

Minor quoad duo prima clara est, & proba-

tur de tertio, scilicet tendentia.

Tendentia visionis in parietem, nihil aliud est, quàm repræsentatio parietis à visione; atqui paries verè repræsentatur à visione: ergo tẽdentia visionis in parietem verè, & realiter est.

Obijcies. Denominationes extrinsecæ nec habent, nec habere possunt esse reale: ergo sunt ens rationis.

Antecedens pr. Illud nec habet, nec habere potest esse reale, quod includit aliquid impossibile; atqui denominationes extrinsecæ, includunt aliquid impossibile: ergo nec habent, nec habent possunt esse reale.

Minor pr. Visus, cognitus, auditus, &c. sunt denominationes extrinsecæ; atqui includunt aliquid impossibile: ergo denominationes extrinsecæ includunt aliquid impossibile.

Minor pr. Visus includit respectum parietis ad visionem; atqui ille respectus est impossibilis: ergo visus includit aliquid impossibile.

Maior pr. Visus includit aliquid in pariete, quod antea non erat; atqui illud aliquid non potest esse nisi respectus ille: ergo includit respectum parietis ad visionem.

Maior pr Debet esse aliquid in pariete, propter quod dicatur visus, cùm antea non diceretur: ergo parietem esse visum, dicit aliquid in pariete, quod antea non erat.

Antecedens pr. Omnis noua denominatio, dicit aliquid de nouo in re, quæ denominatur; atqui denominatio visi est vera denominatio, & noua in pariete: ergo denominatio visi infert aliquid nouũ in pariete, propter quod dicatur vi-

ſus, cùm antea non diceretur.

Solutio: *Omnis noua denominatio, dicit aliquid de nouo in re, quæ denominatur, ſi ſit intrinſeca*, Concedo. *ſi ſit extrinſeca*, Nego. *atqui denominatio viſi eſt vera, & noua denominatio intrinſeca*, Nego. *extrinſeca*, Concedo. *Senſus diſtinctionis eſt denominationem nouam ſupponere ſemper aliquid de nouo in rerum naturâ ſcilicet, intrinſecam, aliquid in re, quæ denominatur; extrinſecam verò in alio: denominationem autem viſi eſſe extrinſecam, ac proinde nihil ſupponere debere in pariete, ſed in oculo eliciente viſionem ipſum repræſentantem.*

TERTIA CONCLVSIO:

Secundæ intentiones Logicæ non ſunt ens rationis.

SECVNDÆ intentiones Logicæ habent eſſe reale: ergò non ſunt ens rationis.

Antecedens pr. Hoc quod eſt animal eſſe genus, eſſe prædicatum, eſſe ſubiectum, &c. ſunt ſecundæ intentiones Logicæ; atqui hoc quod eſt animal eſſe ſubiectum, prædicatum, genus, &c. habet verum eſſe reale: ergo ſecundæ intentiones Logicæ, habent verum eſſe reale.

Minor pr. Omnes partes eius, quod eſt, animal eſſe genus, eſſe prædicatum, eſſe ſubiectum, &c. ſunt reales: ergo hoc, quod eſt, animal eſſe genus, habet verum eſſe reale.

Antecedens pr. Partes eius, quod eſt, animal eſſe genus, ſunt omnia animalia, & cognitio

confusa illorum, & eius, quod est, idem esse subiectum, est cognitio asserens de illo aliquid; atqui animal, & cognitio asserens aliquid de illo, omnia animalia, & cognitio confusa illorum habent verum esse reale: ergo omnes partes eius, quod est, animal esse genus sunt reales.

Minor pr. Quod verè existit est reale; atqui animal, animalia, & illorum cognitiones vere existunt: ergo sunt quid reale.

Maior prioris argumenti probatur.

Illa sunt partes eius, quod est, animal esse genus, quibus positis animal est genus; atqui positis omnibus animalibus, & cognitione illorum confusa animal est genus: ergo omnia animalia, & cognitio confusa illorum, sunt partes eius, quod est animal esse genus.

Minor pr Illis positis animal est genus, quibus positis, est vnum in multis in quid incompletè; atqui positis omnibus animalibus, & cognitione confusa illorum, est vnum in multis in quid incompletè: ergo positis omnibus animalibus, & cognitione illorum confusa animal est genus.

Minor intelligetur facilè ex sequentibus sectionibus.

Ex dictis inferes primò res spiritales, maximè Deum, concipi à nobis modo explicato initio primæ conclusionis, hoc est habentem perfectiones similes iis, quæ sunt in creaturis, sed excellentiori modo, & alias longè plures. si enim conciperetur esse verè res corporea, & senex grandæuus (vt efformatur à pictoribus) cùm cultus, & amor terminetur ad id, ad quod cognitio,

amaremus, & coleremus quid fictum, resque essemus idololatriæ.

Secundò, vt tribui possit alicui noua denominatio, necessarium non esse, vt in illo de nouo ponatur aliquid, nisi illa sit intrinseca: ad extrinsecam enim sufficit, vt extra illam rem sit positum, cum habitudine tamen ad illam.

Tertiò, priuationes, & negationes tenebras v. g. in aëre, & cæcitatem in lapide cùm verè sint, eatenus tantùm dici posse ens rationis, quatenus concipiuntur esse aliquid positiuum à rusticis, qui sibi persuadent non rarò, noctem esse velum nigrum.

SECTIO III.

An detur Vniuersale à parte rei.

SCOTISTIS tribuitur communiter affirmatiua. Negans longè communior est. Pro ea sunt Mendoza, disp. 4. Metaphys. & Arriaga, disp. 4. Logicæ sect. 4.

VNICA CONCLVSIO

Non datur Vniuersale à parte rei.

VNIVERSALE est vnum in multis; atqui non datur vnum in multis à parte rei: ergo neque vniuersale.

Minor pr. Vnum in multis est vnum, & multiplex; atqui non datur vnum, & multiplex à parte rei: ergo neque vnum in multis.

Minor pr. Vnum, & multiplex eſt vnum, & non vnum; atqui à parte rei non datur vnum,& non vnum :ergo neque vnum, & multiplex.

Probatur ſecunda pars maioris, de prima enim non eſt dubium.

Quod eſt multiplex non eſt vnum; atqui per ſe eſt multiplex: ergo non eſt vnum.

Obijcitur. Vniuerſale eſt vnum in multis; atqui datur vnum in multis, à parte rei: ergo & vniuerſale.

Minor pr. Albedo vnita pluribus ſubiectis eſt vna, & in multis à parte rei; atqui illa dari poteſt: ergo & vnum in multis à parte rei.

Solutio: *Albedo vnita pluribus ſubiectis eſt vna, & in multis per informationem*, Concedo. *per identitatem*, Nego. *& conceſſa minori; ergo datur vnum in multis à parte rei per informationem*, Concedo. *per identitatem*, Nego.

Contrà. Datur natura diuina à parte rei;atqui illa eſt vna, & in multis per identitatem : ergo datur vnum in multis, à parte rei per identitatem.

Solutio: *Natura diuina eſt vna, & in multis per identitatem multiplicata*, Nego. *non multiplicata*, Concedo. *& conceſſa minori; ergo datur vnum in multis à parte rei, per identitatem multiplicatum*, Nego. *non multiplicatum*, Concedo.

Contrà. Species humana, v. g. eſt verè vnum in multis per identitatem cum ſui multiplicatione; atqui datur ſpecies humana à parte rei: ergo datur vnum in multis per identitatem,cum ſui multiplicatione á parte rei.

Minor pr. Petrus, & Paulus, sunt eiusdem speciei à parte rei; atqui illa eadem, & communis illis species est humana: ergo datur species humana à parte rei.

Solutio: *Petrus, & Paulus sunt eiusdem speciei à parte rei fundamentaliter,* Concedo. *formaliter,* Nego. *& concessa minori: ergo datur à parte rei species humana, fundamentaliter sumpta,* Concedo. *formaliter sumpta,* Nego.

Contrà. Datur à parte rei, altera species ab humana non tantum fundamentaliter, sed formaliter sumpta: ergo idem dici debet de humana.

Antecedens pr. Cùm est vnum correlatiuum à parte rei, debet quoque esse, & aliud; atqui datur correlatiuum à parte rei alterius speciei ab humana sumptæ non tantùm fundamentaliter, sed etiam formaliter: ergo datur à parte rei altera species ab humana non tantùm fundamentaliter, sed etiam formaliter sumpta.

Minor pr. Particulare, & multitudo sunt correlatiua; atqui datur particulare à parte rei, & multitudo est species formaliter sumpta: ergo datur à parte rei correlatiuum alterius speciei formaliter sumptæ diuersæ ab humana.

Prima pars minoris est certa, & secunda probatur.

Obiectum scientiæ est species formaliter sumptæ; atqui multitudo est obiectum scientiæ: ergo, & species formaliter sumpta.

Maior pr. Obiectum scientiæ est vniuersale formaliter sumptum: ergo etiam species formaliter sumpta.

Antecedens pr. Obiectum scientiæ vel est vniuersale formaliter sumptum, vel tantùm fundamentaliter; atqui non est tantùm fundamentaliter vniuersale : ergo est formaliter vniuersale.

Minor pr Vniuersale tantùm fundamentaliter nihil aliud est, quàm multa singularia; atqui obiectum scientiæ, non est multa singularia : ergo obiectum scientiæ, non est tantùm vniuersale fundamentaliter.

Minor pr. Illud non est obiectum scientiæ, de quo scientiæ non agunt; atqui scientiæ non agunt de singularibus : ergo obiectum scientiæ non est multa singularia.

Solutio : *Atqui scientiæ non agunt de singularibus seorsim sumptis,* Concedo. *simul sumptis, & prout conuenientibus in aliqua ratione,* Nego. *ergo obiectum scientiæ non est multa singularia seorsim sumpta,* Concedo. *simul sumpta, & prout conuenientia in aliqua ratione,* Nego.

Contrà. Obiectum scientiæ ex concessis est multa singularia in aliqua ratione conuenientia; atqui illa singularia conuenientia in aliqua ratione sunt vniuersale formaliter : ergo obiectum scientiæ est vniuersale formaliter.

Minor pr. Vniuersale formaliter est vnum, & simul multa; atqui multa singularia conuenientia in aliqua ratione sunt vnum, & multa: ergo, & vniuersale formaliter.

Conceditur esse multa, & probatur esse vnum.

Illa sunt vnum, quæ conueniunt inter se; atqui ista singularia ex concessis conueniunt in-

ter se: ergo sunt vnum.

Maior pr. Illa sunt vnum, quæ habent vnitatem; atqui illa, quæ conueniunt inter se, habent vnitatem: ergo sunt vnum.

Solutio: *Illa sunt vnum, quæ habent vnitatem propriam, & excludentem omnem multitudinem*, Concedo. *impropriam, & non excludentem multitudinem*, Nego. *atqui illa, quæ conueniunt inter se habent vnitatem propriam, & excludentem omnem multitudinem*, Nego. *impropriam, & non excludentem multitudinem*, Concedo.

Contrà. Vnitas illa impropria sufficit ad vniuersale: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Vnitas illa sufficit ad vniuersale, quæ significatur per vocem vniuersale; atqui non alia significatur per vocem vniuersale, quam ista: ergo vnitas ista impropria sufficit ad vniuersale.

Minor pr. Vnitas illa significatur per vocem vniuersale, pro qua Philosophi communiter vsurpant istam vocem; atqui Philosophi istam vocem vsurpant pro ista vnitate impropria: ergo non alia significatur, quàm ista.

Minor pr. Non est vllum fundamentum dicendi illos communiùs vsurpare istam vocem pro alia vnitate: ergo vsurpant communiùs pro ista.

Solutio: *Negandum est antecedens, & dicendum fundamentum esse, quòd plures sint, qui negent dari vniuersale à parte rei, quàm qui asserant, vt per se patet. Illi autem, qui negant non habent aliud fundamentum quàm istud, quòd vniuersale significet propriam vnitatem, quæ*

ſtare non poteſt cum vera multiplicitate.

Ex dictis inferes primò, ad vniuerſale duo requiri, primum eſt vnitas, ſecundū multiplicitas.

Secundò multiplicitatem eſſe rebus, quæ dicuntur vniuerſales, intrinſecam, eáſque illam habere ex ſe. Vnitatem verò merè extrinſecam prouenientem, ſcilicet á cognitione confuſa, per quam repræſentantur.

Tertiò, vnitatem, & multiplicitatem debere eſſe ſecundùm eamdem rationem, ex communi vſu Philoſophorum; atque ita Deum, licèt habeat vnitatem in natura, & multiplicitatem in perſonis, non eſſe quid vniuerſale.

SECTIO IV.

De diſtinctione graduum ſuperiorum, & inferiorum inter ſe, & á ſua ſingularitate.

PRÆCIPVVM fundamentum admittentium Vniuerſale á parte rei, eſt naturam communem ratione diſtinctionis, quam habet á ſua ſingularitate antecedenter ad omnem operationem intellectus, eſſe verè ex ſe, & non per mentem vnam, & cùm aliunde etiam per nos ſit realiter multiplex, nullomodo negari poſſe eſſe vniuerſalem. Diſtinctio huiuſmodi vulgo tribui ſolita Scoto, an ſit admittenda? hîc examinabimus.

PRIMH CONCLXSIO:

Distinctio Scotica non est alia à reali.

ILLA distinctio non est alia à reali, sed propriissimè realis, quæ est independenter ab operatione intellectus; atqui distinctio Scotica est independenter ab operatione intellectus: ergo distinctio Scotica est realis, & non alia à reali.

Distinguere *posset Scotus: Illa distinctio est realis, quæ est independenter ab operatione intellectus inter duas res, aut inter rem, & modum,* Concedo. *inter duas formalitates eiusdem rei,* Nego. *atqui distinctio Scotica est independenter, ab operatione intellectus inter duas res, aut rem, & modum,* Nego. *inter duas formalitates eiusdem rei,* Concedo.

Contrà. Nulla est distinctio inter duas formalitates eiusdem rei independenter ab operatione intellectus: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Nulla admitti debet distinctio inter formalitates rei creatæ, per quam verificari possint de illa simul, & semel duo contradictoria; atqui admissa distinctione, inter duas eius formalitates independenter ab operatione intellectus, verificari possunt de illa duo contradictoria: ergo nulla est distinctio, inter duas formalitates eiusdem rei, independenter ab operatione intellectus.

Maior pr. Nulla admitti debet distinctio inter formalitates rei creatæ, per quam, quod est maximè miraculosum, & supra nostrum captum in Trinitate, ostendatur cõuenire passim rebus

creatis; atqui admissa distinctione, inter duas formalitates eiusdem rei independenter ab operatione intellectus, ostenditur conuenire passim creaturis, quod est maximè miraculosum, & supra nostrum captum in Trinitate: ergo nulla admitti debet distinctio, inter duas formalitates eiusdem rei, per quam verificari possint de illa duo contradictoria.

Minor pr. Quod est maximè miraculosum in Trinitate,& suprà nostrum captum est,quod de personalitatibus, & de essentia, cum qua identificantur verificentur duo cōtradictoria; atqui admissa distinctione inter duas formalitates eiusdem rei creatæ, independenter ab operatione intellectus,verificantur passim de illa prædicata contradictoria: ergo admissa distinctione, inter duas formalitates eiusdem rei,indepēdeter ab operatione intellectus, ostenditur conuenire passim creaturis,quod est maximè miraculosum, & supra nostrum captum in Trinitate.

Minor pr. Animal, & rationale sunt formalitates eiusdem rei in homine; atqui admissa inter illa distinctione,de qua loquimur,verificantur de homine duo contradictoria:ergo admissa distinctione inter formalitates eiusdem rei independenter ab operatione intellectus, verificantur passim de illa prædicata contradictoria.

Minor pr. Ratiocinari, & non ratiocinari sunt contradictoria; atqui admissa distinctione independēter ab operatione intellectus inter animal, & rationale verificantur de homine, hoc est, de rationali quidem ratiocinari,de animali verò non ratiocinari: ergo admissa distinctione

inter animal, & rationale, independenter ab operatione intellectus, verificantur de homine ratiocinari, & non ratiocinari.

Minor pr. Eo modo, quo duo distinguuntur, quod conuenit vni, non conuenit alteri; atqui animal, & rationale ex concessis distinguuntur, independenter ab omni operatione intellectus, & ratiocinari conuenit rationali: ergo non conuenit animali.

Respondere *possent ad minorem antepenultimi argumenti; atqui admissa inter animal, & rationale distinctione, de qua loquimur. Verificantur de homine prædicata contradictoria, ratione diuersarum formalitatum,* Concedo. *ratione eiusdem*, Nego.

Contrà. Distinctio allata, nihil ponit minus in rebus creatis, quàm in Deo: ergo nulla est.

Antecedens pr. Distinctio allata concedit rei creatæ, verificari posse contradictoria de ea, non quidem respectu eiusdem formalitatis, sed diuersarum; atqui contradictoria non verificantur in Deo, nisi respectu diuersarum formalitatum: ergo distinctio allata, nihil ponit minus in rebus creatis, quàm in Deo.

Minor pr. Verificantur tantùm respectu essentiæ, & personalitatum, aut attributorum; atqui essentia, personalitates, & attributa sunt diuersæ formalitates: ergo contradictoria non verificantur in Deo, nisi respectu diuersarum formalitatum.

SECVNDA CONCLVSIO:

Gradus communes eiusdem indiuidui, non distinguuntur à parte rei.

PETRVS est indiuiduum, & eius gradus communes sunt ens, & substantia; atqui ens & substantia Petri non distinguuntur inter se à parte rei: ergo neque gradus communes eiusdem indiuidui.

Minor pr. Illud non distinguitur ab ente Petri, quod verè existit in Petro; atqui substantia Petri verè existit in Petro: ergo ens, & substantia Petri non distinguuntur inter se à parte rei.

Minor pr. Quod est idem cum Petro, ipso existente existit; atqui substantia Petri, est idem cum Petro: ergo cùm Petrus existit, existit etiam eius substantia.

TERTIA CONCLVSIO:

Gradus communes non distinguuntur à sua singularitate à parte rei.

ENS est gradus communis; atqui ens non distinguitur à sua singularitate: ergo gradus communis non distinguitur à sua singularitate.

Minor pr. Ens non distinguitur ab eo, quod potest existere; atqui singularitas entis potest existere: ergo ens non distinguitur à sua singularitate.

Minor pr. Quod de facto existit, potest exi-

stere; atqui singularias entis de facto existit: ergo potest existere.

Minor pr. Singularitas entis est quodlibet ens singulare; atqui multa singularia entia existunt: ergo singularitas entis de facto existit.

Obijcitur in penultimam conclusionem: Genus, & differentia sunt gradus communes eiusdem indiuidui Petri, v. g. atqui genus, & differentia Petri distinguuntur inter se à parte rei: ergo gradus communes eiusdem indiuidui distinguuntur inter se à parte rei.

Minor pr. Illa distinguuntur inter se à parte rei; ex quibus consurgit vera compositio; atqui ex genere, & differentia Petri consurgit vera compositio: ergo genus, & differentia Petri distinguuntur inter se à parte rei.

Solutio: *Illa distinguuntur inter se à parte rei, ex quibus consurgit vera compositio Physica*, Concedo. *Metaphysica*, Nego. *atqui ex genere, & differentia Petri consurgit vera compositio Metaphysica*, Concedo. *Physica*, Nego.

Contrà. Animal, & rationale sunt genus, & differentia Petri, atqui ex animali, & rationali consurgit vera compositio Physica: ergo ex genere, & differentia Petri consurgit vera compositio Physica.

Minor pr. Ex illis consurgit vera compositio Physica, quæ constituunt totum Physicum; atqui animal, & rationale constituunt totum Physicum: ergo ex illis consurgit vera compositio Physica.

Solutio: *Ex illis consurgit vera compositio physica, quæ constituunt totum physicum, physicè,*

Concedo. *Metaphysicè tantùm*, Nego *atqui animal, & rationale constituunt totum Physicum Physicè*, Nego. *Metaphysicè tantùm*, Concedo.

Contrà Illa constituunt totum Physicum Physicè, quibus conueniunt prædicata contradictoria; atqui animali, & rationali conueniunt prædicata contradictoria: ergo animal, & rationale Petri constituunt totum Physicum Physicè.

Minor pr. Ratiocinari, & non ratiocinari sunt prædicata contradictoria; atqui non ratiocinari, & ratiocinari, conueniunt animali, & rationali Petri: ergo & duo contradictoria.

Probatur non ratiocinari conuenire animali.

Tam non ratiocinari conuenit animali Petri, quàm prædicari de equo; atqui animali Petri conuenit prædicari de equo: ergo etiam non ratiocinari conuenit animali Petri.

Minor pr. Non magis repugnat ei prædicari de equo, quàm habere aliquid, quod non conuenit rationali Petri; atqui habet aliquid, quod non conuenit rationali Petri: ergo verè prædicatur de equo.

Minor pr. Habet vnam definitionem, quæ non conuenit rationali Petri: ergo habet aliquid, quod non conuenit rationali Petri.

Antecedens pr. Animal, & rationale habent duplicem definitionem: ergo, illa quàm habet animal non conuenit rationali Petri.

Consequentia pr. Non potest duplex definitio conuenire vni, & eidem rei, quin illa sit alteri similis, eidémque dissimilis; atqui non potest eadem res, esse similis alteri, eidémque dissimilis: ergo definitio, quàm habet animal, non conuenit rationali Petri.

Maior pr. Simile, & dissimile sunt prædicata contradictoria; atqui contradictoria non possunt conuenire vni, & eidem rei: ergo non potest eadem res esse similis alteri, & eidem dissimilis.

Maior pr. Tam simile, & dissimile sunt contradictoria, quàm simile, & non simile; atqui simile, & non simile sunt contradictoria: ergo & simile, & dissimile.

Maior pr. Tam dissimile est idem, ac non simile, quàm inæquale, ac non æquale; atqui inæquale est idem, ac non æquale: ergo etiam dissimile est idem, ac non simile.

Maior pr Ratio quare inæquale sit idem, ac nõ æquale, est quia inæquale negat, quod asserit æquale; atqui etiam dissimile negat, quod asserit simile: ergo tam dissimile est idem, ac non simile, quàm inæquale est idem, ac non æquale.

Minor pr. Simile dicit conuenire, & dissimile non conuenire; atqui non conuenire negat, quod asserit conuenire: ergo dissimile negat, quod asserit simile.

Solutio: *Simile dicit conuenire omnino, & dissimile nullo modo conuenire*, Nego. *simile dicit conuenire ex parte, & dissimile ex alia parte non conuenire*, Concedo. *atqui nullo modo conuenire negat, quod asserit omnimodè conuenire*, Concedo. *Non conuenire ex parte negat, quod asserit conuenire ex aliqua alia parte*, Nego.

Contrà. Nulla est ratio, quare simile dicat, tantùm conuenire ex parte, & non omnino: ergo simile significat conuenire omnino, & dissimile nullo modo conuenire.

Solutio : *Negatur antecedens ratio, est communis acceptio istarum vocum ad significandam tantùm conuenientiam, & disconuenientiam ex parte, non autem omnimodam.*

Ex dictis inferes primò, aliud esse constituere totum physicum, & aliud constituere illud physicè. Primum enim facere possunt partes Metaphysicæ. Hæc enim in huiusmodi toto non desiderantur. Secundum verò conuenit tantùm partibus physicis, seu realiter distinctis.

Secundò, rationem, quare simile, & dissimile significent tantùm conuenientiam, & disconuenientiam ex parte peti debere ex eo, quòd hæc nomina passim tribuantur rebus, quæ habent tantùm partialem conuenientiam & disconuenientiam. Equus siquidem dicitur, similis, & dissimilis boui; leo lupo, & sic de aliis, quæ omnia, vt patet, non habent omnimodam conuenientiam, neque disconuenientiam.

SECTIO V.

De præcisione obiectiua.

DISTINCTIONEM Scoticam reiiciunt quidem nobiscum Thomistæ, contendunt tamen intellectũ nostrum, qua est subtilitate, habere vim ex duobus, quæ sunt idẽ repræsentãdi vnum, alio non repræsentato, & huiusmodi cognoscendi modum vocãt præcisionem obiectiuam, quam nullo modo probant. Mendoza in Metaphys. disp. 5. & Arriaga, disp. 4. Logicæ.

Vtriusque sententiæ fundamenta declarabunt, quæ sequuntur.

VNICA CONCLVSIO:
Præcisio obiectiua repugnat in creatis.

PRÆCISIO obiectiua est cognitio vnius, & non alterius identificati cum ipso; atqui dari non potest huiusmodi cognitio in creatis: ergo neque præcisio obiectiua.

Minor pr. Animal, & rationale in Petro sunt idem; atqui dari non potest cognitio animalis, & non rationalis Petri: ergo dari non potest cognitio vnius, & non alterius identificati cum ipso.

Minor pr. Dari cognitionem animalis Petri, & non rationalis eiusdem, est eamdem rem cognosci, & non cognosci; atqui non potest vna, & eadem res cognosci, & non cognosci: ergo dari non potest cognitio animalis Petri, & non rationalis Petri.

Minor pr. Contradictoria non possunt conuenire vni, & eidem rei; atqui cognosci, & non cognosci sunt contradictoria: ergo non potest vna, & eadem res cognosci, & non cognosci.

Distinguunt *aduersarij cognosci, & non cognosci sunt contradictoria, respectu eiusdem formalitatis,* Concedunt. *respectu diuersa,* Negant.

Contrà. Tam cognosci, & non cognosci sunt contradictoria respectu diuersarum formalitatum creatarum, quàm produci, & non produci; atqui produci, & non produci sunt contradictoria, respectu diuersarum formalitatũ crea-

tarum : ergo & cognoſci, & non cognoſci.

Minor pr. Ideò non produci, eſt contradictorium produci, reſpectu diuerſarum formalitatum creatarum, quia negat, quod aſſerit produci; atqui etiam non cognoſci negat, quod aſſerit cognoſci : ergo tam benè cognoſci, & non cognoſci ſunt contradictoria, quàm produci, & non produci.

Reſpondent aliqui, ideo non produci, eſt contradictorium produci, reſpectu diuerſarum formalitatum creatarum, quia praeciſè negat, quod aſſerit produci, Negant. *quia negat, & non poteſt tribui vlli ex illis, cùm exiſtunt*, Concedunt. *res enim creatae exiſtentes non ſunt improductae; atqui etiam non cognoſci negat, quod aſſerit cognoſci, & non poteſt tribui formalitatibus illis diuerſis exiſtentibus*, Negant. *poteſt tribui cuilibet ex illis*, Concedunt. *nulla enim eſt, quae non poſſit cognoſci.*

Contrà. Non produci hac actione, ſed alia negat; quod aſſerit produci hac actione, & poteſt tribui cuilibet ex illis, cùm exiſtit non minùs, quod non cognoſci : ergo tam cognoſci, & non cognoſci ſunt contradictoria, reſpectu diuerſarum formalitatum exiſtentium, quàm produci hac actione, & non produci eadem, ſed alia.

Solutio : *Non produci hac actione, ſed alia poteſt tribui cuilibet formalitati diuerſae exiſtenti, & non requirit maiorem diuerſitatem, quàm non cognoſci*, Negant. *& requirit maiorem diuerſitatem*. Concedunt.

Contra. Produci hac actione, & non produci hac actione requirunt tantùm diuerſitatem, ne-

cessariam ad impediendam contradictionem; atqui quæcumque diuersitas ad hoc sufficit: ergo non requirunt maiorem diuersitatem, quàm cognosci, & non cognosci.

Solutio : *Produci hac actione, & non produci hac actione, requirunt tantùm diuersitatem necessariam ad impediendam contradictionem quãcunque*, Negant. *ipsis propriam, & quæ est maior, quàm sit in cognosci, & non cognosci*, Concedunt. *atqui quæcunque diuersitas sufficit ad impediendam contradictionem minimam*, Concedunt. *magnam*, Negant.

Contrà primò. Quod tollit rationem formalem omnis contradictionis, sufficit ad impediendam omnium maximam; atqui quæcumque diuersitas tollit rationem formalem contradictionis: ergo quæcumque diuersitas sufficit ad impediendam contradictionem non tantùm magnam, sed omnium maximam.

Minor pr. Ratio formalis contradictionis est, vt sit assertio, & negatio eiusdem; atqui quæcumque diuersitas tollit hanc rationem eiusdem: ergo quæcumque diuersitas tollit rationem formalem contradictionis.

Minor pr. Quod est diuersum non est idem: ergo quæcumque diuersitas tollit rationem formalem eiusdem.

Contrà secundò. Diuersitas formalitatum creatarum sufficit ad impediendam contradictionem, inter produci hac actione, & illa non produci, sed alia : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Diuersitas formalitatum creatarum, sufficit ad impediendam contradictio-

nem minorem ea, quam impedit diuersitas formalitatum diuinarum; atqui contradictio inter produci hac actione, & illa non produci, sed alia, est minor ea, quam impedit diuersitas formalitatum diuinarum: ergo diuersitas formalitatum creatarum, sufficit ad impediendam contradictionem inter produci hac actione, & illa non produci, sed alia.

Minor pr. Est Minor contradictio inter produci hac actione, & illa non produci, sed alia, quàm inter produci, & non produci; atqui diuersitas formalitatum diuinarum, impedit contradictionem inter produci, & non produci: ergo contradictio inter produci hac, actione, & illa non produci, sed alia est minor ea, quam impedit diuersitas formalitatum diuinarum.

Maior pr. Produci, & non produci includit quidquid produci hac actione, & non produci hac, sed alia, & aliquid amplius; ergo est minor contradictio inter produci hac actione, & illa non produci, quàm inter produci & non produci.

Responderi *posset ad antepenultimum argumentum. Diuersitas formalitatum creatarum, sufficit ad impediendam quamcumque contradictionem minorem ea, quam impedit diuersitas formalitatum diuinarum,* Nego, *aliquam,* Concedo.

Contrà. Debet assignari certa regula ad dignoscendum, quam minoritatem sub diuina habere debeat ea, quam impedire potest diuersitas formalitatũ creatarum; atqui nulla huiusmodi regula assignari potest: ergo diuersitas forma-

litatum creatarum impedire potest quamcumque minorem ea, quam impedit diuersitas formalitatum diuinarum.

Obijcitur. Præcisio obiectiua est repræsentatio vnius, & non alterius, quod est idem cum illo; atqui dari potest huiusmodi repræsentatio in creatis: ergo & præcisio obiectiua.

Minor pr. Animal, & rationale sunt idem; atqui dari potest cognitio animalis, & non rationalis: ergo dari potest repræsentatio vnius, & non alterius identificati cum illo.

Supponunt *Aduersarij Paulum videre à longè Petrum se mouentem adeò obscurè, vt cognoscat quidem esse animal, sed dubitet, aut etiam neget esse rationale, propterea, quòd existimet esse Brutum, quo posito sic argumentantur.*

In illa suppositione Paulus cognoscit Petrum esse animal; atqui non cognoscit eum esse rationalem: ergo dari potest cognitio animalis Petri, & non rationalis eiusdem.

Minor pr. Non cognoscit Paulus in Petro, quod negat se cognoscere in illo; atqui negat se cognoscere Petrum esse rationalem: ergo non cognoscit eum esse rationalem.

Solutio: *Paulus non cognoscit in Petro, quod negat se cognoscere scienter*, Concedo. *ex ignorantia*, Nego. *atqui negat se cognoscere rationalem ex ignorantia*, Concedo. *scienter*, Nego.d

Contrà Non potest Paulus cognoscere, quo negat se cognoscere, etiam ex ignorantia: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non potest Paulus negare, & affirmare idem de eodem; atqui qui cognoscit,

quod negat se cognoscere ex ignorantia affirmat, & negat idem de eodem: ergo non potest Paulus cognoscere, quod negat se cognoscere etiam ex ignorantia.

Solutio: *non potest Paulus negare, & affirmare idem de eodem ex ignorantia*, Nego. *scienter*, Concedo. *atqui qui cognoscit, quod negat se cognoscere ex ignorantia affirmat, & negat idem de eodem scienter*, Nego. *ex ignorantia*, Concedo.

Contrà. Qui negat, & affirmat idem de eodem ex ignorantia assentitur falso; atqui Paulus non potest assentiri falso: ergo non potest idem affirmare, & negare de eodem etiam ex ignorantia.

Solutio: *Qui negat, & affirmat idem de eodem etiam ex ignorantia assentitur falso, cognito vt falso*, Nego. *non cognito vt falso*, Concedo. *atqui Paulus non potest assentiri falso, cognito vt falso*, Concedo. *non cognito vt falso*, Nego.

Contrà. Cùm Paulus asserit Petrum esse animal, & negat esse rationalem, affirmat, & negat idem de eodem ex ignorantia; atqui tunc assentitur falso cognito vt falso: ergo qui affirmat, & negat idem de eodem ex ignorantia assentitur falso, cognito vt falso.

Minor pr. Ille assentitur falso cognito vt falso, qui cognoscit id, cui assentitur esse falsum; atqui cùm Paulus asserit Petrum esse animal, & negat esse rationalem, cognoscit id, cui assentitur esse falsum: ergo assentitur falso cognito vt falso.

Minor pr. Ille cognoscit id, cui assentitur esse falsum,

falsum; qui illud cognoscit non posse esse sicut repræsentat; atqui hoc facit Paulus, cum dicit, Petrum esse animal, & negat esse rationalem: ergo cum Paulus asserit Petrum, esse animal, & negat esse rationalem, cognoscit id cui assentitur esse falsum.

Minor pr. Ille cognoscit aliquid non posse esse, sicut ipse repræsentat, qui cognoscit aliquid esse rationale, & negat illud esse rationale; atqui cum Paulus dicit, Petrum esse animal, & negat esse rationalem, cognoscit illum esse rationalem, & negat esse rationalem: ergo cum Paulus dicit, Petrum esse anmal, & negat esse rationalem, cognoscit aliquid non posse esse, sicut ipse repręsentat.

Solutio: *Ille cognoscit aliquid, non posse esse sicut ipse repræsentat, qui cognoscit aliud esse rationale, clara, & distincta cognitione, & nihilominus negat esse rationale,* Concedo. *qui cognoscit tantùm illud esse rationale obscura, & confusa cognitione,* Nego. *atqui cum Paulus, dicit Petrum esse animal, & negat esse rationalem, cognoscit illum esse rationalem clara, & distincta cognitione, & nihileminus negat esse rationalem,* Nego. *cognoscit illum esse rationalem obscura, & confusa cognitione,* Concedo.

Contrà. Eodem modo Paulus, cognoscit Petrum esse rationalem, quo cognoscit illum esse animal; atqui cognoscit illum esse animal cognitione clarâ: ergo cognoscit etiam eumdem esse rationalem cognitione clara.

Maior pr. Ex duobus, quæ sunt idem, vnum non potest cognosci cognitione clara, quin, &

aliud cognoſcatur; atqui animal, & rationale ſunt idem: ergo cùm cognoſcitur animal, cognitione clarâ cognoſcitur, & rationale cognitione etiam clara.

Solutio: *Ex duobus, quæ ſunt idem, vnum non poteſt cognoſci cognitione clarâ, claritate ſe tenente ex parte obiecti, quin, & aliud cognoſcatur*, Concedo. *claritate ſe tenente ex parte cognitionis*, Nego. *& conceſſa minori: ergo cùm cognoſcitur animal, cognitione clâra, claritate ſe tenente ex parte obiecti cognoſcitur, & rationale eadem claritate*, Concedo. *Cùm cognoſcitur animal cognitione clarâ, claritate ſe tenente ex parte cognitionis cognoſcitur, & rationale eadem claritate*, Nego.

Contrà Ex conceſſis, animal cognoſci poteſt cognitione clara, claritate ſe tenente ex parte cognitionis, non cognito rationali: ergo etiam ſi ſe teneat huiuſmodi claritas ex parte obiecti.

Conſequentia pr. Cognoſci clarè animal, non cognito clarè rationali, ex parte obiecti, eſt cognitionem claram animalis non repræſentare clarè rationale; atqui cognitio clara animalis, non repræſentat clarè rationale: ergo cognoſcitur clarè animal, non cognito clare rationali, etiam ex parte obiecti.

Minor pr. Cognitio clara animalis, eſt alia à cognitione clara rationalis: ergo cognitio clara animalis non repræſentat clare rationale ex parte obiecti.

Conſequentia pr. Diuerſæ cognitiones debent habere diuerſa obiecta; atqui cognitio clara animalis, & rationalis ſunt diuerſæ, animal ve-

rò, & rationale idem : ergo cognitio clara animalis, non repræsentat vllo modo clarè rationale ex parte obiecti.

Maior pr. Debet ex aliquo capite peti diuersitas cognitionum; atqui non est aliud caput, quàm diuersitas obiectorum: ergo diuersæ cognitiones debent habere diuersa obiecta.

Minor pr. Non est aliud caput, quàm modus, quo tendunt in obiectum; atqui ex modo non petitur diuersitas : ergo non est aliud caput, quàm diuersitas obiectorum.

Minor pr. Illud, ex quo petitur diuersitas cognitionum, debet esse sufficiens ad ponendum discrimen, inter distinctionem rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ; atqui modus non ponit sufficiens discrimen, inter illas distinctiones : ergo ex modo non petitur diuersitas cognitionum.

Minor pr. Discrimen rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis est, quod prima repræsentat diuersas formalitates, & secũda easdem formalitates; atqui modus non facit hoc: ergo non ponit sufficiẽs discrimẽ, inter illas distinctiones.

Solutio : *Neganda est maior, & dicendum discrimen distinctionis rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ in eo esse positum, quod ex duabus illis cognitionibus, quæ constituunt primam, vna distinguat suum obiectum à pluribus, quàm alia; intellectionum verò, per quas constituitur secunda, vna non distinguat suum obiectum à pluribus, quàm alia, sed tantùm illud repræsentat minùs confusè.*

Ex dictis inferes primò, præcisionem nullam

aliam planè dari per intellectum, quàm formalem. Eam autem nihil aliud esse, quàm cognitionem confusam duorum identificatorum, aut plurium distinctorum: vi cuius non possumus reddere rationem neque de illorum identitate, neque de istorum distinctione. Secundò nomina, quibus vtimur non significare duo illa identificata, aut plura illa distincta secundùm se sed, prout repræsentata, per talem, aut talem cognitionem, quo fit vt ratione diuersarum cognitionum diuersimodè denominentur, quamuis illæ omnes cognitiones, idem planè repræsentent. Simile, cum proportione contingit in vestibus, quæ licèt planè vestiant, illud tamen diuersimodè denominat. A militari enim homo dicitur miles, ab Vrbana ciuis, à Clericali Clericus, &c.

Secundò distinctionem rationis, quæ est inter prędicatum, & subiectum propositionis identicæ, non includi quidem in explicatione à nobis data distinctionis rationis ratiocinatæ; & ratiocinantis, hanc tamen idcirco negari non debere esse legitimam, cùm enim intelligatur tantùm de iis distinctionibus, quę sunt vtiles ad scientiam, alia autem inutilis planè sit eatenus in ea, includi non debet.

Tertiò verbum *in creatis*, ideò additum conclusioni, quia præcisio obiectiua negari non debet in Deo, in quo est æquiualentia duobus distinctis, in ordine ad prædicata contradictoria, vt patet, in essentia, & personalitatibus, quas fides docet produci, illa non producta.

SECTIO V.

De præcisione formali, an per eam fiat Vniuersale?

EXPLICVIMVS superiori sectione quid sit; ista videndum est an sit constitutiua vniuersalis.

VNICA CONCLVSIO:

Præcisio formalis facit Vniuersale.

ILLA cognitio facit res vniuersales, quæ dat illis, quod ipsis deest, vt sint vniuersales; atqui præcisio formalis dat rebus, quod ipsis deest vt sint vniuersales: ergo præcisio formalis facit illas vniuersales.

Minor pr. Quod ipsis deest, vt sint vniuersales, est vnitas; atqui præcisio formalis dat illis vnitatem: ergo & quod ipsis deest, vt sint vniuersales.

Minor pr. Illa cognitio dat rebus vnitatem, quæ dat illis non distinctionem; atqui præcisio formalis dat rebus non distinctionem: ergo & vnitatem.

Minor pr. Illa cognitio dat rebus nō distinctionem, seu eas non distinguit, vi cuius non possumus reddere rationem de earum distinctione; atqui vi præcisionis formalis, nō possumus reddere rationem de earum distinctione: ergo præcisio formalis dat rebus non distinctionem.

Minor pr. Vi cognitionis confusæ de multitudine aliqua non possumus reddere rationem de eius distinctione; atqui præcisio formalis est cognitio confusa multitudinis : ergo vi præcisionis formalis non possumus reddere rationem de distinctione rerum multiplicium.

Obijcies. Præcisio formalis non dat rebus, quod deest ipsis ad vniuersalitatem : ergo præcisio formalis non facit res vniuersales.

Antecedens pr. Quod deest ipsis est vnitas; atqui non dat ipsis vnitatem : ergo neque quod deest ad vniuersalitatem.

Minor pr. Illa vnitas, quæ deest, est vnitas vniuersalis; atqui non dat illis vnitatem vniuersalem : ergo non dat vnitatē, quæ illis deest.

Minor pr. Non dat, quod non habet; atqui non habet vnitatem vniuersalem : ergo non dat illam.

Minor pr. Quod est singulare non habet vnitatem vniuersalem; atqui præcisio formalis est cognitio singularis : ergo non habet vnitatem vniuersalem.

Solutio : *Quod est singulare non habet vnitatem vniuersalem respectu sui,* Concedo. *respectu alterius*, Nego. *& concessa minori : ergo non habet vnitatem vniuersalem respectu sui,* Concedo. *respectu alterius, scilicet obiecti,* Nego.

Contrà Non magis præcisio formalis habet vnitatem vniuersalem respectu obiecti, quàm cognitio, quæ exprimitur istis vocibus, omnis homo; atqui ista cognitio non habet vnitatem vniuersalem respectu sui obiecti : ergo neque præcisio formalis.

Maior pr. Ratio, cur præcisio formalis habet vnitatem vniuersalem respectu obiecti est, quia obiectum ipsius est multiplex, & illa est vna tantùm illius repræsentatio; atqui obiectum etiam alterius est multiplex, & illa est vna tantùm illius repræsentatio: ergo non magis præcisio formalis habet vnitatem vniuersalem, quàm, &c.

Maior pr. Vel est illa ratio, vel quia est repræsentatio confusa sui obiecti; atqui non est quia, est repræsentatio confusa sui obiecti: ergo, est quia obiectum eius est multiplex, & ipsa est vna tantùm illius repræsentatio.

Minor pr. Repræsentatio confusa sui obiecti non facit illud habere vnitatem vniuersalem: ergo ratio non est, quia est repræsentatio confusa.

Antecedens pr. Illa cognitio non facit suum obiectum habere vnitatem vniuersalem, quæ non constituit illud prædicabile de pluribus; atqui repræsentatio confusa sui obiecti non constituit illud prædicabile de pluribus: ergo non facit illud vnitatem vniuersalem.

Solutio: *Illa cognitio non facit suum obiectum habere vnitatem vniuersalem, quæ non constituit illud prædicabile de pluribus remotè,* Concedo. *proximè*, Nego. *atqui repræsentatio confusa sui obiecti, non constituit illud prædicabile de pluribus remotè*, Nego. *proximè*, Concedo.

Contrà. Illa cognitio, non constituit suum obiectũ prędicabile de pluribus remotè, quæ nullomodo constituit illud prædicabile de suis inferioribus; atqui repræsentatio confusa sui obiecti, non constituit illud vllomodo prædicabile de suis inferioribus: ergo non constituit il-

lud prædicabile de pluribus remotè:

Maior pr. Vel constituit illud prædicabile de suis inferioribus simul, vel seorsim sumptis; atqui nec de inferioribus simul sumptis, nec seorsim constituit suum obiectum prędicabile de pluribus: ergo nullo modo constituit illud prædicabile de suis inferioribus.

Minoris prima pars clara est, & secunda probatur.

Obiectum repræsentationis confusæ; non potest affirmari de suis inferioribus seorsim sumptis: ergo non constituitur ab ipsa prædicabile de suis inferioribus seorsim sumptis.

Solutio: *Obiectum repræsentationis confusæ, non potest copulatiuè sumptum affirmari, de suis inferioribus seorsim sumptis,* Concedo. *disiunctiuè sumptum,* Nego. *Eodem modo distinguendum est consequens.*

Contrà Obiectum illud copulatiuè sumptum debet affirmari de suis inferioribus seorsim sumptis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Obiectum repræsentationis confusæ, est prædicatum propositionis vniuersalis; atqui prædicatum propositionis vniuersalis, copulatiuè sumptum affirmatur de suis inferioribus seorsim sumptis: ergo & obiectum repræsentationis confusę.

Minor pr. Prædicatum propositionis singularis non affirmatur copulatiuè sumptum, de suis inferioribus seorsim sumptis: ergo prædicatum propositionis vniuersalis debet affirmari de illis.

Consequentia pr. Debet esse aliquod discrimen inter prædicatū propositionis vniuersalis,

& singularis; atqui non est aliud, quàm quòd prædicatum vniuersalis, affirmetur copulatiuè sumptum de suis inferioribus, aliud verò non: ergo prædicatũ propositionis vniuersalis, affirmatur de suis inferioribus copulatiuè sumptũ.

Respondeo *esse aliud discrimen, scilicet, quòd prædicatum propositionis vniuersalis præcedatur ab apprehensione confusa: prædicatum verò propositionis singularis, non præcedatur ab huiusmodi apprehensione.*

Contrà. Prædicatum istius propositionis, hic homo est Petrus, præceditur ab apprehensione confusa; atqui illud non est prædicatum propositionis vniuersalis: ergo prædicatum propositionis vniuersalis non distinguitur in eo, à prædicato propositionis singularis, quòd præcedatur ab apprehensione confusa.

Maior pr. Illius propositionis prædicatum, præceditur ab apprehensione confusa, quæ fit immediatè post apprehensionem confusam; atqui ista propositio, hic homo est Petrus, fieri potest immediatè post apprehensionem confusam: ergo prædicatum istius propositionis, hic homo est Petrus, præceditur ab apprehẽsione confusa.

Solutio: *Prioris argumenti: prædicatum istius propositionis, hic homo est Petrus, præceditur ab apprehensione confusa, necessariò & per se,* Nego. *per accidens & indifferenter,* Concedo. *& permissa minori: ergo prædicatum propositionis vniuersalis non distinguitur in eo, à prædicato singularis, quòd præcedatur ab apprehensione confusæ; per accidens, & indifferenter,* Concedo. *necessariò, & per se,* Nego.

Contrà Prædicatum iſtius propoſitionis, Petr' eſt hic homo, præſupponit neceſſario apprehenſionem confuſã; atqui illa apprehenſio confuſa non facit, vt illud prædicatum propoſitionis vniuerſalis: ergo præſupponere apprehenſionem confuſa m, non diſtinguit prædicatum propoſitionis vniuerſalis à prædicato ſingularis.

Solutio: *Prædicatum iſtius propoſitionis, Petrus eſt hic homo, præſupponit apprehenſionem confuſam, & non poteſt tribui multis*, Concedo. *& poteſt*, Nego. *& conceſſa minori: ergo præſupponere neceſſariò apprehenſionem confuſam, non diſtinguit adæquatè prædicatum vniuerſalis à prædicato ſingularis*, Concedo. *inadæquatè*, Nego. *Aliud quod ſimul cum iſto facit adæquatam diſtinctionem prædicati propoſitionis vniuerſalis à prædicato ſingularis, eſt quod illud tribui poſſit multis, iſtud verò non; ex quo patet ad prædicatum propoſitionis vniuerſalis duo requiri ſimul ſumpta. Primum eſt, vt præſupponat apprehenſionem confuſam: & ſecundum, vt poſſit tribui multis. quod vltimum, vt patet, non conuenit prædicato propoſitionis allata.*

Ex dictis infer primò, id quod in ſe habet tantùm vnitatem ſingularem, poſſe alteri communicare vniuerſalẽ, cùm enim hæc ſit extrinſeca, & conſiſtat in repræſentatione confuſa, ad hoc nihil aliud requiritur, quàm vt aliquid in ſe ſingulare, ſit repræſentatio confuſa rei multiplicis; quod nemo negare poteſt de cognitione hominis in communi animalis, &c.

Secundò, prædicatum propoſitionis vniuerſalis, non debere affirmari copulatiuè ſumptum.

de quolibet ex suis inferioribus neque enim hoc modo cum illis identificatur, sed tantùm disiunctiuè, & eo modo quo dicere solemus animal est rationale, vel irrationale; atque ita sensum istius propositionis. Verbi gratia, homo est animal, esse, homo est vel hoc animal, vel istud, &c. quod verissimum est.

Tertiò, prædicatum propositionis vniuersalis in eo differre à prædicato singularis, quod tribui possit multis modo explicato, & præcedatur necessariò ab apprehensione confusa, quorum neutrum conuenit prædicato propositionis singularis, neque etiam vltimum prædicato particularis; huius enim apprehensio non facit vniuersale, vt probabimus infra, disp. sequenti sect. 6. vbi de indiuiduo vago. quare minùs rectè Arriaga, vult illud esse prædicatum propositionis vniuersalis.

SECTIO VLTIMA.

An Vniuersale sit ens rationis, & denominatio extrinseca.

EXPLICATIS, prima sectione huius disputationis, natura entis rationis, & sequentibus quid sit vniuersale, non erit modò difficile, definire an sit ens rationis, & denominatio extrinseca: sit ergo.

PRIMA CONCLVSIO:

Vniuersale non est ens rationis.

ILLVD non est ens rationis, quod non habet tantùm esse obiectiuum; atqui vniuersale non habet tantùm esse obiectiuum: ergo non est ens rationis.

Minor pr. Vniuersale habet esse reale: ergo non habet tantùm esse obiectiuum.

Antecedens pr. Illud habet esse reale, cuius omnes partes sunt reales; atqui omnes partes vniuersalis sunt reales: ergo habet esse reale.

Minor pr. Partes vniuersalis sunt vnitas, & multiplicitas; atqui vnitas illa,& multiplicitas sunt reales: ergo & partes vniuersalis sũt reales.

Minoris prima pars probatur, secunda enim clara est.

Vnitas vniuersalis, est cognitio confusa multitudinis, & indiuiduorum; atqui illa cognitio est realis: ergo & vnitas vniuersalis.

Minor pr. Illa cognitio est realis, quæ accipit esse per veram efficientiam ab intellectu; atqui ista cognitio, accipit esse per veram efficientiam ab intellectu: ergo est realis.

Minor pr. Tam benè cognitio confusa accipit esse per veram efficientiam quàm distincta; atqui distincta accipit: ergo & confusa.

Obijcitur. Illud est ens rationis, quod habet tantùm esse obiectiuum; atqui vniuersale saltem ex parte habet tantùm esse obiectiuum: ergo est ens rationis.

Minor pr. Quod nec est, nec esse potest habet

tantùm eſſe obiectiuum; atqui vniuerſale nec eſt, nec eſſe poteſt ſaltem ex parte: ergo habet tantùm eſſe obiectiuum ſaltem ex parte.

Minor pr. Vniuerſale ſaltem ex parte eſt vnum; atqui nec eſt, nec eſſe poteſt vnum: ergo neceſſe ſaltem ex parte.

Minor pr. Quod eſt multa nec eſt, nec eſſe poteſt vnum; atqui vniuerſale eſt multa: ergo nec eſt, nec eſſe poteſt vnum.

Solutio: *Quod eſt multa nec eſt, nec eſſe poteſt vnum vnitate extrinſeca, & ſe tenente ex parte cognitionis* Nego. *Vnitate intrinſeca, & ſe tenente ex parte obiecti*, Concedo. *& conceſſa minori: ergo vniuerſale nec eſt, nec eſſe poteſt vnum vnitate extrinſeca*, Nego. *vnitate intrinſeca*, Concedo.

Contrà. Nulla dari poteſt vnitas extrinſeca ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Quod eſt indiuiſio rei in ſe non poteſt eſſe extrinſecum; atqui vnitas eſt indiuiſio rei in eſſe: ergo non poteſt eſſe extrinſeca.

Solutio: *Quod eſt intrinſecè indiuiſio rei in ſe, non poteſt eſſe extrinſecum*, Concedo. *quod eſt tantùm extrinſecè indiuiſio rei in ſe, ſeu eius repræſentatio confuſa, non poteſt eſſe extrinſecum*, Nego. *atqui vnitas eſt indiuiſio rei in ſe intrinſecè, vel extrinſecè*; Concedo. *intrinſecè tantùm*. Nego.

Contrà. Indiuiſio illa extrinſeca, ſeu repræſentatio confuſa, facit vniuerſale eſſe ens rationis: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Quod facit vniuerſale ſuperius ſuis inferioribus, facit illud ens rationis; atqui,

repræſentatio confuſa facit illud ſuperius ſuis inferioribus : ergo facit illud ens rationis.

Maior pr. Quod facit vniuerſale habere reſpectum ad ſua inferiora, facit illud ens rationis; atqui quod facit vniuerſale ſuperius ſuis inferioribus, facit illud habere reſpectum ad ſua inferiora : ergo quod facit vniuerſale ſuperius ſuis inferioribus, facit illud ens rationis.

Maior pr. Quod facit aliquid habere reſpectum ad ſe ipſum facit illud ens rationis; atqui vniuerſale eſt idem cum ſuis inferioribus : ergo quod facit vniuerſale habere reſpectum ad ſua inferiora, facit illud ens rationis.

Solutio : *Quod facit aliquid abſolutè ſumptum habere reſpectum ad ſe ipſum, etiam abſolutè ſumptum facit illud ens rationis*, Concedo. *ſumptum ſub aliqua ratione accidentali habere reſpectum ad ſe ipſum abſolutè ſumptum, facit illud ens rationis*, Nego. *& conceſſa minori: ergo quod facit vniuerſale, abſolutè ſumptum habere reſpectum ad ſua inferiora, facit illud ens rationis*, Concedo. *ſumptum ſub aliqua ratione accidentali*, Nego. *Illa ratio accidentalis eſt cognitio, qua conueſtitum latius patet vnoquoque ſuorũ inferiorum, & eatenus dicitur illis ſuperius.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Vniuerſale eſt denominatio extrinſeca.

ILLA denominatio eſt extrinſeca, quæ petitur à forma extrinſeca; atqui denominatio vniuerſalis petitur à forma extrinſeca: ergo vniuerſale

est denominatio extrinseca.

Minor pr Denominatio vniuersalis petitur ab vnitate; atqui vnitas est forma extrinseca: ergo denominatio vniuersalis petitur à forma extrinseca.

Minor pr. Vnitas est cognitio; atqui cognitio est forma extrinseca: ergo & vnitas.

Obijcitur Illa denominatio non est extrinseca, cuius forma est extrinseca; atqui forma denominans vniuersalis non est extrinseca: ergo vniuersale non est denominatio extrinseca.

Minor pr. Vniuersalitas est forma denominans vniuersalis; atqui vniuersalitas non est forma extrinseca, sed intrinseca: ergo forma denominans vniuersalis non est extrinseca.

Minor pr Vniuersalitas est multiplicitas; atqui multiplicitas est forma intrinseca: ergo & vniuersalitas.

Solutio: *Vniuersalitas adæquatè sumpta est multiplicitas*, Nego. *inadæquatè sumpta*, Concedo. *& concessa minori: ergo vniuersalitas adæquatè sumpta est forma intrinseca*, Nego. *inadæquatè sumpta*, Concedo.

Contrà. Nihil est aliud in vniuersalitate, quod possit dici extrinsecum, quàm præcisio formalis; atqui præcisio formalis, non est forma constitutiua vniuersalis: ergo vniuersalitas est forma adæquatè intrinseca.

Minor pr. Forma constitutiua vniuersalis multiplicata ipsum multiplicat; atqui præcisio formalis multiplicata, non multiplicat vniuersale: ergo præcisio formalis, non est forma constitutiua vniuersalis.

Maior pr. Forma constitutiua concreti multiplicata ipsum multiplicat; atqui vniuersale est concretum: ergo forma constitutiua illius multiplicata ipsum multiplicat.

Solutio: *Forma constitutiua concreti substantiui multiplicata ipsum multiplicat*, Concedo. *adiectiui*, Nego. *vniuersale autem est concretum adiectiuum, quare quantumcumque multiplicentur formæ ipsum constituentes, non debet ipsum multiplicari, si simul non multiplicetur subiectum. Ratio verò est, quia concreta adiectiua important in recto subiectum: & è contrario substantiua formam. Quare cùm ad multiplicationem concreti attendatur maximè, quod dicit in recto: illa fiunt multiplicia multiplicato subiecto: ista verò tantùm multiplicata forma; atque ita vnum dicimus esse Deum, licèt habeat triplicem subsistentiam; quia vnam tantùm habet diuinitatem, quàm nomen Deus importat in recto.*

Ex dictis inferes primò, nullam esse repugnantiam, vt quod est in se multiplex, sit vnum extrinsecè, hoc enim nihil aliud est, quàm multitudinem repræsentari cognitione confusa, qualis el[illegible]tur à nobis frequentissimè.

Secundò, licèt forma, à qua sumitur denominatio vniuersalis, sit ex parte intrinseca, ipsam nihilominus dici absolutè extrinsecam; propterea quod id, quod se habet in ea constituenda per modum complemẽti sit merè extrinsecum, cognitio, scilicet; id autem, quod hîc se habet per modũ complementi præcipuè attenditur; & huius ferè vnius habetur ratio: sicut, & in multis aliis denominationibus, vt primò, in illa

hominis enecti multis vulneribus à varijs succeſſiuè inflictis, cuius occiſor, & homicida dicitur, qui vltimum inflixit vulnus, licèt alij ad eius mortem non parum contulerint.

Secundò, in ea electi plurium ſuffragijs ad officium, vel beneficium, cui illud contuliſſe dici ſolet, qui vltimum in eius fauorem tulit ſuffragium.

DISPVTATIO II.

De Vniuerſalibus in particulari.

SECTIO PRIMA.

De Genere.

EXAMINATIS ijs, quæ pertinent ad vniuerſalia in communi, diſcutienda ſunt ea, quæ illorum in particulari ſunt propria: & quia inter illa Genus primum tenet locum, non abs re erit ab eo iſtam ordiri diſputationem; ſit ergo.

Prima Conclusio:

Genus benè definitur prædicabile, de multis in quid incompletè.

Genvs benè definitur esse id, quod illi soli conuenit; atqui esse prædicabile de multis in quid incompletè conuenit soli generi: ergo genus benè definitur, prædicabile de multis in quid incompletè.

Prima pars Minoris probatur.

Illud prædicatur de multis in quid incompletè, quod est de essentia multorum; eam totam non importat, & concipitur ad modum per se stantis; atqui genus substantia, v.g. corpus, &c. sunt de essentia multorum, eam totam non important, & concipiuntur ad modum per se stantis: ergo esse prædicabile de multis in quid, incompletè conuenit generi.

Duæ primæ partes Minoris probantur: vltima enim clara est.

Petrus, Paulus, &c. sunt multa; atqui substantia, & corpus sunt de essentia Petri, & Pauli; & non important totam essentiam illorum: ergo substantia & corpus sunt de essentia multorum, & eam totam non important.

Minor pr. Quod conuenit alicui essentialiter, & non importat omnia eius prædicata communia, est de essentia illius, & non importat totam eius essentiam; atqui substantia, & corpus conueniunt essentialiter Petro, & Paulo, & non important omnia illorũ prædicata communia: er-

go ſubſtantia, & corpus ſunt de eſſentia Petri & Pauli, & eam totam non important.

Prima pars minoris clara eſt, & ſecunda pr.

Prædicata communia Petri,& Pauli ſunt animal, & rationale; atqui ſubſtantia, & corpus non important animal & rationale: ergo non important totam eorum eſſentiam.

Minor pr. Illa non important animal, & rationale, quæ cùm audimus, non poſſumus reddere rationem de animali, & rationali; atqui cùm audimus corpus, ſubſtantiam, &c. non poſſumus reddere rationem de animali, & rationali: ergo ſubſtantia, & corpus non important animal, & rationale.

Secunda pars minoris primi argumenti, ſcilicet conuenire ſoli generi eſſe prædicabile de multis in quid incompletè, probatur.

Alia, quibus dici poſſet conuenire eſſe prædicabile de multis in quid incompletè, ſunt ſpecies, differentia, proprium, aut accidens; atqui non cōuenit iſtis:ergo eſſe prædicabile de multis in quid incompletè, conuenit ſoli generi.

Minor pr. Illa nō prædicantur in quid incompletè, quæ prædicantur, aut in quid completè, aut in quale quid, aut in quale; atqui ſpecies prædicatur in quid cōpletè, differentia in quale quid, proprium, & accidens in quale: ergo iſta omnia non prædicantur in quid incompletè.

Minor probabitur ſequentibus ſectionibus.

Obijcies. Genus non poteſt prædicari de multis: ergo malè definitur Prædicabile de multis in quid incompletè.

Antecedens pr. Illa multa,de quibus poſſet dici

prædicari genus, sunt species, & indiuidua; atqui non potest prædicari de illis: ergo nec de multis.

Minor pr. Pars non potest prædicari de suo toto; atqui genus est pars respectu speciei & indiuiduorum: ergo non potest prædicari de illis.

Solutio: *Pars physica non potest prædicari de suo toto,* Concedo. *Metaphysica,* Nego. *Atqui genus est pars physica, respectu speciei, & indiuiduorum,* Nego. *Metaphysica,* Concedo.

Contrà. Genus non est pars Metaphysica specierum, & indiuiduorum: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod est totum Metaphysicum specierum, & indiuiduorum non est pars illorum Metaphysica: atqui genus est totũ Metaphysicum specierum, & indiuiduorum: ergo non est pars Metaphysica illorum.

Solutio: *Quod est totum Metaphysicum specierum, & indiuiduorum non est pars illorum Metaphysica sub eodem respectu,* Concedo. *sub diuerso,* Nego. *& concessa minori distinguo consequens: ergo non est pars Metaphysica illorum sub eo respectu, sub quo est totum,* Concedo. *sub diuerso,* Nego.

Contrà. Animal sub diuersis respectibus non est totum, & pars Metaphysica specierum, & indiuiduorum: ergo nulla solutio.

Maior pr Species, & indiuiduũ animalis sũt homo, Petrus & Paulus, &c. atqui animal nõ est totũ, & pars Metaphysica hominis, Petri & Pauli: ergo animal sub diuersis respectibus non est totũ, & pars Metaphysica specierũ, & indiuiduorũ.

Minor pr. Respectus, sub quo animal dici potest pars hominis, equi, &c. est quatenus comparatur cum differentia in constitutione speciei, &

respectus, sub quo potest dici totum. Est quatenus se extendit ad omnes species; atqui sub istis respectibus non potest dici totum, & pars Metaphysica Petri, & Pauli: ergo non est totum, & pars Metaphysica Petri, & Pauli.

Secunda pars minoris non esse totum pr.

Animal quatenus se extendit ad omnes species debet esse totum, vel potentiale, vel actuale; atqui neutrum est: ergo non est totum quatenus se extendit ad omnes species.

Respondeo *esse totum potentiale.*

Contrà Illud non est totum potentiale, quod est potius totum actuale; atqui animal quatenus se extendit ad omnes species est totum actuale: ergo animal quatenus se extendit ad omnes species non est totum potentiale.

Minor pr Illud est totum actuale, quod actu includit suas partes; atqui animal quatenus se extendit ad suas species, illas actu includit: ergo animal quatenus se extendit ad omnes species, est totum actuale.

Solutio : *Atqui animal actu includit suas species ex parte obiecti,* Concedo. *ex parte actus,* Nego. *ergo animal quatenus se extendit ad omnes species est totum actuale ex parte obiecti,* Concedo. *ex parte actus*, Nego.

Contrà. Animal quatenus se extendit ad omnes species, est alio modo totum actuale respectu specierum, quàm differentiarum; atqui est totum actuale respectu differentiarum ex parte obiecti : ergo debet esse totum actuale ex parte actus respectu specierum.

Minor suppofita veritate præcisionum formaliũ,

supra probata certa est, & maior probatur.

Respectu differentiarum animal non potest esse totum: ergo debet esse totum alio modo, respectu specierum, quàm differentiarum.

Antecedens pr. Respectu illius animal non est totum, quod non potest esse illius pars; atqui differentiæ non possunt esse illius pars: ergo animal respectu differentiarum non est totum.

Solutio: *Respectu illius animal non est totum, quod non potest esse illius pars actualis, vel potentialis*, Concedo. *actualis tantùm*, Nego. *atqui differentia animalis non possunt esse illius pars actualis*, Concedo. *potentialis*, Nego.

Contrà. Illud non est pars alterius etiam potestatiua, quod est aliquid illius; atqui differentiæ animalis non sunt aliquid illius: ergo non sunt pars illius potentialis.

Solutio: *Illud non est pars animalis etiam potentialis, quod non est aliquid illius neque actu, neque potentia*, Concedo. *actu tantùm*, Nego. *atqui differentia animalis nihil sunt illius actu*, Concedo. *potentia*, Nego.

Contrà. Illud non est aliquid alterius etiam potentiâ, quod nullomodo cotinetur in illo; sed differentia nullomodo continetur in genere: ergo differentiæ non sunt aliquid generis etiam potentiâ.

Solutio: *Illud nihil est alterius, quod non continetur in illo, neque actu, neque potentia*, Concedo. *actu tantùm*, Nego. *sed differentia non continentur in genere actu*, Concedo. *potentiâ*, Nego. *explicatur responsio, differentias non contineri actu in genere, est vi cognitionis confusa ani-*

malis non posse reddi rationem de eius differentiis, rationali, scilicet, & irrationali, contineri verò potentiâ, est posse aduerti vi aliarum cognitionum, quæ istam explicent in eius obiecto, contineri rationale, & irrationale.

Ex dictis infer primò, prædicari in quid incompletè significare tria: primum esse de essentia: secundum non importare illam totam: & tertium concipi ad modum per se stantis. Secundò, non importare totam essentiam nihil aliud esse, quàm non explicare omnia prædicata communia, seu vi conceptus correspondentis generi, reddi non posse rationem de omnibus rei prædicatis.

CONCLVSIO SECVNDA:

Genus aliud est supremum, aliud subalternum, aliud infimum.

SVPREMVM est illud, quod nullum habet supra se: subalternum, quod habet aliud supra se, & infra: infimum, quod habet aliud supra se, & nullum infra; atqui dantur genera, quæ nullum habent supra se, alia quæ habent supra, & infra; & alia, quæ habent supra, & nullum infra: ergo datur supremum, subalternum, & infimū genus.

Minor pr. Ens, viuens, & animal sunt genera; atqui ens nullum habet supra se: viuens habet supra, & infra se: & animal supra se, nullum verò infra: ergo dantur genera, quæ nullum habent supra se; alia quæ habent supra & infra, & alia quæ habent supra, & nullum infra.

SECTIO II.

De specie.

EXPLICATO primo, vniuersali, secundum faciliùs intelligetur.

PRIMA CONCLVSIO:

Species rectè dicitur vnum in multis prædicabile de illis in quid completè.

ILLVD rectè dicitur prædicabile de multis in quid completè, quod est de essentia multorum, illam totam importat, & concipitur ad modum per se stantis; atqui species, homo, v. g. leo, equus, &c. sunt de essentia multorum, illam totam important, & concipiuntur ad modum per se stantis: ergo species rectè dicitur prædicabilis de multis in quid completè.

Minor pr. Quod conuenit multis essentialiter, importat omnia prædicata communia illorum, & exprimitur nomine substantiuo, est de essentia multorum, importat totam eorum essentiam, & concipitur ad modum per se stantis; atqui homo, leo, & equus conueniunt multis essentialiter, importantomnia prædicata communia illorum, & exprimuntur nomine substantiuo: ergo sunt de essentia multorum, &c.

Minoris duæ primæ partes probantur, vltima enim clara est.

Petrus,

Petrus, Paulus, Ioannes sunt multa; atqui homo conuenit illis essentialiter, & importat omnia eorum prædicata communia: ergo homo conuenit multis essentialiter, & importat omnia prædicata communia illorum.

Minor pr. Quod est aliquid Petri & Pauli, & explicat vltimum illorum prædicatum essentiale, conuenit illis essentialiter, & importat omnia illorum prædicata communia; atqui homo est aliquid Petri, Pauli, & Ioannis, & explicat vltimum prædicatum essentiale illorum: ergo conuenit illis essentialiter, & importat omnia illorum prædicata communia.

Minor pr. Animal, & rationale sunt primò, aliquid Petri, Pauli, & Ioannis, & secundò important vltimum illorum essentiale prædicatum; atqui homo est idem cum animali, & rationali: ergo homo est aliquid Petri, Pauli, & Ioannis, & importat vltimum illorum prædicatum essentiale.

Prima pars Maioris clara est, & secunda probatur.

Illud est vltimum prædicatum Petri, & Pauli, quod nullum habet infra se; atqui rationale nullum habet infra se, in Petro, Paulo, &c. ergo est vltimum prædicatum illorum.

Obijcies. Species non est magis prædicabilis in quid completè, quàm genus; atqui genus non est prædicabile in quid completè: ergo neque genus.

Minor pr. Quod non magis importat totam essentiam eorum, de quibus prædicatur, quàm aliud nō est magis prædicabile in quid comple-

tè, quàm illud; atqui ſpecies non magis importat totam eſſentiam eorum, de quibus prædicatur, quàm genus: ergo ſpecies nõ eſt magis prædicabilis in quid completè, quàm genus.

Minor pr. Differentia indiuidualis eſt de eſſentia eorum, de quibus prædicatur ſpecies; atqui ſpecies non magis illam importat, quam genus: ergo ſpecies non magis importat totam eſſentiam eorum, de quibus prædicatur, quàm genus.

Solutio: *Differentia indiuidualis eſt de eſſentia non communi eorum, de quibus prædicatur ſpecies*, Concedo. *de eſſentia communi*, Nego. *& conceſſa minori: ergo ſpecies non magis importat totam eſſentiam communem eorum, de quibus prædicatur, quam genus*, Nego. *non communem*, Concedo.

Contrà Subſtantia viuens, & animal ſunt genus; atqui ſpecies non magis importat totam eſſentiam communem, quàm ſubſtantia viuens, & animal: ergo ſpecies nõ magis importat totam eſſentiam communem, quàm genus.

Minor pr. Species non magis importat totam eſſentiam communem, quam illa, quæ important omnia prædicata communia eorum, de quibus prædicantur; atqui animal viuens, & ſubſtãtia important omnia prædicata communia illorum, de quibus prædicantur: ergo ſpecies non magis importat totam eſſentiam communem, quam viuens, &c.

Minoris prima pars pr.

Ea, de quibus prædicatur animal ſunt hoc, iſtud, & illud animal; atqui animal importat

omnia prædicata cõmunia, huius, iſtius, & illius animalis: ergo animal importat omnia prædicata communia eorum, de quibus prædicatur.

Solutio: *Ea, de quibus prædicatur animal prædicatione generica ſunt hoc, iſtud, & illud animal,* Nego. *prædicatione ſpecifica,* Concedo. *& conceſſa minori: ergo animal importat omnia prædicata communia eorum, de quibus prædicatur prædicatione generica,* Nego. *ſpecifica,* Concedo.

Contrà. Non minus animal prædicatur prædicatione generica: de hoc, iſto, & illo animali, quam ens de hoc, iſto, & illo ente; atqui ens prædicatur prædicatione generica, de hoc iſto, & illo ente: ergo etiam animal de hoc, iſto, & illo animali prædicatur prædicatione generica.

Minor pr. Ens non prædicatur de hoc iſto, & illo ente prædicatione ſpecifica: ergo tantùm generica.

Antecedens pr. Illud non prædicatur prædicatione ſpecifica de alio, quod non eſt ſpecies reſpectu illius; atqui ens non eſt ſpecies, reſpectu huius, iſtius, & illius entis: ergo non prædicatur de hoc, iſto, & illo ente prædicatione ſpecifica.

Minor pr. Illud non eſt ſpecies reſpectu alterius, quod non habet ſupra ſe genus; atqui ens non habet ſupra ſe genus: ergo ens non eſt ſpecies reſpectu huius, iſtius, & illius entis.

Solutio: *Illud non eſt ſpecies ſubijcibilis reſpectu alterius, quod non habet ſupra ſe genus,* Concedo. *ſpecies prædicabilis,* Nego. *& conceſſa minori: ergo ens non eſt ſpecies ſubiicibilis reſpectu*

huius, & istius entis, Concedo. *species prædicabilis*, Nego.

Contrà. Species prædicabilis respectu huius, & illius entis debet importare totam eorum essentiam; atqui ens non importat totam essentiam huius, & illius entis: ergo non est species prædicabilis respectu huius, & illius entis.

Minor pr. Hoc ens est rationale, vel irrationale, materiale, vel spiritale; atqui ens non importat totam essentiam rationalis, nec irrationalis, nec materialis, nec spiritalis: ergo non importat totam essentiam huius, istius, & illius entis.

Solutio: *Atqui ens non importat totam essentiam rationalis, vel irrationalis, nomine rationalis explicati*, Concedo. *nomine huius entis explicati*, Nego. *ergo non importat totam essentiam huius entis sic explicati*, Nego. *explicati nomine rationalis*, Concedo. *Ratio est quia rationale nomine huius entis explicati, importat tantùm duo prædicata ens, scilicet, & hoc, ens importat, vt clarum est primum, & quod non importet secundum, cum sit tantùm singularitas non impeditur à prædicatione completa, quod autem attendere debeamus ad modum, quo subiectum, & prædicatum explicantur: inde est, quod prædicationes non fiant à nobis de rebus mere, & præcise sumptis; sed prout conuestitis nostro modo concipiendi.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Species vt subijcibilis non est vniuersalis.

ILLVD vt subijcibile non est vniuersale, quod respectu eius, cui subijcitur non est vniuersale; atqui species respectu eius, cui subijcitur non est vniuersalis: ergo species vt subijcibilis non est vniuersalis.

Minor pr. Genus est illud, respectu cuius species subijcitur; atqui species non est vniuersalis respectu generis: ergo species non est vniuersalis respectu eius, cui subijcitur.

Minor pr. Illud non est vniuersale respectu generis, quod eo minus latè patet; atqui species minus latè patet genere: ergo species non est vniuersalis respectu generis.

Maior pr. Vniuersale, & commune sunt idem, atqui illud non est commune respectu generis, quod eo minus latè patet: ergo illud non est vniuersale respectu generis, quod eo minus latè patet.

Minor superioris argumenti pr.

Illud minus latè patet genere, quod non tot conuenit ac genus; atqui species non tot conuenit ac genus: ergo species minus latè patet genere.

Obijcies. Species est vniuersalis, respectu eius, cui subijcitur: ergo species, vt subijcibilis, est vniuersalis.

Antecedens pr Genus est illud, cui species subijcitur: atqui est vniuersalis respectu generis:

ergo est vniuersalis respectu eius, cui subiicitur.

Minor pr. Species debet esse respectu generis vniuersalis vel singularis; atqui non est singularis respectu generis: ergo est respectu illius vniuersalis.

Solutio: *Neganda est minor, ratio est; quia omne illud respectu generis debet dici singulare, quod eo minus latè patet: sic enim verum est illud contrahere, determinare,* &c. *quæ sunt propria munia rei singularis.*

Contrà. Illud non debet dici singulare respectu generis, quod nullomodo est singulare; atqui species nullomodo est singularis: ergo non est singularis respectu generis.

Minor pr. Illud nullomodo est singulare, quod verè, & reapse est vniuersale; atqui species verè, & reapse est vniuersalis: ergo species nullomodo est singularis.

Solutio: *Illud quod verè, & reapse est vniuersale nullomodo est singulare, hoc est contrahens, & determinens aliud, eoque minus latè patens,* Nego. *hoc est indiuisibile in plura eiusdem nominis, & rationis,* Concedo. *& concessa minori: ergo species nullomodo est singularis, hoc est contrahens, ac determinans aliud eoque minus latè patens,* Nego. *hoc est indiuisibilis in plura eiusdem nominis, & rationis,* Concedo. *Certè illa ratione argumentandi probari posset eum, qui sedet in mediis gradibus esse superiorem eo, qui sedet in primo, aut certè non inferiorem, quia, scilicet, est superior eo, qui sedet in infimo, & qui est superior, non est inferior. quod quidem verum est de eo, respectu cuius est superior, at non de aliis quibus subesse potest.*

Contrà. Quod est tantùm contrahens, ac determinans aliud, & non est indiuisibile in alia eiusdem nominis, & rationis non est singulare, atqui species ex concessis est tantùm contrahens & determinans aliud, & non est indiuisibilis in alia eiusdem nominis, & rationis: ergo species nullomodo est singularis.

Solutio: *Quod est tantùm contraheıs,* &c. *non est singulare, prout hoc opponitur mag· latè patenti,* Nego. *prout hoc significat nullo‑odo latè patēs, & vlterius determinabile, & c‑trahibile,* Concedo. *& concessa minori: er‑ species nullomodo est singularis, prout singula‑ opponitur magis latè patenti,* Nego. *prout ‑nificat nullomodo latè patens, vlterius dete‑inabile, & contrahibile,* Concedo. *singular‑ami potest duobus modis, primo prout est ide‑ac minus latè patens. Secundo prout est idem, ‑ nullomodo latè patens, in primo sensu verè tri‑uitur speciei, & cuicumque gradui, qui non e‑ supremus. In secundo verò minimù: Conuenit siquidem soli infimo, de quo tantùm verum est non latè patere, seu conuenire pluribus.*

Contrà. Quod est tantùm singulare quia minus latè patens est vniuersale respectu illius, respectu cuius dicitur minus latè patens; atqui species ex concessis est tantùm singularis, seu minus latè patens respectu generis: ergo species respectu generis est vniuersalis.

Maior pr. Quod est respectu alterius prædicabile de multis est vniuersale respectu illius; atqui species est respectu generis prædicabilis de multis: ergo species respectu generis est vniuersalis.

Minor pr. Quod eſt prædicabile de eo, quod eſt multa, eſt prædicabile reſpectu illius de multis; atqui genus eſt multa, & ſpecies eſt prædicabilis de eo: ergo ſpecies eſt prædicabilis de multis reſpectu generis.

Solutio: *Quod eſt reſpectu alterius prædicabile de multis tanquam ſuperius de inferiori eſt vniuerſale reſpectu illius*, Concedo. *tanquam inferius de ſuperiori, aut æquale de æquali*, Nego. *Atqui ſpecies eſt reſpectu generis prædicabilis de multis tanquam ſuperius de inferiori*, Nego. *tanquam inferius de ſuperiori*, Concedo. *Certè vniuerſale debet eſſe commune, nihil autem, vt patet dici poteſt commune reſpectu alicuius, quod non ſit eo ſuperius, ſeu magis latè patens*.

CONCLVSIO TERTIA:

Species non poteſt conſeruari in vnico indiuiduo pr.

PRAEDICABILE de multis non poteſt conſeruari in vnico indiuiduo; atqui ſpecies eſt prædicabilis de multis: ergo non poteſt conſeruari in vnico indiuiduo.

Maior pr. Quod eſt idem cum multis, ſeu multa non poteſt conſeruari in vnico indiuiduo: atqui prædicabile de multis eſt idem cum multis, ſeu multa: ergo non poteſt conſeruari in vnico indiuiduo.

Maior pr. Quod eſt multa, non eſt vnum; atqui quod conſeruatur in vnico indiuiduo eſt vnum: ergo quod eſt multa non poteſt conſeruari in vnico indiuiduo.

Minor pr. Quod conseruatur in vnico indiuiduo est vnum indiuiduum tantùm: ergo quod conseruatur in vnico indiuiduo est vnum.

CONCLVSIO QVARTA:

Genus non potest conseruari in vnica specie.

GENVS est prædicabile de multis in quid incompletè; atqui prædicabile de multis in quid incompletè non potest conseruari in vnica specie: ergo nec genus.

Minor pr. Prædicabile de multis incompletè est illud, quod importat partem essentiæ magis communem; atqui quod importat partem essentiæ magis communem non potest conseruari in vnica specie: ergo prædicabile de multis non potest conseruari in vnica specie.

Veritas maioris patebit ex solutione obiectionis infra ponendæ, & minor pr.

Illud conseruari, & stare non potest cum vna specie, qua tantùm posita destruitur; atqui importans partem essentiæ, magis communem posita vnica tantum specie destruitur: ergo importans partem essentiæ magis communem non potest conseruari in vnica specie.

Minor pr. Importans partem essentiæ magis communem destruitur, cum fit importans tantùm partem essentiæ æquè communem; atqui importans partem essentiæ magis communem, vna tantùm posita specie fit importans tantùm partem essentiæ æquè communem: ergo impor-

tans partem essentiæ magis communem, posita vna tantùm specie destruitur.

Minor pr. Illa pars essentiæ est tantùm æquè communis, quæ non conuenit pluribus, quàm alia; atqui posita vna tantùm specie, pars essentiæ vltima non conuenit paucioribus, quàm alia immediatè illam antecedens: ergo importans partem essentiæ magis communem, posita vna tantùm specie fit importans partem essentiæ æquè communem.

Obijcitur. Animal est genus; atqui animal potest conseruari in vnica specie, humana, v. g. ergo & genus.

Minor pr. Illud genus conseruatur in vnica specie humana, quod est prædicabile de illa in quid incompletè; atqui animal conseruatum in vnica specie humana prædicatur, de illa in quid incompletè: ergo animal conseruari potest in vnica specie humana.

Minor pr. Illud est prædicabile de specie humana in quid incompletè, quod est prædicabile de Petro, Paulo, & Ioanne, in quid incompletè; atqui animal conseruatū in vnica specie humanā prædicatur de Petro, Paulo, & Ioanne, in quid incompletè: ergo & de specie humana.

Minor pr. Illud est prædicabile de Petro, Paulo, & Ioanne, in quid incompletè, quod importat tantùm partem essentiæ ipsorum; atqui animal conseruatum in vnica specie humana, importat tantùm partem essentiæ, Petri, & Pauli, &c. ergo prædicatur de illis in quid incompletè.

Solutio: *Illud est prædicabile de Petro, Paulo,*

& Ioanne, in quid incompletè, quod importat tantùm partem essentiæ ipsorum magis communem, Concedo. *æquè communem*, Nego. *atqui animal conseruatum in vnica specie humana, importat tantùm partem essentiæ, Petri, Pauli, & Ioannis, æquè communem*, Concedo. *magis communem*, Nego.

Contrà. Incompletè significat tantùm partem essentiæ quamcumque: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Incompletè significat tantùm, quod opponitur completè; atqui quæcumque pars essentiæ opponitur completè: ergo incompletè significat tantùm partem essentiæ quamcumque.

Solutio: *Incompletè significat tantùm, quod opponitur completè, & omne, quod ei opponitur*, Nego. *& non omne*, Concedo. *atqui quæcunque pars essentiæ opponitur completè ex parte*, Concedo. *totaliter* Nego. *Ratio distinctionis est, quia incompletè significat prout voluere Philosophi, dum illo vsi sunt in præsenti materia. In præsenti autem materia, vsi sunt tantùm illo adsignificandam partem essentiæ magis communem. Nullum enim est genus, de præsenti, quod aliam importet. De possibilibus autem pauci sunt locuti, & horum maior pars sentit cum aliis.*

Ex dictis inferes primò, genus animal verbi gratia, affirmari posse de suis inferioribus prædicatione generica, & specifica: generica quidem, si eius inferiora ita explicentur, vt non importet omnia eorum prædicata communia, vt in hac, homo est animal, specifica verò, si importet omnia, vt in ista hoc animal est animal.

Secundò, speciem aliam esse prædicabilem, & simul subijcibilem, aliam subijcibilem tantùm: huiusmodi videtur esse vnica, scilicet, Deus, qui quod subijciatur immediatè gradui spiritus, qui est verum genus rectè dicitur species non prædicabilis, est enim vnicum tantùm eius indiuiduum, sed subijcibilis propterea quod subijciatur immediatè generi.

Tertiò, incompletè in definitione generis, restringi ad significandum tantùm partem essentiæ magis communem ex beneplacito Philosophorum, quos semper ita illud vsurpasse ex eo fit verisimile, quod nullum aduerterint genus, quod aliam partem essentiæ importet, quàm magis communem.

SECTIO III.

De differentia.

De differentia, quæ tertium locum tenet inter vniuersalia duo examinanda sunt. Primum an sit prædicabilis in quale quid, secũdum an vniuersalis respectu speciei: Primum declarabit prima conclusio, secundum altera.

PRIMA CONCLVSIO:

Differentia est prædicabilis de multis in quale quid.

ILLVD est prædicabile in quale quid de multis, quod est de essentia illorum, & concipitur ad modum adiacentis; atqui differentia est de essentia multorum, & concipitur ad modum adiacentis: ergo est prædicabilis de multis in quale quid.

Prima pars minoris satis superius explicata fuit, secunda verò probatur.

Illud concipitur ad modum adiacentis, quod minus latè patet eo, cum quo comparatur; atqui differentia minus latè patet eo, cum quo comparatur: ergo differentia concipitur ad modum adiacentis.

Maior pr. Illud concipitur ad modum adiacentis seu contrahentis, quod paucioribus conuenit, quàm aliud, illud restringit, ac coarctat; atqui quod minus latè patet alio paucioribus conuenit, illud restringit ac coarctat: ergo illud concipitur ad modum adiacentis, quod minus latè patet eo, cum quo comparatur.

Minor superioris argumenti pr.

Differentia comparatur cum genere in constitutione speciei; atqui minus latè patet genere: ergo minus latè patet eo, cũ quo cõparatur.

Minor pr Illud minus latè patet genere, quod paucioribus conuenit, quàm genus; atqui differentia paucioribus conuenit, quàm genus: ergo

differentia minus latè patet genere.

Minor pr. Genus conuenit multis ſpeciebus: Differentia verò vni tantùm ex illis: ergo differentia conuenit paucioribus; quam genus.

Obijcitur. Differentia non eſt magis prædicabilis in quale quid, quam genus; atqui genus nō prædicatur in quale quid: ergo nec differētia.

Maior pr. Ideo genus non eſt prædicabile in quale quid, quia eſt de eſſentia; atqui etiam differentia eſt de eſſentia: ergo differentia non eſt magis prædicabilis in quale quid, quam genus.

Maior pr. Genus non eſt prædicabile in quale quid, vel quia eſt de eſſentia, vel quia concipitur ad modum per ſe ſtantis; atqui falſum eſt non eſſe prædicabile in quale quid, quia concipitur ad modum per ſe ſtantis: ergo ideo genus non eſt prædicabile in quale quid, quia eſt de eſſentia.

Minor pr. Differentia concipitur ad modum per ſe ſtantis; atqui falſum eſt differentiam non eſſe prædicabilem in quale quid: ergo etiam falſum eſt genus non eſſe prædicabile in quale quid, quia concipitur ad modum per ſe ſtantis.

Maior pr. Differentia non concipitur ad modum adiacentis: ergo concipitur ad modum per ſe ſtantis.

Antecedens pr. Non poteſt concipi adueniens niſi ſpeciebus, aut indiuiduis; atqui non concipitur illis adueniens: ergo non concipitur ad modum adiacentis.

Minor pr. Nulli alteri poteſt concipi adueniens: ergo concipitur adueniens tantùm ſpeciebus, aut indiuiduis.

Antecedens pr. Illud aliud non poteſt eſſe, niſi genus; atqui non concipitur aduenieus generi: ergo nulli alteri poteſt concipi adueniens.

Minor pr. Non concipitur aduenire illi, cui reapſe non aduenit; atqui non aduenit generi: ergo non concipitur adueniens generi.

Minor pr. Non aduenit illi, cum quo eſt idem; atqui differentia eſt idem cum genere: ergo non aduenit generi.

Solutio: *Non aduenit illi realiter, cum quo eſt idem*, Concedo. *non aduenit formaliter*, Nego. *& conceſſa minori: ergo non aduenit generi realiter*, Concedo. *formaliter*, Nego.

Contrà. Non poteſt aduenire generi formaliter ſine figmẽto; atqui in differentia nullum eſt figmentum: ergo nõ aduenit generi formaliter.

Maior pr. Quod verè eſt per ſe non poteſt concipi adiacere alteri ſine figmento; atqui differentia verè eſt per ſe: ergo non poteſt aduenire generi formaliter ſine figmento.

Solutio: *Quod verè eſt per ſe non poteſt concipi adiacere alteri realiter ſine figmento*, Concedo. *adiacere formaliter*, Nego. *& conceſſa minori: ergo non poteſt concipi adiacere realiter generi ſine figmento*, Concedo. *adiacere formaliter*. Nego.

Contrà. Differentiam adiacere generi formaliter eſt terminare conceptum, repræſentantem illam adiacentem generi; atqui non poteſt terminare ſine figmento huiuſmodi conceptũ: ergo non poteſt illi adiacere formaliter ſine figmẽto.

Solutio: *Differentiam adiacere generi formaliter eſt terminare conceptum, repræſentantem illã adiacentem generi expreſſione ſe tenente ex parte*

obiecti, Concedo. *se tenente ex parte cognitionis*, Nego. *atqui non potest terminare huiusmodi conceptum, expressione se tenente ex parte cognitionis*, Concedo. *se tenente ex parte obiecti*, Nego.

Contrà. Huiuſmodi conceptus fingit: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Ille conceptus fingit, qui dicit aliquid, quod nec eſt, nec eſſe poteſt; atqui iſte conceptus dicit aliquid, quod nec eſt, nec eſſe poteſt: ergo fingit.

Minor pr Ille conceptus dicit differentiam adiacere generi; atqui illa non adiacet generi: ergo dicit aliquid quod nec eſt, nec eſſe poteſt.

Solutio: *Ille conceptus dicit differentiam adiacere generi realiter*, Nego. *formaliter*, Concedo. *atqui differentia non adiacet generi realiter*, Concedo. *formaliter*, Nego.

Contrà. Adiacere formaliter generi eſt illius adiacentiam concipi; atqui illius adiacentia non poteſt concipi ſine figmento: ergo non adiacet generi formaliter.

Solutio: *Adiacere formaliter generi eſt illius adiacentiam concipi, hoc eſt, eſſe obiectum cognitionis repræſentantis illam adiacentiam*, Nego. *hoc eſt illam adiacentiam illi tribui propter conceptum anguſtiorem, quem terminat*, Concedo. *atqui illius adiacentia non poteſt concipi, hoc eſt eſſe obiectū cognitionis ſine figmento*, Concedo. *hoc eſt illi tribui propter conceptū anguſtiorē, quo explicatur*, Nego.

Senſus diſtinctionis eſt conceptū, qui exprimit differentiam non explicare neque repræſentare quidquam de illius adiacentia, quia tamē eſt anguſtior, quam ſit conceptus generis, quod per illum, & ra-

tione illius res repræsentata conueniat cum paucioribus, quàm per istum, ideò quod per illum repræsentatur videtur ei, quod repræsentatur per istum aduenire, & illud restringere, & coarctare.

SECVNDA CONCLVSIO:

Differētia nō est vniuersalis respectu speciei.

ILLVD non est vniuersale respectu speciei, quod non latius patet specie; atqui differentia non latius patet specie: ergo non est vniuersalis respectu speciei.

Minor pr. Quod conuertitur cum specie, non latius patet specie: atqui differentia conuertitur cum specie: ergo non latius patet specie.

Minor pr. Quod conuenit omnibus, quibus aliud, & non aliis conuertitur cum eo: atqui differentia conuenit omnibus, quibus species, & non aliis: ergo conuertitur cum ea.

Minor pr. Rationale est differentia, & homo eius species, atqui rationale conuenit omnibus, quibus homo, & nullis aliis: ergo differentia conuenit omnibus, quibus species, & non aliis.

Minor pr. Conuenit Petro, Paulo &c. & nullis aliis: ergo conuenit omnibus, quibus homo & nullis aliis.

Obij. ies. Rationale est differentia, & eius species homo, atqui rationale est vniuersale respectu hominis: ergo differentia est vniuersalis respectu speciei.

Minor pr. Rationale est vniuersale respectu ius, respectu cuius est differentia, atqui est differentia respectu hominis: ergo est vniuersale respectu hominis.

Solutio: *Rationale est vniuersale respectu eius omnis, respectu cuius est differentia,* Nego. *respectu alicuius,* Concedo. *atqui est differentia respectu hominis tantum,* Nego. *respectu etiam indiuiduorum,* Concedo.

Contrà. Rationale est vniuersale respectu eius omnis, respectu cuius est prædicabile de multis; atqui respectu eius omnis respectu cuius est differentia est prædicabile de multis: ergo rationale est vniuersale respectu eius omnis; respectu cuius est differentia.

Solutio: *Atqui respectu eius omnis; respectu cuius est differentia est prædicabile de multis, seu est multa, & plus quam vnum ex illis,* Nego. *respectu alicuius, scilicet, indiuiduorum,* Concedo. *ergo rationale respectu eius omnis, respectu cuius est differentia est vniuersale;* Nego. *respectu alicuius,* Concedo. *eius scilicet, respectu cuius est multa, qualia sunt indiuidua, quorum quolibet latius patet, conuenit enim illi; & præterea aliis.*

Contrà. Ea, respectu quorum rationale est differentia, sunt eius indiuidua, & eius species; atqui est prædicabile de multis respectu suorum indiuiduorum, & suæ speciei: ergo vniuersale est prædicabile de multis respectu eius omnis, respectu cuius dicitur differentia.

Prima pars minoris clara est, & secunda probatur.

Quod est prædicabile de eo, quod est multa est prædicabile respectu illius de multis; atqui species de qua est prædicabile rationale. Est multa; ergo rationale respectu suæ speciei

est prædicabile de multis.

Solutio : *Atqui species, de qua est prædicabile rationale est multa, hoc est, est multa species.* Nego. *hoc est multa indiuidua, & vna species,* Concedo. *ergo rationale respectu suæ speciei & prædicabile de multis, hoc est, variis, & pluribus speciebus*, Nego. *de multis hoc est pluribus indiuiduis, & vnica specie.*, Concedo.

Contrà Vt aliquid sit vniuersale respectu alicuius, nihil aliud requiritur, quàm vt respectu illius sit prædicabile de multis quocumque modo; atqui rationale respectu suæ speciei est verè prædicabile de multis ex concessis : ergo rationale respectu suæ speciei est verè vniuersale.

Solutio : *Vt aliquid sit vniuersale respectu alterius nihil aliud requiritur, quàm vt respectu illius sit prædicabile de multis quocumque modo, si eo latius pateat,* Concedo. *si non magis latè pateat*, Nego. *atqui rationale respectu suæ speciei est prædicabile de multis, & illa latius patens,* Nego. *& illa non magis latè patens,* Concedo. *Ratio est facilis, quia cum vniuersale sit idem, ac commune, & commune dici non possit respectu illius, cui soli conuenit; neque etiam consequenter vniuersale appellandum est. Quare illud tantum est vniuersale respectu alterius, quod illo latius patet, seu illi conuenit & præterea aliis.*

Contrà. Ex concessis illud non est vniuersale respectu alterius, quod non latius patet illo, atqui rationale non latius patet suis indiuiduis: ergo non est vniuersale respectu illorum.

Solutio : *Atqui rationale non latius patet suis indiuiduis seorsim sumptis,* Nego. *simul sumptis,*

Concedo. *ergo non est vniuersale respectu illorum seorsim sumptorum*, Nego. *simul sumptorum*, Concedo. *Indiuidua simul sumpta sunt species, respectu cuius rationale nec latius patet, nec est vniuersale, seorsim sumpta sunt quid minus latè patens rationali: hoc enim non conuenit tantum vni ex istis, sed praeterea aliis.*

Ex dictis inferes primò praedicari in quale quid duo dicere, primùm esse de essentia, & secundùm minus latè patere eo, cum quo componit, aut comparatur.

Secundò, nihil posse dici vniuersale, seu quòd idem est, commune respectu eius, respectu cuius non latius patet: & *praedicabile de multis, & vnum in multis*, quod ponitur in definitione vniuersalis ita accipiendum, vt ipsum sit multa, seu plus quam vnum respectu eorum saltem seorsim sumptorum, respectu quorum dicitur vnum.

SECTIO IV.

De proprio.

QVÆ explicuimus vniuersalia sunt essentialia; duo, quae sequuntur sunt contingentia. Primum quidem connexum necessario cum suo subiecto, & secundum merè contingenter.

PRIMA CONCLVSIO:

Proprium quarto modo ſumptum ex Ariſtotele non indicat quod quid eſt eſſe rei ſoli autem in eſt, & conuerſim prædicatur.

ILLVD non indicat quod quid eſt eſſe rei, & conuerſim prædicatur, quod non eſt de eſſentia, & conuenit omni ſoli, & ſemper: atqui proprium non eſt de eſſentia, & conuenit omni ſoli, & ſemper: ergo proprium non indicat quod quid eſt eſſe rei: ſoli autem ineſt, & conuerſim prædicatur.

Minor pr. Quod eſt accidens alterius, & conſequitur ad eius eſſentiam non eſt de eſſentia, & conuenit omni, ſoli, & ſemper; atqui proprium eſt accidens, & conſequitur ad eſſentiam eius cui conuenit: ergo non eſt de eſſentia, & conuenit omni, ſoli, & ſemper.

Probatur conſequi ad eſſentiam.

Accidentia aliqua conſequuntur ad eſſentiam; atqui illa non ſunt alia à proprio: ergo proprium conſequitur ad eſſentiam.

Minor pr. Alia à proprio, modò conueniunt ſubiecto, modò non conueniunt: ergo alia à proprio non conſequuntur ad eſſentiam.

Obijcitur. Proprium indicat, quod quid eſt eſſe rei, & non conuerſim prædicatur: ergo proprium malè dicitur quod non indicat quod quid eſt eſſe rei; & conuerſim prædicatur.

Prima pars antecedentis probatur.

Illud indicat, quod quid eſt eſſe rei, quod ex-

plicat rei essentiam; atqui proprium explicat rei essentiam: ergo indicat, quod quid est esse rei.

Minor pr. Aliqua accidentia explicant rei essentiam ex Aristotele; sed illa sunt propria: ergo proprium explicat rei essentiam.

Solutio: *Aliqua accidentia explicant rei essentiam ex Aristotele à priori, & tanquam pars eius.* Nego. *à posteriori, seu tanquam effectus, aut aliquid ad illam consequens*, Concedo. *ergo proprium explicat rei essentiam à priori*, Nego. *à posteriori*, Concedo.

Secunda pars antecedentis supra positi non conuersim prædicari probatur.

Illud non conuersim prædicatur quod non conuenit omni, soli, & semper; atqui proprium non conuenit omni, soli, & semper: ergo non conuersim prædicatur.

Prima pars minoris non conuenire omni probatur.

Simitas est proprietas Nasi; atqui non conuenit omni Naso: ergo proprium non conuenit omni ei, cuius est proprietas.

Solutio: *Simitas est proprietas Nasi quarto modo*, Nego. *primo modo*, Concedo. *ergo proprium primo modo non conuenit omni ei, cuius est proprium*, Concedo. *proprium quarto modo*, Nego.

Contrà. Quod prædicatur de alio per se secundo modo est illius proprietas quarto modo; atqui Simitas prædicatur de naso per se secundo modo: ergo est proprietas illius quarto modo.

Minor pr. Illud prædicatur de alio per se secundo modo, quod definitur per illud; atqui Si-

mitas definitur per nasum : ergo prædicatur per se secundo modo de naso.

Solutio : *Illud prædicatur de alio per se secundo modo, quod definitur per illud, & est de illius essentia, aut quid consequens ad illam*, Concedo. *quod non est de essentia, nec quid ad illam consequens*, Nego. *atqui simitas definitur per nasum, & est de essentia nasi, aut quid ad illam consequens*, Nego. *& non est*, Concedo.

Ad hoc, vt aliquid prædicetur de alio per se secundo modo debet, primo per illud definiri, & secundo esse de illius essentia, aut quid ad illam consequens.

Primùm *habet simitas respectu Nasi : secundum verò nequaquam, quo fit vt meritò negetur prædicari de eo per se secundo modo.*

Contrà. Ex concessis præcedenti argumento quod prædicatur de alio per se, secundo modo est illius proprietas quarto modo; atqui quod prædicatur per se secundo modo de alio non conuenit ei omni; ergo quod est proprium quarto modo non conuenit omni ei, respectu cuius dicitur proprium.

Minor pr. Calor vt octo prædicatur de igne per se secundo modo, atqui non conuenit omni igni : ergo quod prædicatur de alio per se secundo modo non conuenit ei omni.

Minor pr. Calor vt octo non conuenit ei, cui conuenit tantùm calor vt sex; atqui multis ignibus conuenit tantum calor vt sex : ergo calor vt octo non conuenit omni igni.

Si negetur minor probari potest hoc argumento.

Illi igni conuenit tantum calor vt sex, cuius

calor minuitur duobus gradibus; atqui sæpè minuitur calor ignis duobus gradibus: ergo sæpè conuenit tantùm igni calor vt sex.

Minor pr. Calor ignis minuitur duobus gradibus, cum oppugnatur ab agēte frigido fortiori; atqui sæpè oppugnatur ab agente frigido fortiori: ergo sæpè minuitur calor ignis duobus gradibus.

Maior pr. Minuitur duobus gradibus, cum illi destruuntur; atqui cum oppugnatur ab agente frigido fortiori illi destruuutur: ergo minuitur duobus gradibus, cum oppugnatur ab agente frigido fortiori.

Minor pr. Destruuntur duo gradus caloris ignis, cum recipit duos gradus frigoris: atqui cum oppugnatur ab agente frigido fortiori recipit duos gradus frigoris: ergo destruuntur duo gradus caloris ipsius verè.

Si distinguatur minor argumenti supra facti; atqui multis ignibus conuenit tantùm calor, vt sex in statu connaturali positis, Nego. *cum destruitur eorum status connaturalis*, Concedo. *Vrgeri potest responsio sequenti argumento.*

Contrà. Calor vt octo non conuenit magis igni in statu suo connaturali, quam aliæ proprietates suis subiectis: atqui aliæ proprietates non conueniunt necessario, suis subiectis positis in statu connaturali: ergo neque igni calor, vt octo.

Minor pr. Figuratum est proprietas corporis quanti: atqui non conuenit ei necessariò in statu suo connaturali: ergo aliæ proprietates non conueniunt necessariò suis subiectis positis in statu connaturali. *Minor pr.*

Minor pr. Genus non conuenit necessariò ei, cui omnes eius species conueniunt contingenter; atqui omnes species figuræ conueniunt contingenter corpori quanto: ergo ipsa non conuenit necessario.

Solutio: *Genus non conuenit necessario ei, cui omnes eius species determinatè sumpta conueniunt contingenter,* Nego. *indeterminatè sumpta,* Concedo. *atqui omnes species figuræ conueniunt contingenter corpori quanto determinatè sumpta.* Concedo. *indeterminatè sumpta,* Nego. *Ratio distinctionis est, quia ista species non sunt alio modo proprietas corporis quanti, quam sumpta indeterminatè; ac proinde eo tantum modo ei debent conuenire necessario.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Proprium secundo intentionaliter sumptum non male asseritur prædicabile de multis in quale necessario.

ILLVD non male asseritur prædicabile de multis in quale necessariò, quod non est de essentia illorum, eis tamen conuenit necessariò; atqui proprium non est de essentia eorum, de quibus prædicatur eis tamen conuenit necessariò: ergo non malè asseritur prædicabile de multis in quale necessario.

Minor pr Quod consequitur ad essentiam alicuius, non est de illius essentia, ei tamen cōuenit necessario; atqui proprium ex superiori cōclu-

ſione conſequitur ad eſſentiam eorum, de quibus prædicatur : ergo non eſt de eorum eſſentia, eis tamen conuenit neceſſario.

Obijcitur. Illud non prædicatur de multis, quod non eſt vniuerſale ; atqui proprium non eſt vniuerſale : ergo non prædicatur de multis.

Minor pr. Illud non eſt vniuerſale, quod non eſt commune ; atqui proprium non eſt commune : ergo neque vniuerſale.

Minor pr. Proprium non eſt idem cum eo, quod ei opponitur : atqui commune ei opponitur : ergo proprium non eſt commune.

Solutio : *Atqui commune opponitur proprio reſpectu eiuſdem,* Concedo. *reſpectu diuerſorum,* Nego. *ergo proprium non eſt commune reſpectu diuerſorum,* Nego. *reſpectu eiuſdem,* Concedo.

Contrà. Reſpectu nullorum proprium dicitur commune : ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Illa, reſpectu quorum dici poteſt commune ſunt indiuidua, ſpecies, aut genera ; atqui reſpectu vllorum non eſt commune : ergo neque reſpectu illorum.

Reſpondendum *eſt reſpectu indiuiduorum.*

Contrà. Proprium reſpectu indiuiduorum non poteſt dici vniuerſale : ergo neque commune.

Antecedens pr. Proprium reſpectu indiuiduorum debet dici vel vniuerſale diſtinctum ab aliis, vel non diſtinctum ; atqui neutrum dici poteſt : ergo non eſt vniuerſale reſpectu illorum.

Reſpondeo eſſe vniuerſale diſtinctum. Contra. Proprium reſpectu indiuiduorum non eſt vniuerſale diſtinctum ab accidente : ergo non eſt vniuerſale diſtinctum reſpectu illorum.

Antecedens pr. Non est proprium respectu illorum: ergo nec vniuersale distinctũ ab accidente.

Consequentia pr. Nullum est aliud vniuersale accidentale distinctum ab accidente, quàm proprium; atqui ex concessis non est proprium respectu illorum: ergo nec vniuersale distinctum ab accidente.

Solutio: *Atqui ex concessis non est proprium, respectu quorum dicitur vniuersale,* Concedo. *respectu speciei, sub qua ista ponuntur,* Nego. *ergo non est vniuersale distinctum ab accidente respectu speciei*, Concedo. *respectu indiuiduorum*, Nego.

Ex dictis inferes primo propriũ esse tantũ conuertibile cũ subiecto in statu cõnaturali posito.

Secundò dici proprium respectu speciei, & vniuersale respectu indiuiduorum, quibus seorsim sumptis latius patet. In eo autem distingui ab accidente, quod illis conueniat necessariò, istud verò merè contingenter.

Sectio V.

De accidente.

Prima Conclusio:

Accidens primò intentionaliter sumptum dicitur id, quod potest adesse, & abesse sine subiecti corruptione seu citra subiecti exigentiam.

Illud potest adesse, & abesse à subiecto citra ipsius exigentiam, quod non exigitur ab illo;

atqui nullum accidens commune exigitur à subiecto: ergo potest adesse, & abesse citra subiecti exigentiam.

Minor pr. Quod non consequitur essentiam subiecti, non exigitur à subiecto; atqui nullum accidens commune consequitur essentiam subiecti: ergo non exigitur ab illo.

Minor pr. Albedo, Nigredo, &c. sunt accidentia cõmunia, & paries eorum subiectum; atqui non consequũtur essentiã parietis: ergo nec subiecti.

Maior pr. Quod non conuenit necessariò parieti non consequitur eius essentiam, atqui albedo non conuenit necessariò parieti: ergo non consequitur eius essentiam.

Minor pr. Illud non conuenit necessariò parieti, quo ille sibi relictus, & non impeditus caret; atqui paries sibi relictus, & non impeditus caret albedine: ergo albedo non conuenit necessario parieti.

Minor pr. Quod impedit parietem ne habeat albedinem non est aliud, quàm nigredo; atqui paries quoties caret nigredine non habet albedinem: ergo non impeditus caret albedine.

Obijcitur. Vbi, est accidens commune, atqui non potest abesse à suo subiecto citra ipsius exigentiam: ergo accidens commune abesse non potest à subiecto citra ipsius exigentiam.

Minor pr. Illud non potest abesse citra subiecti exigentiam, sine quo subiectum esse non potest: atqui subiectum non potest esse sine vbi: ergo non potest abesse citra sui subiecti exigentiã.

Solutio: *Atqui subiectum non potest esse sine vbi determinatè sumpto*, Nego. *indeterminatè sum-*

pto, Concedo. *ergo vbi determinatè sumptum non potest abesse citra subiecti exigentiam*, Nego. *indeterminatè sumptum*, Concedo.

Contrà. Sine eo subiectum esse non potest, quod ab eo abesse non potest sine eius corruptione; atqui vbi etiam determinatè sumptum abesse non potest à suo subiecto sine ipsius corruptione: ergo subiectum non potest esse sine vbi determinatè sumpto.

Minor pr. Tam vbi determinatè sumptum abesse non potest, sine subiecti corruptione, quàm aliud accidens commune adesse cum eius corruptione; atqui aliud accidens commune non potest adesse sine subiecti corruptione: ergo vbi determinatè sumptum abesse non potest à suo subiecto sine ipsius corruptione.

Minor pr. Mors est accidens commune; atqui non potest adesse sine subiecti corruptione: ergo aliud accidens commune non potest adesse sine subiecti corruptione.

Minor pr Subiectum eius est Socrates, aut Plato: atqui mors adesse non potest sine destructione Socratis, & Platonis : ergo mors non potest adesse sine subiecti corruptione.

Maior pr. Illud est subiectum mortis, de quo dicitur mortuum; atqui mortuum dicitur de Socrate, & Platone : ergo subiectum mortis est, Socrates, aut Plato.

Solutio : *Illud est subiectum mortis, de quo dicitur mortuum tanquã de subiecto inhæsionis*, Concedo. *tanquã de subiecto denominationis*, Nego. *atqui mortuum dicitur de Platone, & Socrate tanquam de subiecto denominationis*, Concedo.

tanquam de subiecto inhæsionis. Nego.

Contrà. Mortuum dicitur de aliquo tanquam de subiecto inhæsionis; atqui nullum est aliud eius subiectum inhæsionis, quam Socrates, aut Plato: ergo dicitur de Socrate, & Platone tanquam de subiecto inhæsionis.

Minor pr. Illud est subiectum inhæsionis mortui, in quo non est vita; atqui nullum est aliud, in quo non sit vita, quàm Socrates aut Plato: ergo nullum est aliud eius subiectum, quàm Socrates, aut Plato.

Solutio: *Neganda est minor, & dicendum illud aliud esse corpus, quia cum vita substantialis, de qua est sermo sit anima clarum est, quod absit à corpore, & in eo non sit dissoluta vnione, per quam ei coniungebatur. A Socrate vero, aut Platone minimè; quippe qui consistere non possint, anima recedente à corpore. Nihil enim aliud est Socrates, quam corpus cũ anima, & vtriusque vnio simul sumpta.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Accidens secundò intentionaliter sumptum benè definitur prædicabile de multis in quale merè contingens.

QVÆ dicta sunt in explicatione aliorum vniuersalium obscurum esse non patiuntur quid sit prædicabile de multis, per quod conuenit cum aliis vniuersalibus, aut in quale merè contingens, per quod ab illis differt.

Obijcitur Nihilominus ad probandum non esse prædicabile de multis.

Albus, Doctus, pius sunt accidentia cõmunia;

atqui non ſunt prædicabilia de multis: ergo accidens commune; non eſt prædicabile de multis.

Minor pr. Illa multa, de quibus dici poſſunt prædicabilia ſunt v. g. Petrus, Paulus, Ioannes, &c. atqui non ſunt prædicabilia de illis: ergo nec de multis.

Minor pr. Illud non eſt prædicabile de alio, quod non eſt idem cum illo; ſed albus, doctus, &c. non ſunt idem cum Petro, Paulo &c. ergo non ſunt prædicabilia de illis.

Minor pr Illud non eſt idem cum Petro, Paulo &c. quod ab illis poteſt ſeparari; atqui albus, doctus &c. poſſunt ſeparari à Petro, Paulo &c. ergo non ſunt idem cum illis.

Solutio: *Illud non eſt idem cum Petro, Paulo &c. eſſentialiter, quod poteſt ab illis ſeparari.* Concedo. *Accidentaliter*, Nego. *& conceſſa minori: ergo non ſunt idem cum illis eſſentialiter*, Concedo. *accidentaliter*, Nego.

Contrà. Quod eſt idem accidentaliter cum alio eſt idem cum illo eſſentialiter; atqui ex conceſſis albus, doctus &c. ſunt idem accidentaliter cum Petro, Paulo, &c. ergo ſunt idem cum illis eſſentialiter.

Maior pr. Quod eſt eſſentiale alicui eſt idem cum eo eſſentialiter: atqui quod eſt idem cum alio accidentaliter eſt illi eſſentiale: ergo quod eſt idem accidentaliter cum alio eſt idem cum illo eſſentialiter.

Solutio: *Quod eſt eſſentiale alteri ſecundùm totum, quod importat, eſt idem cum illo eſſentialiter*, Concedo. *quod eſt eſſentiale alteri ſecundùm partem tantùm eius, quod importat*, Nego. *atqui*

quod est idem cum alio accidentaliter est illi essentiale secundùm totum, quod importat, Nego. *secundùm partem tantum*, Concedo. *secundùm quam consequenter cum non sit idem, sed distinctũ mirum non est, quod possit se parari. Ad hoc enim, vt alicui non tribuatur totum, sufficit vt aliqua eius pars ei tribui non possit, illa scilicet, qua separatur ab alia.*

Contrà. Quod est essentia alterius est ipsi essentiale secundùm totũ, quod importat; atqui quod est idem cum alio accidentaliter est illius essentia: ergo est illi essentiale secundum totum, quod importat.

Solutio: *Quod est essentia alterius secundùm totum, quod importat, est ipsi essentiale secundum totum, quod importat*, Concedo. *quod est essentia alterius tantum secundum partem eius, quod importat*, Nego. *atqui quod est idem cum alio accidentaliter est essentia ipsius secundùm totum, quod importat*, Nego. *secundùm partem*, Concedo.

Contrà. Quod est ipsummet esse alterius, & eius entitas est essentia ipsius secundum totum, quod importat; atqui quod est idem cũ alio accidentaliter est ipsũmet eius esse, & entitas: ergo & essentia secundum totum, quod importat.

Solutio: *quod est ipsummet esse alterius, & entitas secundum totum, quod importat est eius essentia secundum totum, quod importat*, Concedo. *quod est esse alterius tantum secundum partem est eius essentia, secundum totum, quod importat*, Nego. *esse enim, & essentia sunt idem, ac proinde eo tantum modo; quo aliquid est primum, esse potest secundum; atqui quod est idem cum alio acci-*

dentaliter, Est esse alterius secundum totum, quod importat, Nego. *secundum partem*, Concedo.

Contrà. Quidquid est verè idem cum alio est esse illius, & entitas secundum totum, quod importat; atqui quod est idem cum alio accidentaliter est verè idem cum illo: ergo est ipsius esse & entitas secundum totum, quod importat, seu secundum se totum.

Solutio: *Quidquid est verè idem cum alio essentialiter est esse illius, & entitas secũdum totum, quod importat*, Concedo. *quod est verè idem tantum accidentaliter*, Nego. *atqui quod est idem accidentaliter cum alio est verè idem cum illo accidentaliter*, Concedo. *essentialiter*, Nego.

Contrà. Nihil potest esse idem cum alio accidentaliter: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod est idem cum alio accidentaliter potuit non esse idem cum illo: atqui nihil potuit non esse idem cum eo, cum quo aliquando est idem: ergo nihil potest esse idem cum alio accidentaliter.

Solutio: *Quod est idem cum alio accidentaliter potuit non esse idem cum illo, secundum totũ, quod importat*, Nego. *secundum partem, illam scilicet, secundum quam distinguitur, & neciam nec vnquam fuit, aut erit identificatum*, Concedo. *atqui nihil potuit non esse idem cum eo, cum quo aliquãdo est idem secundum se totum, & omnia, quæ importat*, Concedo. *cum quo est tantum idem ex parte*, Nego. *secundum enim alteram partem non modo potuit non esse idem, sed de facto etiam tunc, cum dicitur esse idem, ab illo distinguitur; Affirmatur enim tantum idem secundum vnam partem,*

quæ sit coniuncta alteri, seu per illam habens coniunctionem eum altera; Coniũctio autem duorum non est vnum solum ex illis, sed ambo simul cum ipsorum vinculo, ac proinde cum pereunte vel vna parte pereat totum, quod conflabat mirum non est, quod pereat coniunctum, seu habens coniunctionem licet non pereat illud secundum quod affirmabatur esse idem cum habente coniunctionem.

Contrà. Nihil potest non esse, quod est; atqui quod potuit nõ esse idem cum alio, cum quod est idem tantum ex parte potest non esse, quo est: ergo nihil potuit non esse idem cum eo, cum quo est idem tantum ex parte.

Solutio: *Atqui quod potuit non esse idem cum alio secundum se totum, cum quo est idem tantum ex parte potest non esse quod est*, Concedo. *quod potest non esse idem cum alio ex parte tantum*. Nego. *ergo nihil potest non esse idem cũ alio secundũ se totum seu omnia, quæ importat, cum quo est tantum idem ex parte*, Concedo. *secundum partem*, Nego. *Aliquid identificari potest alteri duobus modis, Primo ita vt nihil importet, quod non sit idem cum eo. Secundo ita vt importet aliquid distinctum, Primo modo quod posset non esse idem cum alio, posset non esse quod est. Secundo modo nihil est periculi, sequitur enim tantum illud distinctum, quod importat tolli, & destrui coniunctionem, quæ antea erat, quod quàm facilè fiat ostendit quotidiana experientia in mille casibus.*

Ex dictis inferes primo particulam in definitione accidentis, sine subiecti corruptione, idem esse, ac sine subiecti exigentia, seu absque eo, quod fiat vlla vis, & iniuria subiecto,

Secundo prædicatum illud tantum, esse idem essentialiter cum subiecto, quod nihil importat neque in recto, neque in obliquo, quod non importetur ab isto in recto, vel in obliquo. Quando enim prædicatum importat aliquid in recto, aut in obliquo, quod non importatur à subiecto, sunt tantum idem accidentaliter; quæ identitas accidentalis in eo consistit, quod illud non importatum à subiecto, ei sit quidem coniunctum, possit tamen non esse connexum.

SECTIO VI.
De Indiuiduo.

CVM vniuersalia, seu superiora, vt pote correlatiua inferiorum, seu indiuiduorum rectè intelligi sine horum explanatione non possint quæ ad ea pertinēt, examinabimus ista sectione.

PRIMA CONCLVSIO:

Indiuiduum secundo intentionaliter sumptū rectè dicitur prædicabile de vno tantùm, seu quod de vno tantum potest affirmari.

QVOD per se clarum est, & clarius adhuc fiet solutione eorum, quæ contra opponuntur.

Obijcitur. Ergo.

Illud non est prædicabile de vno tantum, quod de nullo est prædicabile; atqui indiuiduum de nullo est prædicabile: ergo non est prædicabile de vno tantum.

Minor pr. Quod de nullo dici potest, de nullo est prædicabile; atqui indiuiduum de nullo dici potest: ergo de nullo est prædicabile.

Minor pr. Indiuiduum est idem, ac vnum numero; atqui vnum numero ex Aristotele in Antepraedicamentis cap. 2. de nullo dici potest: ergo nec indiuiduum.

Solutio: *Ex Aristotele vnum numero de nullo dici potest tanquam superius de inferiori*, Concedo. *tanquam aquale de aquali*, Nego. *ergo indiuiduum de nullo dici potest tanquam superius de inferiori*, Concedo. *tanquam aquale de aquali*, Nego. *hoc est, illud de quo pradicatur indiuiduum non est ipso inferius, sed ipsi aquale, seu nec magis, nec minus latè patens.*

Contrà. Quod praedicatur de multis non praedicatur de vno tantum, tanquam aequale de aequali; atqui vnum numero praedicatur de multis: ergo non praedicatur de vno tantùm tanquam aequale de aequali.

Minor pr. Petrus, Paulus, Iacobus sunt multa; atqui vnum numero praedicatur de illis: ergo & de multis.

Solutio: *Atqui vnum numero pradicatur de illis implicitè, & confusè cognitum*, Concedo. *explicitè, & distinctè cognitum*, Nego. *ergo pradicatur de multis confusè cognitum*, Concedo. *distinctè*, Nego. *Indiuiduum confusè dicitur concipi cum terminat cognitionem de ipso explicantem, hoc, quod est, esse indiuisibile in alia eiusdem nominis, & rationis, quod sine dubio est commune multis, & de vnoquoque illorum potest affirmari. Distinctè vero cognoscitur, cum est obiectum cognitionis, qua huius in particulari Petri, v. g. sunt propria repraesentantis, vi cuius, vt clarum est de vnico Petro pradicari potest.*

CONCLVSIO SECVNDA:
Indiuiduum vagum non est vniuersale.

ILLVD non est vniuersale, quod non est vnum in multis; atqui indiuiduum vagum non est vnum in multis: ergo nec vniuersale.

Prima pars minoris in qua est difficultas pr.

Quod non est vnum neque intrinsecè, neque extrinsecè non est vnum; atqui indiuiduum vagum non est vnum neque intrinsecè, neque extrinsecè: ergo nullo modo est vnum.

Minor pr. Quod non est vnum in se, neque per cognitionem, non est vnum neque intrinsecè, neque extrinsecè; atqui indiuiduum vagum, neque est vnum in se, neque per cognitionem: ergo indiuiduum vagum non est vnum neque intrinsecè, neque extrinsecè.

Minor pr. Quod est in se multa, & non terminat cognitionem confusam, non est vnum in se, neque per cognitionem; atqui indiuiduum vagum est in se multa, & non terminat cognitionem confusam: ergo non est vnum in se, neque per cognitionem.

Minor pr. Indiuiduum vagum est id, quod repræsentatur per cognitionem respondentẽ istis vocibus, aliquis homo; atqui quod repræsentatur per illam cognitionem est in se multa, & non terminat cognitionem confusam: ergo indiuiduum vagum est in se multa, & non terminat cognitionem confusam.

Secunda pars Minoris non terminare cognitionem confusam probatur.

Illa cognitio non est confusa, quæ repræsen-

tat distinctionem sui obiecti; atqui cognitio, quæ explicatur per istas voces, aliquis homo, repræsentat distinctionem sui obiecti: ergo non est confusa.

Minor pr. Cognitio, quæ dicit hunc, vel illum hominem, &c. repræsentat distinctionem sui obiecti; atqui cognitio, quæ explicatur per istas voces aliquis homo, repræsentat hunc, vel illum, vel istum hominem, &c. ergo repræsentat distinctionem sui obiecti.

SECTIO VII.

De Diuisione Vniuersalis.

DECLARATIS quinque vniuersalibus,& quæ sunt propria indiuidui,facilius erit iam definire:an adęquata sit Vniuersalis in illa diuisio?

VNICA CONCLVSIO:

Diuisio Vniuersalis in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens est adæquata.

ILLA diuisio est adæquata, in qua membra diuidentia continent quidquid diuisum; atqui membra istius diuisionis continent quidquid diuisum: ergo ista diuisio est adæquata.

Minor pr. Diuisum est vniuersale, membra diuidentia sunt genus, species, differentia, proprium, & accidens; atqui genus, species, &c. continent quidquid vniuersale: ergo & quidquid diuisum.

Minor pr. Vniuersale est vnum in multis; atqui genus, species, &c. continent quidquid v-

num in multis : ergo & quidquid vniuersale.

Minor pr. Quod est vnum in multis non potest esse in illis, nisi vel essentialiter, vel accidentaliter; atqui genus; species, &c. continent quidquid est in multis essentialiter, & accidentaliter: ergo & quidquid est vnum in multis.

Minoris prima pars, continere quidquid est in multis essentialiter probatur.

Quod est in multis essentialiter est in illis, vel complete, vel incomplete, vel per modum per se stantis, vel per modum adiacentis, atqui genus, species, & differentia continent quidquid est in multis essentialiter complete, & incomplete, per modum per se stantis, & per modum adiacentis: ergo genus, species, & differentia continent quidquid est in multis essentialiter.

Minor pr. Illa, quæ sunt in multis, essentialiter vnum complete, alterum incomplete duo ad modum per se stantis, & alterum ad modum adiacentis continent, quidquid est in multis essentialiter complete, & incomplete, ad modum per se stantis, & per modum adiacentis; atqui genus est in multis essentialiter incomplete, species complete, & ambo ad modum per se stantis: differentia vero ad modum adiacentis : ergo genus, species & differentia continent quidquid est in multis essentialiter.

Secunda pars minoris superioris argumenti, numero quarti, continere quidquid est in multis accidentaliter probatur.

Nihil est in multis accidentaliter, nisi vel necessariò, vel merè contingenter ; atqui propriũ, & accidens continent quidquid est in multis ac-

cidentaliter necessariò, & merè contingenter: ergo & quidquid est in multis accidentaliter.

Minor pr. Illa, quorum vnum est in multis accidentaliter necessariò, & alterum merè contingenter continēt quidquid est in multis accidentaliter necessariò, & merè contingenter; atqui proprium est in multis accidētaliter necessariò, & accidens merè contingenter: ergo proprium, & accidens continent quidquid est in multis accidentaliter necessariò, & merè contingenter.

Obijcitur. Genus, species, differentia, proprium, accidens non continent quidquid vniuersale, seu vnum in multis: ergo huius diuisio in illa non est adæquata.

Antecedens pr. Non continent nisi illa, quæ sunt vnum aliquod illorum; atqui quidquid est vnum in multis, non est vnum aliquod illorum: ergo non continent quidquid vnum in multis.

Maior pr. Definitio est vnum in multis; atqui definitio non est vnum aliquod illorum: ergo quidquid est vnum in multis non est vnum aliquod illorum.

Solutio: *Definitio est vnum in multis incomplexum,* Nego. *complexum,* Concedo. *& concessa minori: ergo quidquid est vnum in multis complexum non est vnum aliquod illorum,* Concedo. *incomplexum,* Nego.

Contrà. Vniuersale est vnum in multis incomplexum; atqui non est vnum aliquod illorum: ergo quidquid est vnum in multis etiam incomplexum, non est vnum aliquod illorum.

Minor pr. Non est genus, species, differentia proprium, nec accidens: ergo non est vnum aliquod illorum.

Respondeo *esse genus.*

Contrà. Non est genus in communi, nec aliquod particulare genus : ergo non est genus.

Respondeo *esse genus particulare.*

Contrà Quod est genus particulare est inferius genere in communi ; atqui vniuersale non est inferius genere in communi: ergo nec particulare genus.

Minor pr. Quod est superius genere in communi non est eo inferius; atqui vniuersale est superius genere in communi:ergo non est eo inferius.

Solutio : *Quod est superius genere in communi, non est inferius genere in communi sub eodem respectu*, Concedo. *sub diuerso*, Nego. *& concessa minori: ergo non est eo inferius sub eodem respectu*, Concedo. *sub diuerso*, Nego.

Contrà. Vniuersale non potest esse sub diuersa consideratione superius, & inferius genere:ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Vniuersale non potest esse superius, & inferius etiam sub diuersa consideratione se ipso ; atqui esse superius, & inferius genere sub diuersa ratione est esse inferius, & superius se ipso:ergo etiam sub diuersa consideratione non potest esse superius; & inferius genere.

Maior pr. Non potest assignari diuersa illa consideratio, sub qua vniuersale sit superius, & inferius se ipso : ergo non potest vllomodo esse superius, & inferius se ipso.

Respondeo : *Negando antecedens, ratio est, quia quatenus terminat cognitionem repræsentantem id, quod est esse vnum in multis in quid*

incompletè eſt inferius ſe ipſo, prout verò terminat aliam cognitionem repræſentantem id, quod eſt eſſe vnum in multis commune omnibus illis in particulari eſt ſuperius, ſeu magis latè patens, complectitur enim non tantùm prædicabile in quid incompletè, ſed etiam completè, in quale quid, in quale neceſſariò, & in quale merè contingenter.

Contrà. Nihil poteſt eſſe indiuiduum eius, reſpectu cuius eſt genus; atqui diuerſæ illæ conſiderationes, aſſignatæ faciunt vniuerſale eſſe indiuiduum eius, reſpectu cuius eſt genus: ergo illæ diuerſæ conſiderationes nullæ ſunt.

Solutio: *Neganda eſt maior. Ratio eſt, quia cum eſſe genus, & eſſe indiuiduum in materia, de qua loquimur petatur à varijs cognitionibus, & eadem res poſſit illis ſubeſſe, vt clarum eſt, prout ſubeſt vni dicitur indiuiduum, & prout ſubeſt alteri genus, in quo non eſt maius inconueniens, quam ratione illarum diuerſarum cognitionum, idem eſſe ſuperius, & inferius ſe ipſo prout explicatum eſt.*

SECTIO VIII.

De Prædicatione vniuerſalium in Abſtracto, & in Concreto.

PRÆCIPVA vtilitas ex explanatione vniuerſalium, percipi ſolita eſt notitia quomodo de ſe inuicem prædicari debeant. Ea, ne ignota ſit facient ſequentes concluſiones.

Prima Conclvsio:

Concreta vniuerſalia prædicari poſſunt directè, & indirectè de aliis concretis Vniuerſalibus.

Animal, homo, rationale, &c. ſunt concreta vniuerſalia; atqui illa prædicari poſſunt directè, & indirectè de aliis concretis vniuerſalibus: ergo concreta vniuerſalia prædicari poſſunt directè, & indirectè de aliis concretis vniuerſalibus.

Minoris prima pars probatur.

Illud prædicatur directè de alio, quod eſt idem cum illo, forma tamen, aut pars reſpectu illius; atqui quædam concreta vniuerſalia ſunt verè idem cum aliis, & ſunt forma, aut pars reſpectu illorum: ergo prædicari poſſunt directè, de aliis concretis vniuerſalibus.

Secunda pars minoris eſſe idem cũ aliis probatur.

Animal eſt cõcretum vniuerſale, homo etiam eſt concretum vniuerſale; atqui illa ſunt idẽ inter ſe: ergo concreta quædam ſunt idẽ cũ aliis.

Secunda pars minoris, & ſunt forma, aut pars reſpectu illorum probatur.

Inferius eſt forma reſpectu ſuperioris, & genus pars reſpectu ſpeciei; atqui rationale eſt inferius, & animal ſuperius, animal eſt genus, & homo ſpecies: ergo rationale ſe habet vt forma, reſpectu animalis, & animal vt pars reſpectu hominis.

Secunda pars concluſionis prædicari indirectè pr.

Illud prædicatur indirectè de alio, quod est totum, vel subiectum respectu alterius; atqui homo est totum, respectu animalis, & animal subiectum respectu rationalis: ergo homo prædicatur indirectè de animali, & animal de rationali.

Prima pars minoris probatur.

Illud se habet, vt totum respectu alterius, quod illud includit, & præterea aliquid aliud; atqui homo includit animal, & aliquid aliud, scilicet rationale: ergo homo est totum respectu animalis.

Secunda pars minoris superioris argumenti pr.

Illud se habet vt subiectum respectu rationalis, quod eo magis latè patet; atqui animal latius patet rationali: ergo habet se vt subiectum respectu illius.

CONCLVSIO SECVNDA:

Quædam abstracta verè prædicantur de concretis, & vice versa; quædam verò non.

PRIMA *Pars probatur.*

Deitas est abstractum, & Deus concretum; atqui deitas potest verè asseri de Deo: ergo & abstractum dici de concreto.

Minor pr. Quando subiectum, nihil dicit in recto, quod non dicat pariter prædicatum; hoc potest asseri de illo; atqui Deus nihil dicit in recto, quod non dicat deitas: ergo deitas potest verè asseri de Deo.

Minor pr Deus in recto nihil aliud dicit, quàm

naturam diuinam ; atqui deitas dicit eamdem naturam diuinam : ergo Deus nihil dicit in recto, quod non dicat deitas.

Secunda pars conclusionis, quædam abstracta non prædicari de concretis pr.

Albedo, dulcedo, nigredo sunt abstracta, & album, dulce, nigrum concreta ; atqui albedo, dulcedo, & nigredo non possunt dici de albo, dulci, & nigro : ergo quædam abstracta non possunt dici de concretis.

Minor pr. Quotiescumque quod dicit prædicatum non est idem cum eo, quod dicit subiectum in recto, toties non potest asseri vnum de alio; atqui quod dicunt, albedo, nigredo, & dulcedo, non est idem cum eo, quod dicit album, nigrum, & dulce in recto : ergo albedo nigredo, & dulcedo dici non possunt de albo, nigro, & dulci.

Minor pr. Quod dicit album in recto est subiectum albedinis, & nigrum subiectum nigredinis, &c. atqui albedo non est idem cum subiecto albedinis, neque nigredo cum subiecto nigredinis : ergo quod dicit albedo, & nigredo non est idem cum eo, quod dicit album, & nigrum in recto.

Minor pr. Subiectum albedinis est paries, v. g. atqui albedo non est idem cum pariete : ergo albedo non est idem cum subiecto albedinis.

Maior præcedentis argumenti pr.

Quod dicit album in recto est habens albedinem ; atqui subiectum albedinis est idem cum eo quod est habens albedinem : ergo quod dicit album in recto est subiectum albedinis.

CONCLVSIO TERTIA:

Quædam abstracta prædicari possunt de alijs abstractis sui subiecti, quædam verò minimè.

PRIMA *pars conclusionis probatur.*

Animalitas, & rationalitas sunt abstracta vnius, & eiusdem subiecti; atqui potest rationalitas prædicari de animalitate & contra: ergo abstracta possunt de se inuicem prædicari.

Minor pr. Quotiescumque quod dicit prædicatum est idem cum eo, quod dicit subiectum in recto, toties potest vnum asseri de alio; atqui nihil dicit rationalitas in recto, quod non dicat animalitas & contra: ergo rationalitas potest prædicari de animalitate, & contra animalitas de rationalitate.

Minor pr. Animalitas dicit tantùm vim productiuam sensationum, & rationalitas vim productiuam ratiocinationum; atqui vis productiua sensationum, est idem cum vi productiua ratiocinationum: ergo nihil dicit rationalitas in recto, quod non dicat animalitas.

Secunda pars conclusionis quædam abstracta non prædicari de alijs abstractis sui subiecti probatur.

Albedo, dulcedo, &c. sunt abstracta eiusdem subiecti lactis, v. g. atqui non possunt de se inuicem prædicari: ergo quædam abstracta non possunt de se inuicem prædicari.

Minor pr. Quæ distinguuntur realiter non pos-

ſunt de ſe inuicem prædicari; atqui albedo, & dulcedo lactis, v. g. diſtinguuntur realiter: ergo non poſſunt de ſe inuicem prædicari.

Minor pr. Illa diſtinguuntur realiter, quorum vno exiſtente non exiſtit aliud; atqui exiſtente albedine in lacte non exiſtit in eo dulcedo: ergo diſtinguuntur realiter.

Minor pr. Cum lac fit amarum non exiſtit in eo dulcedo; atqui lac fit ſæpè amarum retenta tota ſua albedine: ergo exiſtente albedine in lacte non exiſtit in eo dulcedo.

QVARTA CONCLVSIO:

Concreta ſecundæ intentionis, verè prædicantur de concretis primæ, & ſecundæ.

PRIMA *pars probatur.*

Concreta ſecundæ intentionis ſunt genus ſpecies, differentia, &c. & concreta primæ animal, homo, & rationale, atqui ſpecies, & differentia, prædicari poſſunt de animali, homine, & rationali: ergo concreta ſecundæ intentionis prædicari poſſunt de concretis primæ intentionis.

Minor pr. Genus eſt idem cum animali, ſpecies cum homine, & differentia cum rationali: ergo genus, ſpecies, & differentia prædicari poſſunt de animali, homine, & rationali.

Prima pars antecedentis probatur.

Animal eſt verè genus: ergo genus eſt idem cum animali.

Antecedens pr. Quod eſt vnum in multis in

quid incompletè est verè genus; atqui animal est vnum in multis in quid incompletè, ex dictis supra sectione prima de genere: ergo est verè genus.

Secunda pars conclusionis, concreta secundæ intentionis prædicari de aliis similibus concretis probatur.

Concreta secūdæ intētionis sunt genus, species, differentia, &c. atqui de illis concretis verè prædicatur aliud concretum secundæ intentionis: ergo de concretis secundæ intentionis, potest prædicari aliud concretum secundæ intētionis.

Minor pr. Vniuersale est concretum secundæ intentionis; atqui verè potest prædicari de genere, specie, differentia: ergo concretum secundæ intentionis potest prædicari de genere, specie, differentia.

Minor pr. Vniuersale est idem cum genere, specie & differentia: ergo potest prædicari de illis.

Minor pr. Vniuersale est idem cum eo, quod verè est vniuersale; atqui genus verè est vniuersale: ergo est idem cum genere.

CONCLVSIO QVINTA:

Abstracta secundæ intentionis prædicari non possunt de concretis primæ.

ABSTRACTVM secūdæ intentionis est genereitas, speciecitas, differentieitas, & concreta primæ sunt animal, homo, & rationale; atqui genereitas, speciecitas, & differentieitas non possūt prædicari de animali homine, & rationali: ergo abstra-

abſtracta ſecundæ intentionis, non poſſunt prædicari de concretis primæ.

Minor pr. Quod diſtinguitur ab animali, homine, & rationali, non poteſt de illis prædicari: atqui genereitas ſpecieitas, & differentieitas diſtinguuntur ab animali, homine, & rationali: ergo non poſſunt prædicari de illis.

Minor pr. Genereitas ſpecieitas, & differentieitas ſunt cognitio confuſa, ſaltem ex parte, ex diſputatione prima de vniuerſalibus in communi: atqui cognitio confuſa non eſt idem cum animali, homine, & rationali: ergo genereitas ſpecieitas, & differentieitas diſtinguuntur ab animali, homine & rationali.

Minor pr. Accidens non eſt idem cum ſubſtantia: atqui cognitio eſt accidens, & animal, homo, & rationale ſunt ſubſtantia: ergo cognitio confuſa non eſt idem cum animali, homine & rationali.

DISPVTATIO III.

De Antepradicamentis.

SECTIO PRIMA.

De Vniuocis, analogis, & aquiuocis.

DEFINITIONES vniuocorum, analogorum, & æquiuocorum faciles sunt: conueniunt siquidem in eo, quod habeant idem nomen: Differunt verò quòd significatum per illud sit in primis omnino idem: in secundis autem tantum ex parte, & tandem in vltimis nullo modo, sed planè diuersum.

Obijci potest, contra definitionem vltimorum, scilicet, æquiuocorum.

Æquiuoca definiri non possunt: ergo definitio illorum non debet dici quæ habent idem nomen commune, & rationem secundum illud diuersam.

Antecedens pr. Illa definiri non possunt, quæ non sunt vnum; atqui æquiuoca non sunt vnum: ergo definiri non possunt.

Minor pr. Quæ sunt plura, vt plura, & habentia diuersas essentias non sunt vnum; atqui æquiuoca sunt plura, vt plura, & habentia diuersas essentias: ergo non sunt vnum.

Solutio: *Atqui aquiuoca sunt plura, vt plura, & habentia diuersas essentias materialiter*

ſumpta, & prout conſiderantur in ſe, Concedo. *prout conſiderantur, vt conuenientia in eo, quod eſt habere idem nomen, & ſub eo diuerſas eſſentias*, Nego.

Contrà. Æquiuoca non habent idem nomen: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Illud nomen non poteſt dici vnum, & idem, quod eſt multiplex; atqui nomen æquiuocorum eſt multiplex: ergo æquiuoca non habent idem nomen.

Minor pr. Illud nomen eſt multiplex, quod habet multas ſignificationes; atqui nomen æquiuocum habet multas ſignificationes: ergo eſt multiplex.

Maior pr. Concretum, quod habet multas formas eſt multiplex; atqui nomen eſt concretum, & ſignificatio eſt eius forma: ergo nomen quod habet multas ſignificationes eſt multiplex.

Solutio: *Concretum, quod habet multas formas eſt multiplex, ſi ſit ſubſtantiuum*, Concedo. *ſi ſit adiectiuum*, Nego. *atqui nomen eſt concretum ſubſtantiuum*, Nego. *adiectiuum*, Concedo. *Vide quæ diximus diſputatione de vniuerſalibus in communi, ſectione vltima.*

Contrà. Nomen æquiuocum eſt concretum ſubſtantiuum, vt patet in nomine canis: ergo nulla ſolutio.

Reſpondeo. *nomen æquiuocum eſt concretum ſubſtantiuum ſi habeatur ratio modi, quo exprimit ſuum ſignificatum*, Concedo. *ſi habeatur ratio ſignificationis illi aduenientis*, Nego. *Modus, quo nomen concretum æquiuocum exprimit ſuum*

significatum cum sit per modum per se stantis, si habeatur ratio illius dicendum est tale nomen verè, & propriè esse substantiuum. Idem verò si consideretur, vt habet vim significandi, & comparetur cum significatione, & modo, quo ei aduenit, cum is non sit diuersus ab eo, quo albedo aduenit parieti, sicut concretum ex pariete, & albedine est adiectiuum; ita & concretum ex voce, seu sono & significatione illi aduenient.

SECTIO II.

Vtrum ens sit analogum.

VNICA CONCLVSIO:

Ens non est analogum.

ILLVD non est analogum, cuius nomen commune est, & quod significatur per illud nomen omnino idem: atqui nomen entis commune est, & quod significatur per illud omnino idem: ergo ens non est analogum.

Prima pars minoris patet, & secunda pr.

Quod non est vllomodo diuersum est omnino idem: atqui quod significatur per ens nullomodo est diuersum: ergo est omnino idem.

Minor pr. Ens non potest esse diuersum, nisi vel quia non præscindit ab inferioribus, vel inferiora ab ipso, vel quia includit dependentiam, & independentiam, vel quia non conuenit æquè primo suis inferioribus, aut ab illis non partici-

patur æquè primo; atqui nullum horum dici potest: ergo ens nullomodo est diuersum in inferioribus.

Prima pars minoris non esse diuersum, quia non præscindit probatur.

Ens præscindit à suis inferioribus: ergo non est diuersum quia non præscindit.

Antecedens pr. Illud præscindit ab alio, cuius conceptus est diuersus à conceptu alterius, atqui conceptus entis est diuersus à conceptu suorum inferiorum: ergo ens præscindit à suis inferioribus.

Minor pr. Inferiora entis sunt substantia, & accidens, & Deus, & creaturæ, atqui conceptus entis est diuersus à conceptu substantiæ, & accidentis, Dei, & creaturarum: ergo conceptus entis est diuersus à conceptu suorum inferiorum.

Minor pr. Ille conceptus est diuersus à conceptu alterius, vi cuius non possumus reddere rationem de alio; atqui vi conceptus entis non possumus reddere rationem de Deo, & creaturis substantia, & accidente: ergo conceptus entis est diuersus à conceptu substantiæ, & accidentis Dei, & creaturarum.

Minor pr. De illo non possumus reddere rationem, de quo interrogati respondemus nescio, atqui cum quis habet tantùm conceptum entis, interrogatus de substantia, accidente, Deo, & creaturis respondet nescio: ergo vi conceptus entis non possumus reddere rationem de substantia, accidente Deo, & creaturis.

Minor pr. Cum quis habet tantùm conceptum entis, debet ad omnia, quæ ei proponũtur impor-

tantia aliquid supra id,quod est existere respondere nescio; atqui substantia, & accidens, Deus, & creaturæ important aliquid præter existere: ergo cum quis habet tantùm conceptum entis interrogatus de substantia, accidente, Deo, & creaturis respondet nescio.

Minor ne duobus primis pr.

Esse primum in re, & non esse primum in re important aliquid præter existere; atqui substantia est primum in re,& accidens non est primum in re:ergo substantia, & accidens important aliquid præter existere.

Secunda pars tertij syllogismi in probationem conclusionis, ens, scilicet non esse diuersum, quando eius inferiora non præscindant ab ipso pr.

Substantia, & accidens præscindunt ab ente: ergo inferiora entis præscindunt ab ipso.

Antecedens pr. Conceptus substantiæ, & accidentis sunt diuersi à conceptu entis: ergo substantia, & accidens præscindunt ab ente.

Antecedens pr. Vi conceptus substantiæ, & accidentis non possumus reddere rationem de ente: ergo conceptus substantiæ, & accidentis sunt diuersi à conceptu entis.

Minor pr. Conceptus substantiæ exprimitur per istas voces primum in re,& accidentis,quod non est primum in re;atqui vi conceptus expressi per istas voces primum in re, & non primum in re non possumus reddere rationem de ente: ergo vi conceptus substantiæ, & accidentis non possumus reddere rationem de ente.

Minor pr. Vi illius conceptus non possumus reddere rationē de ente,qui non exprimit, quid

ſit poſſe exiſtere; atqui conceptus expreſſus per iſtas voces primum in re, & non primum in re non exprimit quid ſit poſſe exiſtere : ergo vi illius non poſſumus reddere rationem de ente.

Minor pr. Ille conceptus non exprimit, quid ſit poſſe exiſtere, qui æquè applicari poteſt non exiſtentibus, & impoſſibilibus, ac exiſtentibus; atqui primum in re, & non primum in re æquè applicari poteſt impoſſibilibus, & non exiſtentibus, ac exiſtentibus : ergo conceptus expreſſus per iſtas voces primum in re, & non primum in re non exprimit, quid ſit poſſe exiſtere.

Minor pr. Tam benè primum in re applicari poteſt impoſſibilibus, & nō exiſtentibus ac ſubſtantia; atqui ſubſtātia applicari poteſt impoſſibilibus, & non exiſtentibus: ergo & primū in re.

Minor pr. Chimæra eſt impoſſibilis, & Antichriſtus non exiſtens; atqui ſubſtantia applicatur Chimæræ, & Antichriſto : ergo ſubſtantia applicatur impoſſibilibus, & non exiſtentibus.

Minor pr. Subſtantia applicatur iis, quæ dicuntur ſubſtantia; atqui Chimæra, & Antichriſtus dicuntur ſubſtantia : ergo ſubſtantia applicatur Chimæræ, & Antichriſto.

Tertia pars tertij ſyllogiſmi ens non eſſe diuersũ quia includit dependentiam, & independentiã pr.

Ens non includit formaliter dependentiam, & indepēdentiã: ergo nō eſt diuerſum in inferioribus quia includit dependentiã & independentiã.

Antecedens pr. Conceptus entis eſt diuerſus à conceptu dependentiæ, & independentiæ: ergo ens non includit formaliter dependentiam, & independentiam.

Antecedens pr. Vi conceptus entis reddere non possumus rationem de dependentia, & independentia: ergo conceptus entis est diuersus à conceptu dependentiæ, & independentiæ.

Minor pr. Vi conceptus, qui exprimit tantùm id quod est posse existere non possumus reddere rationem de dependentia, & independentia; atqui conceptus entis explicat tantùm id, quod est posse existere: ergo vi conceptus entis non possumus reddere rationem de dependentia, & independentia.

Maior pr. Vi conceptus, qui exprimit tantùm id, quod est posse existere reddere non possumus rationem de eo, quod addit aliquid supra posse existere; atqui dependentia, & independentia addunt aliquid supra posse existere: ergo vi conceptus, qui exprimit tantùm id, quod est posse existere non possumus reddere rationem de dependentia, & independentia.

Minor pr. Quod nihil addit supra posse existere conuenit cuicumque conuenit posse existere; atqui dependentia, & independentia nõn conueniunt cuicumque conuenit posse existere: ergo dependentia, & independentia addunt aliquid supra posse existere.

Minor pr. Posse existere conuenit rebus creatis iam, & existentibus; atqui illis non conuenit independentia: ergo cuicumque conuenit posse existere non conuenit independentia.

Quarta pars minoris tertij syllogismi ens non esse diuersum in inferioribus, quod non participetur ab illis aquè primò pr.

Illud non debet dici facere ens esse diuersum in

inferioribus, quod commentitium est, & si verò esset; esset omnino ad hoc impertinens; atqui quod ens non participetur æquè primo à suis inferioribus saltem aliquibus cõmentitiũ est; & si verum esset, esset omnino ad hoc impertinẽs: ergo ens non est diuersum in inferioribus, quia nõ conuenit, & nõ participatur ab illis æquè primo.

Secunda pars minoris quæ sufficit ad veritatem intentam probatur.

Illud est omnino impertinens, vt ens dicatur diuersum in inferioribus, quod alia similia non impedit esse in illis eadem; atqui non conuenire, & non participari æquè primo, non facit alia similia esse diuersa in inferioribus: ergo quod ens non conueniat æquè primo inferioribus non debet dici esse in illis diuersum.

Minor pr. Similia enti respectu suorum inferiorum sunt, v.g. quantitas, qualitas, & relatio respectu suorum; atqui non conuenire, & non participari æquè primo non impedit ea esse eadem in inferioribus: ergo non conuenire, & non participari æquè primo non facit alia similia esse diuersa in inferioribus.

Minor de qualitate probatur.

Illud non impedit qualitatem esse eamdem in inferioribus, quod non impedit eam esse vniuocam respectu illorum; atqui non conuenire, & non participari æquè primo ab inferioribus non impedit qualitatem esse vniuocam respectu illorum: ergo non conuenire, & non participari æquè primo non impedit qualitatem esse eamdem in inferioribus.

Minor pr. Qualitas in communi est vniuoca

respectu omnium qualitatum; atqui non conuenit, & non participatur æquè primo ab omnibus qualitatibus: ergo non conuenire, & nõ participari æquè primo ab omnibus qualitatibus, non impedit qualitatẽ esse vniuocã respectu illorũ.

Minor pr. In sententia, quã impugnamus illud non conuenit, & nõ participatur æquè primo ab illis qualitatibus, quarũ vna depẽdet essẽtialiter ab alia; atqui vna qualitas dependet essentialiter ab alia: ergo qualitas non conuenit, & non participatur æquè primo ab omnibus qualitatibus.

Minor pr. Intellectus, & intellectio in sententia probabili distinguente potentias ab anima, sunt qualitates: atqui intellectio dependet essentialiter ab intellectu: ergo vna qualitas dependet essentialiter ab alia.

Respondent. *Intellectio dependet essentialiter ab intellectu de facto*, Negant. *Secundùm exigentiam*, Concedunt. *ergo vna qualitas dependet essentialiter ab alia de facto*, Negant. *secundùm exigentiam*, Concedunt.

Contrà. Dependentia essentialis secundum exigentiã tantùm non minus debet impedire vniuocationẽ qualitatis respectu intellectus, & intellectionis, quàm entis respectu substantiæ, & accidentis, atqui impedit per aduersarios vniuocationem entis respectu substantiæ; & accidentis: ergo impedit etiam vniuocationem qualitatis respectu intellectus, & intellectionis.

Minor pr. Accidens non dependet essentialiter de facto, sed tantùm secundùm exigentiã à substantia saltem creata: ergo dependentia essentialis, tantùm secundùm exigentiam ex principiis

aduersariorum impedit vniuocationem entis.

Antecedens pr. Illud nō depēdet essentialiter de facto à substantia creata, quod potest fieri à solo Deo; atqui accidēs fieri potest à solo Deo: ergo nō depēdet essentialiter à substātia creata.

Prima pars minoris primi argumenti probationis quartæ partis, falsum, scilicet, esse ens non participari æquè primo à suis inferioribus pr.

Substantiæ creatæ sunt inferiora entis; atqui conuenit, & participatur æquè primo ab omnibus substantiis creatis: ergo falsum est, quod non conueniat, & participetur æquè primo ab omnibus substantiis creatis.

Minor pr. Illa participant ęquè primo ens, quorum vnum non dependet ab alio essentialiter, neque actu, neque secundum exigentiam; atqui vna substantia creata non dependet ab alia essentialiter neque de facto, neque secundum exigentiā: ergo ens conuenit, & participatur æquè primo ab omnibus substātiis creatis.

Maior est aduersariorum, & minor certissima etiam apud ipsos, quare negare non possunt ens esse vniuocum respectu substantiarum creatarum. Vnde sic argumentor.

Qui admitti t ens vniuocum respectu omnium substātiarum creatarum, negare non potest esse genus respectu illarum; atqui aduersarij hoc negant: ergo malè admittunt ens esse vniuocum respectu omnium substantiarum creatarum.

Maior pr. Quod est pars magis latè patens essentię multorum specie differentium, & illis vniuocum est verè genus respectu illorū; atqui substantię creatæ specie differunt, & ens est pars

essentiæ illorum magis latè patens: ergo qui admittit ens esse vniuocum respectu substantiarum creatarum non potest negare esse genus respectu illarum.

Probatur iam minor præcedentis argumenti.

Ille negat ens esse genus respectu substantiarum creatarum, qui dicit substantiã completam esse summum genus prædicamenti substantiæ; atqui aduersarij asserunt substantiam esse summum genus prædicamenti substantiæ: ergo negare debent ens esse genus respectu illarum.

Maior pr. Qui dicit substantiam esse summum genus respectu substantiarum creatarum, negat, aut negare debet esse vllum aliud prædicatũ illa superius, quod sit genus respectu illarum; atqui ens est prædicatum superius substantia, & genus respectu substantiarum creatarũ ex concessis: ergo ille negat ens esse genus respectu substantiarum creatarum, qui dicit substantiã completã esse summũ genus prædicamẽti substãtiæ.

Respondere *possent*; *atqui ens est prædicatum superius, & respectu substantiarum creatarum genus non transcendens*, Nego. *transcendens*, Concedo. *Substantia autem dicitur tantùm genus supremum, non transcendentium, non verò respectu etiam transcendentium, quale est ens.*

Contrà. Ens in sententia aduersariorum est genus non transcendens respectu substantiarum creatarum: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod non est transcendens est non transcendens; atqui ens in sententia aduersariorum non est genus transcendens: ergo est genus non transcendens.

Minor pr. Ens non potest dici genus transcendens nisi respectu substantiarum, & accidentiũ; atqui non est genus transcendens respectu substantiæ, & accidentis per aduersarios : ergo non est genus transcendẽs in sentẽtia aduersariorũ.

Minor pr. Illud nõ est genus respectu substãtiæ, & accidentis, quod respectu illorum non est vniuocum; atqui ens respectu substantiæ, & accidentis per aduersarios non est vniuocum: ergo ens respectu substãtiæ, & accidẽtis nõ est genus.

Obijcitur. Illud est Analogum, cuius nomen commune est, & quod significatur per illud in inferioribus aliquo modo diuersum; atqui quod significatur per ens est in inferioribus aliquo modo diuersum : ergo ens est Analogum.

Minor pr. Quod imbibitur in inferioribus est aliquo modo in illis diuersum; atqui ens imbibitur in suis inferioribus : ergo est in illis aliquo modo diuersum.

Minor pr. Prædicata transcendentia imbibũtur in inferioribus; atqui ens est prædicatum transcendẽs: ergo ens imbibitur in inferioribus.

Maior pr. Animal est inferius prædicatorum transcendentium; atqui imbibuntur in animali : ergo prædicata transcendentia imbibuntur in inferioribus.

Minor pr. Animal est principium sentiendi; atqui illa imbibuntur in principio sentiendi: ergo imbibuntur in animali.

Minor pr. Principium sentiendi est dans existentiam sensationibus; atqui imbibuntur in dante existentiam sensationibus : ergo & in principio sentiendi.

Minor pr. Illud imbibitur in dante existentiam sensationibus; à quo præscindi non potest dans illis existentiam; atqui dans existentiam sensationibus præscindi non potest à prædicatis transcendentibus: ergo imbibuntur in dante existentiam sensationibus.

Minor pr. Posse existere est prædicatum transcendens; atqui dans existentiam sensationibus non potest præscindi à posse existere: ergo nec à prædicatis transcendentibus.

Minor pr. Illud non potest præscindi à posse existere, cuius conceptus est talis, vt vi illius reddamus rationem de posse existere; atqui vi conceptus dantis existentiam sensationibus possumus reddere rationem de posse existere: ergo præscindi non potest à posse existere.

Minor pr. Vi illius conceptus reddere possumus rationem de posse existere, qui repræsentat existentiam; atqui conceptus dantis existentiam sensationibus repræsentat existentiam: ergo vi illius reddere possumus rationem de posse existere.

Solutio: *Vi illius conceptus reddere possumus rationem de posse existere principij sentiendi, scilicet, qui repræsentat existentiam dantis illam,* Concedo. *existentiam tantum accipientis illam,* Nego. *atqui conceptus dantis existentiam sensationibus repræsentat existentiam accipientis,* Concedo. *dantis ipsius*, Nego.

Contrà: Conceptus qui repræsentat existentiam accipientis formaliter saltem sumpti repræsentat etiam illam dantis; atqui ex concessis cõceptus dantis existentiã repræsentat existen-

tiam accipientis: ergo & ipsius dantis.

Maior pr. Conceptus, qui repræsentat existentiam accipientis formaliter saltem sumpti, repræsentat etiam quidquid est necessarium ad hoc, in eo, qui illam dat; atqui ad hoc necessaria est existentia in dante: ergo conceptus, qui repræsentat existentiam accipientis repræsentat etiam illam dantis.

Solutio: *Conceptus, qui repræsentat existentiam accipientis formaliter sumpti, repræsentat etiam, quidquid est necessarium realiter ad hoc in eo, qui illam dat,* Nego. *quidquid est necessarium in repræsentatione, seu ad illam repræsentationem,* Concedo. *atqui ad hoc necessaria est realiter existentia in dante,* Concedo. *necessaria est in repræsentatione, seu necessariò repræsentatur,* Nego. *Clarum enim est si possint negare aliqui, vt Thomista, illam necessariò requiri realiter in dante, concedendum esse saltem apud illos, non requiri in repræsentatione, & consequenter repræsentari posse existentiam accipientis, non repræsentata illa dantis.*

Ex dictis inferes primò, ad vniuocationem sufficere, quòd aliqua ratio vno communi nomine explicata conueniat multis intrinsecè, hoc enim posito nihil ex requisitis deesse potest, vt probauimus in ente.

Secundò eos, qui negant ens esse vniuocum, difficile saluare posse dari veram æquiuocationē, cùm enim ratio per nomen commune significata debeat esse in inferioribus omnino diuersa, & illa quæcumque tandē sit in ipsorū sententia includat ens, quod ex eorumdem mente, est

partim idem, æquè ac partim diuersum, cùm sit analogum: ipsa etiam videtur debere esse partim eadem, atque ita non esse omnino diuersa, prout requiritur ad æquiuocationem.

Tertiò, Aristotelem cùm dixit in Metaphysica ens non esse genus, quia eius differentiæ sunt ens, nihil aliud voluisse quàm ens non esse genus non transcendens, de huius enim ratione cùm sit non vagari per omnia prædicamenta, vt facit ens, ex eo, quòd hæc sint eius differentiæ, & vnumquodque identificetur, & prædicetur de sua differentia, rectè negauit Philosophus conuenire enti rationem generis non transcendentis, licèt ei propriissimè conueniat illa generis transcendentis.

Quartò, aliquos perperam denegare mutuam præcisionem inter ens, & eius inferiora, propterea quòd hæc eodem modo se habeant respectu illius, quo homo respectu animalis, & rationalis, qui illa ita includit, vt ab iis præscindi non possit: paritas enim nulla omnino est. Ea siquidem, ex quibus constituitur vltimò homo, sunt animal, & rationale, quæ proinde explicari debent in illius conceptu. Ens verò non constituit vltimò sua inferiora, sed tantùm ab illis præsupponitur eo modo, quo alij gradus superiores, vt ex eo patet, quod de serie prædicatorum, v. g. hominis inquiri possit, & disputari num sit possibilis, & possit esse, quo casu certum est non supponi in eo esse illud, quod an sit inquiritur.

DISPVTATIO IV.

De Prædicamento ſubſtantiæ.

PRÆDICAMENTORVM explicatio pertinet propriè ad Metaphyſicam; quia tamen vſus obtinuit, vt aliqua explicentur in Logica, & plura in Phyſica: Receptæ conſuetudini, vt morem geram, ſubſtantiam, & relationem hic explicabo, cætera in Phyſica, vel Metaphyſica commodius explanaturus.

SECTIO PRIMA.

Quod ſit ſummum genus prædicamenti ſubſtantiæ, quæ in ipſo collocentur; & an, & quæ ſubſtantia ſit ſuſceptiua contrariorum?

PRIMA CONCLVSIO:

Summum genus prædicamenti ſubſtantiæ eſt ſubſtantia completa.

ILLVD eſt ſummum genus prædicamenti ſubſtantiæ, quod in ſeriè ſubſtantiarum nullum

habet supra se genus; atqui substantia completa in serie substantiarum nullum habet supra se genus: ergo est summum genus prædicamenti substantiæ.

Minor pr. Prædicata in ista serie sunt substantia, corpus, viuens, animal, homo: atqui ista non sunt supra substantiam: ergo substantia completa in serie eorum, quæ sunt substantia nullum habet supra se genus.

Minor pr. Illa non sunt supra substantiam, quæ minus latè patent substantia: atqui ista minus latè patent substantia: ergo non sunt supra substantiam.

Maior pr. Illud minus latè patet alio, quod conuenit paucioribus, quàm aliud: atqui ista conueniunt paucioribus quàm substantia: ergo minus latè patent substantia.

Minor pr. Illud conuenit paucioribus, quam substantia, quod non conuenit illis omnibus, quibus substantia: atqui ista non conueniunt illis omnibus, quibus substantia: ergo conueniunt paucioribus, quam substantia.

Minor pr. Substantia conuenit illis omnibus, & ijs, quæ opponuntur cuilibet illorum: atqui ipsa non conueniunt ijs, quæ ipsis opponuntur: ergo neque illis omnibus, quibus substantia.

℟ *Obijcitur.* Istud non est summum genus prædicamenti substantiæ, quod habet supra se aliud genus: atqui substantia habet supra se aliud genus: ergo non est summum genus prædicamenti substantiæ.

Minor pr. Substantia habet supra se ens: atqui

ens eſt genus : ergo habet ſupra ſe aliud genus.

Solutio : *Atqui ens eſt genus tranſcendens,* Concedo. *non tranſcendens*, Nego. *ergo ſubſtantia habet ſupra ſe aliud genus tranſcendens,* Concedo. *non tranſcendens*, Nego.

Prædicamenta *autem ſunt tantùm ſeries prædicatorum non tranſcendentium. Ratio verò, quare ens ſit prædicatum tranſcendens, eſt quia conuenit inferioribus variorum prædicamentorum. Cum non tranſcendens debeat tantùm conuenire entibus vnius prædicamenti.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Deus, Angeli, corpora cœleſtia, & ſublunaria ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ.

ILLA omnia ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ, de quibus ſubſtantia completa prædicatur genericè : atqui ſubſtantia completa prædicatur Genericè de Deo, Angelis, corporibus cœleſtibus, & ſublunaribus : ergo Deus, Angeli, corpora cœleſtia, & ſublunaria ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ.

Minor pr. Illud prædicatur genericè de alio, quod prædicatur de illo in quid incompletè; atqui ſubſtantia completa, prædicatur de Deo, Angelis, corporibus cœleſtibus, & ſublunaribus in quid incompletè : ergo & genericè.

Minor pr. Illud prædicatur in quid incompletè de alio, quod non importat totam eius eſſen-

tiam; atqui substantia completa non importat totam essentiam Dei, Angelorum, corporum cælestium, & sublunarium: ergo prædicatur de illis in quid incompletè.

Minor pr. Illud non importat totam essentiam alterius quod non importat omnia eius prædicata communia; atqui substantia completa, non importat omnia prædicata communia Dei, Angelorum, corporum cœlestium, & sublunarium: ergo non importat totam eorum essentiam.

Maior pr. Quod non importat gradum spiritus, neque corporis non importat omnia prædicata communia Dei, Angelorum, corporum cœlestium, & sublunarium; atqui substantia completa non importat gradum spiritus, neque corporis: ergo non importat omnia prædicata communia Dei; Angelorum, corporum cœlestium & sublunarium.

Minor pr. Illud non importat gradum spiritus, neque corporis per cuius conceptum non possumus reddere rationem de spiritu, & corpore; atqui vi conceptus substantiæ completæ non possumus reddere rationem de corpore, & spiritu: ergo substantia completa non importat gradum spiritus, neque corporis.

Obiicitur. Illa non ponuntur in prædicamento substantiæ, respectu quorum substantia completa non est genus; atqui substantia completa non est genus respectu Dei, Angelorum, & corporum cœlestium: ergo Deus, Angeli, & corpora cœlestia non ponuntur in prædicamento substantiæ.

Vltima pars minoris scilicet, substantiam

non eſſe genus reſpectu corporum cœleſtium probatur.

Illud non eſt genus reſpectu corporum cœleſtium, quod eſt genus reſpectu ſublunarium; atqui ſubſtantia completa eſt genus reſpectu corporum ſublunarium: ergo non eſt genus reſpectu cœleſtium.

Maior pr. Quando duo differunt genere, quod eſt genus reſpectu vnius, non eſt genus reſpectu alterius; atqui corpus cœleſte, & ſublunare differunt genere: ergo quod eſt genus reſpectu corporum ſublunarium non eſt genus reſpectu cœleſtium.

Minor pr. Corruptibile, & incorruptibile ex Ariſtotele in lib. de cœlo differunt genere; atqui incorruptibile eſt cæleſte, & corruptibile, ſublunare: ergo corpus cœleſte, & ſublunare differunt genere.

Solutio: *Corruptibile, & incorruptibile differunt genere Phyſico, ſeu materia, tranſeat, differunt genere Logico, ſeu prædicato communi multis in quid incompletè,* Nego. *ergo corpus cœleſte, & ſublunare differunt genere Phyſico, ſeu materia tranſeat. Genere Logico,* Nego. *Dixi tranſeat quia verius eſt materiam cœleſtem, & ſublunarem eſſe eiuſdem ſpeciei.*

Secunda pars minoris, primi argumenti contra concluſionem, ſcilicet ſubſtantiam non eſſe genus reſpectu Angelorum. probatur.

Reſpectu illorum ſubſtantia completa non eſt genus, quæ non habent genus; Atqui Angeli non habent genus: ergo reſpectu Angelorum ſubſtantia non eſt genus.

Minor pr. Illa non habent genus, quæ ſunt expertia omnis potentiæ, atqui Angeli ſunt expertes omnis potentiæ: ergo Angeli non habent genus.

Minor pr. Quod eſt purus actus eſt expers omnis potentiæ; atqui Angeli ſunt puri actus: ergo & expertes omnis potentiæ.

Solutio: *Tranſeat maior & diſtinguo minorem, atqui Angeli ſunt puri actus per excluſionem potentiæ Phyſicæ, hoc eſt, materiæ*, Concedo. *per excluſionem potentiæ Metaphyſicæ, ſeu generis*, Nego. *ergo Angeli non habent genus Phyſicum, hoc eſt, Materiam*, Concedo. *Metaphyſicum*, Nego.

Prima pars, primi argumenti in obiectione facti ſubſtantiam, ſcilicet, non eſſe genus reſpectu Dei probatur.

Reſpectu illius ſubſtantia completa non eſt genus, quod non eſt illius ſpecies, aut indiuiduū; atqui Deus neque eſt ſpecies, neque indiuiduum ſubſtantiæ completæ: ergo ſubſtantia completa non eſt genus reſpectu Dei.

Reſpondeo *eſſe indiuiduum.*

Contrà. Illud non eſt indiuiduum, quod non collocatur ſub vlla ſpecie infima; atqui Deus non collocatur ſub vlla ſpecie infima: ergo Deus non eſt indiuiduum.

Solutio: *Illud non eſt indiuiduum merum, quod non collocatur ſub vlla ſpecie infima*, Concedo. *illud non eſt indiuiduum non merè, ſed ſimul ſpecies ſubiicibilis, quod non collocatur ſub vlla ſpecie infima*, Nego. *& conceſſa minori: ergo Deus non eſt indiuiduum merè*, Concedo. *non me-*

rè seu simul species subiicibilis, Nego.

Contrà. Illud non est species subiicibilis, quod non habet genus; atqui Deus non habet genus: ergo non est species subiicibilis.

Minor pr. Illud non habet genus, in quo nihil est minus perfectum; atqui in Deo nihil est minus perfectum: ergo Deus non habet genus.

Solutio: *Illud non habet genus; in quo nihil est minus perfectum neque realiter, neque ratione nostra*, Concedo. *realiter tantum*, Nego. *atqui in Deo nihil est minus perfectum realiter*, Concedo. *ratione nostra*, Nego.

Contrà. In eo, in quo nulla est compositio, nihil est minus perfectum ratione nostra; atqui in Deo nulla est compositio: ergo in Deo nihil est minus perfectum ratione nostra.

Minor pr. In eo nulla est compositio, quod est quid simplicissimum; atqui Deus est quid simplicissimum: ergo in Deo nulla est compositio.

Solutio: *In eo nulla est compositio, quod est quid simplicissimum realiter, & ratione nostra*, Concedo. *realiter tantum*, Nego. *atqui Deus est quid simplicissimum realiter*, Concedo. *Ratione nostra*, Nego.

Contrà. Illud est quid simplicissimum etiam ratione nostra, in quo non est actus, & potentia Metaphysica; atqui in Deo non est actus, nec potentia Metaphysica: ergo Deus est quid simplicissimum etiam ratione nostra.

Minor pr. Potentia Metaphysica includi non debet in actu Metaphysico; atqui nulla assignari potest potentia Metaphysica in Deo, quæ non

includatur in actu eius Metaphysico: ergo nulla est potentia Metaphysica in Deo.

Minor pr. Actus Metaphysicus Dei est eius differentia; atqui in Deo nulla assignari potest potentia, quæ non includatur in eius differentia: ergo nulla assignari potest potentia Metaphysica in Deo, quæ non includatur in actu eius Metaphysico.

Minor pr. Nulla assignari potest potentia in Deo, quæ non sit perfectio aliqua Dei; atqui omnis Dei perfectio includitur in eius differentia: ergo in Deo nulla assignari potest potentia, quæ non includatur in eius differentia.

Minor pr. Quod est infinitè perfectum includit omnem Dei perfectionem; atqui differentia Dei est infinitè perfecta: ergo omnis Dei perfectio includitur in ea.

Solutio: *Atqui differentia Dei est infinitè perfecta realiter,* Concedo. *ratione nostra,* Nego. *ergo omnis Dei perfectio includitur in illa realiter*, Concedo. *ratione nostra*, Nego.

Infinitè perfectum realiter est illud, quod identificatur rei infinitè perfectæ, qualis est solus Deus, & omnia quæ cum eo sunt idem. Infinitè perfectum ratione nostra est illud, quod terminat conceptum repræsentantem ei conuenire omnes omnino perfectiones, conceptus autem, quo repræsentatur diuina intellectio, qua communiter dicitur Dei differentia non repræsentat hoc, quod est habere omnes perfectiones possibiles; atque ita verum est differentiam Dei non esse infinitè perfectam ratione nostra.

TRA-

Tertia Conclvsio:

Sola substantia prædicamentalis est susceptiua contrariorum vt subiectum quod.

Illvd est susceptiuum contrariorum vt subiectum quod, quod est primum, & vltimum subiectum contrariorum; atqui sola substantia prædicamentalis est primum, & vltimum subiectum contrariorum: ergo sola substantia prædicamentalis est susceptiua contrariorum, vt subiectum quod.

Minor pr. Sola substantia prædicamentalis est primum & vltimum subiectum accidentium; atqui contraria sunt accidentia: ergo sola substantia est primum & vltimum subiectum contrariorum.

Obijcitur. Illud non conuenit soli substantiæ prædicamentali, quod conuenit non prædicamentali, & præterea accidenti; atqui suscipere contraria conuenit substantiæ non prædicamentali, & accidenti: ergo sola substantia prædicamentalis non est susceptiua contrariorum, vt subiectum quod.

Prima pars minoris probatur.

Forma substantialis est substantia non prædicamentalis; atqui illi conuenit suscipere contraria: ergo & substantiæ non prædicamentali.

Minor pr. Anima rationalis est forma substantialis; atqui anima rationalis suscipit contraria: ergo & forma substantialis.

Minor pr. Amor, & odium sunt contraria; atqui

anima rationalis suscipit amorem, & odium: ergo suscipit verè contraria.

Solutio: *Atqui anima rationalis suscipit amorem, & odium vt subiectum quo*, Concedo. *vt subiectum quod*, Nego. *ergo suscipit contraria vt subiectum quo*, Concedo. *vt subiectum quod*, Nego.

Contrà Illud recipit, vt subiectum quod, amorem, & odium, quod nec sustentatur in alio, nec est pars alterius; atqui anima rationalis separata à corpore, nec est pars alterius, nec in alio sustentatur: ergo recipit amorem, & odium vt subiectum quod.

Solutio: *Illud recipit vt subiectum quod amorem, & odium, quod nec sustentatur, nec est pars alterius de facto tantùm* Nego. *quod nec sustentatur, nec est pars de facto, nec exigit sustentari, aut esse pars*, Concedo. *atqui anima rationalis separata à corpore, &c. non est pars de facto*, Concedo. *non exigit esse pars* Nego. *dicit enim ordinem essentialem ad materiam, cum qua est constitutiua totius Physici.*

Secunda pars minoris primi argumenti, conuenire accidenti suscipere contraria probatur.

Quantitas est accidens; atqui quantitas suscipit contraria: ergo conuenit accidenti recipere contraria.

Minor pr. Calor, & frigus sunt contraria, atqui quantitas suscipit calorem, & frigus: ergo & contraria.

Solutio: *Atqui quantitas suscipit calorem, & frigus, vt subiectum quo*, Concedo. *vt subiectum quod*, Nego. *ergo & contraria vt subiectum quod*,

Nego. *vt ſubiectum quo*, Concedo.

Contrà. Quantitas Euchariſtica recipit calorem,& frigus vt ſubiectum quod:ergo quantitas recipit calorem, & frigus vt ſubiectum quod.

Antecedens pr. Illud recipit vt ſubiectum quod calorem, & frigus, quod non ſuſtentatur in vllo alio; atqui quantitas Euchariſtica in nullo ſuſtentatur ſubiecto: ergo recipit calorem, & frigus vt ſubiectum quod.

Solutio: *Illud recipit, vt ſubiectum quod calorem, & frigus, quod non ſuſtentatur in vllo ſubiecto, nec exigit ſuſtentari*, Concedo. *& exigit ſuſtentari*, Nego. *atqui quantitas Euchariſtica non ſuſtentatur in vllo ſubiecto de facto*, Concedo. *non exigit ſuſtentari*, Nego. *Subiectum quod, & vltimum accidentium, neque debet exigere ſuſtentari in alio neque eſſe pars alterius, quod vt patet non conuenit partibus totius, neque vlli accidenti. De earum enim ratione eſt exigere eſſe partem, & iſtius ſuſtentari in alio.*

SECTIO II.

De diuiſione ſubſtantiæ in primam, & ſecundam.

CONCLVSIO VNICA:

Diuiſio ſubſtantiæ in primam, & ſecundam eſt diuiſio ſubiecti in accidentia.

ILLA diuiſio eſt ſubiecti in accidentia, in qua membra diuidentia ſuperaddunt aliquid di-

uiſo per modum formæ, aut quaſi formæ accidentalis; atqui in diuiſione ſubſtantiæ in primam, & ſecundam membra diuidentia ſuperaddunt aliquid diuiſo per modum formæ, aut quaſi formæ accidentalis: ergo diuiſio ſubſtantiæ in primam, & ſecundam eſt diuiſio ſubiecti in accidentia.

Minor pr. Diuiſum eſt ſubſtantia ſecundum ſe; membra diuidentia prima, & ſecunda; atqui prima, & ſecunda ſuperaddunt aliquid ſubſtantiæ ſecundum ſe per modum formæ, aut quaſi formæ accidentalis: ergo membra diuidentia ſuperaddunt aliquid diuiſo.

Minor pr. Nomine primæ ſubſtantiæ rectè intelligi poteſt ſubſtantia ſingularis, ſeu actu exiſtens, & poſita extra cauſas; & ſecundæ, eadem terminans cognitionem confuſam; atqui actu exiſtere, & poſitum eſſe extra cauſas, & terminare cognitionem confuſam ſuperaddunt aliquid ſubſtantiæ ſecundum ſe per modum formæ, aut quaſi formæ accidentalis: ergo ſubſtantia prima, & ſecunda ſuperaddunt aliquid ſubſtantiæ ſecundum ſe per modum formæ, aut quaſi formæ accidentalis.

Minor pr. Illa ſuperaddunt aliquid ſubſtantiæ ſecundum ſe per modum formæ, aut quaſi formæ accidentalis, quæ ſunt aliquid ab ipſa realiter diſtinctum, & ei aduenịunt; atqui actu poſitũ eſſe extra cauſas, & terminare cognitionem cõfuſam ſunt aliquid diſtinctũ à ſubſtantia ſecundum ſe, & ei aduenịunt: ergo poſitum eſſe actu extra cauſas, & terminare cognitionem confuſam ſuperaddunt aliquid ſubſtantiæ ſecundum

se per modum formæ, aut quasi formæ accidentalis.

Minor pr. Illa sunt aliquid distinctum à substantia secundum se, & ei adueniunt, quæ non sunt sola substantia secundum se; & eam præsupponunt, aut ei adhærent; atqui actu positum esse extra causas, & terminare cognitionem confusam non est sola substantia secundum se, & vnum eam præsuponit, & alterum ei adhæret: ergo actu esse positum extra causas, & terminare cognitionem confusam non est sola substantia secundum se.

Minor pr. Quod importat actionem, & cognitionem non est sola substantia secundum se, & vnum eam præsupponit, aut ei adhæret; atqui actu esse positum extra causas importat actionem, & terminare cognitionem confusam, cognitionem, & hæc eam præsupponit, & illa ei adhæret: ergo actu positum esse extra causas, & terminare cognitionem confusam non est sola substantia secundum se.

Obÿcies. Illa diuisio non est subiecti in accidentia, in qua membra diuidentia nihil superaddunt diuiso per modum formæ, aut quasi formæ accidentalis; atqui vnum membrum huius diuisionis, nihil planè superaddit diuiso: ergo ista diuisio non est subiecti in accidentia.

Minor pr. Diuisum est substantia secundum se, & vnum membrum diuidens ipsius secunda substantia; atqui secunda substantia nihil superaddit substantiæ secundum se: ergo vnum membrum huius diuisionis nihil superaddit diuiso.

Minor pr. Secunda substantia nihil aliud dici potest superaddere substantię secundum se, quam vniuersalitatem; atqui secunda substantia non addit substantię secundum se vniuersalitatem: ergo secunda substantia nihil superaddit substantię secundum se.

Minor pr. Illud non addit secunda substantia substantiæ secundum se, quod hæc habet independenter ab illa; atqui substantia secum se verè habet vniuersalitatem: ergo secunda substantia non addit vniuersalitatem substantię secundum se.

Minor pr. Illud habet verè vniuersalitatem, quod est vniuersale; atqui substantia secundum se est vniuersalis: ergo substantia secundum se habet vniuersalitatem.

Minor pr Quod non est singulare est vniuersale; atqui substantia secundum se non est singularis: ergo substantia secundum se est vniuersalis.

Minor pr. Quod non est vnum ex oppositis debet esse aliud; atqui singulare, & vniuersale sunt opposita: ergo quod non est singulare, est vniuersale.

Solutio: *Quod non est vnum ex oppositis, contradictoriè debet esse aliud*, Concedo. *ex oppositis tantùm contrariè, aut quasi contrariè*, Nego. *atqui singulare, & vniuersale sunt opposita contradictoriè*. Nego. *quasi contrariè*. transeat, *sunt enim ambo positiua. Certè quod non est calor non debet esse frigus, & similiter quod non est singulare, seu actualiter existens, aut etiam si velis distinctè cognitum, potest non esse confusè*

cognitum, seu terminare cognitionem confusam, prout requiritur ad vniuersale, & consequenter neque esse vniuersale, quod verissimum est de substantia secundum se, illa enim non terminat, vt supponimus, cognitionem confusam.

Contrà. Ideo tantum negatur substantia secundum se esse vniuersalis, quia non terminat cognitionem confusam; atqui vt sit vniuersalis non requiritur, vt terminet cognitionem confusam: ergo substantia secundum se est vniuersalis.

Minor pr. Vt substantia secundum se sit vniuersalis sufficit, vt habeat vnitatem, & multiplicitatem; atqui licèt non terminet cognitionem confusam habet vnitatem, & multiplicitatem: ergo vt substantia secundum se sit vniuersalis, non requiritur, vt terminet cognitionem confusam.

De multiplicitate certum est eam in substantia secundum se, non desiderari: probatur autem habere vnitatem.

Quod non concipitur habere multiplicitatem, licèt illam verè habeat, habet vnitatem; atqui substantia secundum se, licèt non terminet cognitionem confusam, atque etiam vllam aliam, non concipitur habere multiplicitatem: ergo licèt non terminet cognitionem confusam habet vnitatem.

Solutio: ***Quod non concipitur habere multiplicitatem, illam verè habens, habet vnitatem si de facto concipiatur, & verè sit obiectum cognitionis,*** Concedo. ***si non concipiatur, & non sit obie-***

ctum vllius cognitionis, Nego. *atqui substantia secundum se non concipitur habere multiplicitatem; hoc est non est obiectum vllius planè cognitionis,* Concedo. *est obiectum alicuius cognitionis, vi cuius reddi non possit ratio de eius multiplicitate,* Nego. *hoc autem requiri, vt substantia secundum se habeat vnitatem clarum est, cum enim illam non habeat à se, vtpote multiplex, necessarium est, vt illam mutuetur ab aliquo, & non ab alio, quàm à cognitione ac proinde cum non est obiectum cognitionis, non potest censeri habere vnitatem, & quodinde sequitur neque esse vniuersalis. Quod autem detur casus, in quo substantia neque sit posita extra causas neque terminet cognitionem confusam probat facilè non existentia eius ab aterno, & reliquarum creaturarum, quæ circa ipsam huiusmodi possent elicere cognitionem. Deus enim habere non potest nisi claras, per quas vniuersale non fit.*

Ex dictis præcedentibus sectionibus: Inferes primò ad hoc, vt aliquid ponatur in prædicamento substantiæ, nihil aliud requiri; quam vt substantia completa respectu ipsius sit verè genus, seu de eo prædicetur in quid incompletè: respectu autem eorum omnium prædicatur in quid incompletè, quibus primum in re completum conuenit, & non importat omnia prædicata communia ipsorum. Primum verò in re conuenire Deo, & non importare omnia prædicata communia Dei inde patet, quod Deus sit propriissime, primum in re, neque enim est non primum in re, & præter hoc, quod est esse primum in re habeat aliud prædicatũ inferius cõ-

mune multis gradum, ſcilicet, ſpiritus, per quem conuenit cum Angelis, & alijs ſubſtantijs ſpiritalibus completis, quas poteſt producere.

Secundò cum ad diuiſionem ſubiecti in accidentia neceſſarium ſit, vt membra diuidentia ſuperaddant aliquid diuiſo per modum formæ, aut quaſi formæ accidentalis ſubſtantiam primam ſuperaddere ſubſtantiæ, ſecundum ſe poſitionem extra cauſas, ſeu actionem ſui productiuam, ſecundam verò cognitionem confuſam per quam repræſentatur, primam verò quod ei adhæreat, & ſecundam quod eam præſupponat ſe habere ambas reſpectu ipſius per modum formæ, aut quaſi formæ accidentalis.

Tertiò, ſuſceptiuum contrariorum non eſſe proprium quarto modo, ſeu non conuenire omni ſubſtantiæ prædicamentali, Deus ſi quidem omnium nobiliſſima eſt incapax omnis planè mutationis.

Quartò, cum omnes ſubſtantiæ poni debeant in hoc prædicamento, & quæ ſunt incompletæ vt ſunt materia, forma ſubſtantialis, &c. non poſſint collocari in eo directè (ad hoc enim neceſſarium eſſet, vt ſubſtantia completa, quæ eſt ſummum genus poſſet prædicari de illis, quod vt patet, fieri non poteſt) poni tantum indirectè, & reductiuè, quatenus, ſcilicet, ſunt partes, & aliquid eorum, quæ in ſerie directa ponuntur, ſeu de quibus ſubſtantia completa verè poteſt affirmari tanquam ſuperius de inferiori.

Quinto ſeriem directam prædicatorum homi-

nis, v.g. in hoc prædicamento ſic debere diſponi, vt in ſupremo loco ponatur ſubſtantia completa, ſecundo corpus, tertio viuens, quarto animal, quinto homo, & ſub homine tandem Petrus, Paulus, Ioannes, &c. ſed iſti ſine ſubordinatione inter ſe: ſubſunt enim omnes æquè immediatè homini, ſicut, & alia indiuidua ſuis ſpeciebus.

DISPVTATIO V.

De Prædicamento relationis.

PRÆDICAMENTVM aliud, quod hic explicandum ſuſcepimus, eſt relatio definiri ſolita, *reſpectus vnius ad aliud.* De ea tres præcipuæ ſunt difficultates. Prima quænam relationes conſtituant hoc prædicamentum? Secunda an relatio ſit modus ſuperadditus fundamento, & termino? Et tertia an terminus ſit eius pars?

Sectio Prima.

Quænam Relationes ponantur in hoc Prædicamento.

PRÆCIPVA quidem consensu omnium diuisio relationis est in transcendentalem, & prædicamentalem. An autem ex vtraque constitui debeat hoc prædicamentum; Hic examinandum est.

Prima Conclusio:

Relationes Prædicamentales ponuntur in hoc Prædicamento.

ILLÆ relationes ponuntur in hoc prædicamento, quæ sunt accidentales suis subiectis, & non pertinent vt sic, & vt sunt relatio ad aliud prædicamentum; atqui relationes prædicamentales sunt accidentales suis subiectis, & vt sunt relatio non pertinent ad aliud prædicamentum: ergo relationes prædicamentales ponuntur in hoc prædicamento.

Maior pr. Quod est accidens debet poni in hoc prædicamento, vel pertinere ad aliud: ergo illæ relationes, quæ sunt accidentales suis subiectis, & vt sunt relatio non pertinent ad aliud prædicamentum ponuntur in isto.

Probatur secundo prima pars minoris prioris argumenti.

Illud est accidentale suo subiecto, quod non est adæquatè idem cum illo; atqui relationes prædicamentales non sunt idem adæquatè cum suis subiectis: ergo sunt illis accidentales.

Minor pr. Quod includit terminum distinctum realiter à subiecto non est idem adæquatè cum subiecto: atqui relationes prædicamentales includunt terminum distinctum realiter à suo subiecto, vt probabimus sectione sequenti, conclusione secunda: ergo non sunt idem adæquatè cum subiecto.

Secunda pars minoris primi argumenti in probationem conclusionis, scilicet, relationes prædicamentales vt sunt relatio non pertinere ad aliud prædicamentum probatur.

Alia prædicamenta sunt quantitas, qualitas, &c. Atqui relationes prædicamentales non pertinent ad prædicamentum quantitatis neque qualitatis, &c. ergo non pertinent ad aliud prædicamentum.

Minor pr. Quod non est formaliter quantitas, neque qualitas, &c. non pertinet ad prædicamentum quantitatis, neque qualitatis, &c. atqui relationes prædicamentales formaliter sumptæ non sunt quantitas neque qualitas, &c. ergo non pertinent ad prædicamentum quantitatis, neque qualitatis, &c.

Minor pr. Illud non est formaliter quantitas aut qualitas, &c. cuius conceptus est diuersus à conceptu quantitatis, qualitatis, &c. atqui conceptus relationis prædicamentalis est diuersus à

conceptu quantitatis, qualitatis, &c. ergo relatio prædicamentalis non est formaliter quantitas, aut qualitas, &c.

Minor constabit ex dicendis sectione secunda.

Obijcies. Relatio identitatis inter Petrum, & Paulum simul existentes est prædicamentalis; atqui non ponitur in hoc prædicamento : ergo nec omnes relationes prædicamentales.

Minor pr. Illud non ponitur in hoc prædicamento, de quo summum genus huius prędicamenti non prædicatur; atqui summum genus huius prædicamenti non prædicatur de relatione identitatis inter Petrum & Paulum simul existentes : ergo relatio identitatis inter Petrum & Paulum simul existentes non ponitur in hoc prædicamento.

Minor pr. Summum genus huius prædicamenti non prædicatur de eo, quod non est accidens; atqui relatio identitatis inter Petrum & Paulum simul existentes non est accidens : ergo summum genus huius prædicamenti non prædicatur de ea.

Minor pr. Quod est substantia non est accidens; atqui relatio identitatis inter Petrum & Paulum simul existentes est substantia : ergo non est accidens.

Minor pr. Relatio identitatis inter Petrum & Paulum, sicut & aliæ relationes prędicamentales est sua extrema simul sumpta; atqui Petrus & Paulus eius extrema sunt substantia: ergo relatio identitatis inter Petrum & Paulum simul existentes est substantia.

Respondendum *est ad pracedens argumentum, quod est substantia non est accidens Physicum,* Concedo. *Pradicamentale, seu Logicum,* Nego. *hoc enim non est quemadmodum illud, contrarium, & oppositum substantia, sed sapè ipsamet diuersimodè considerata, aut comparata, & concessa minori: ergo relatio identitatis inter Petrum & Paulum simul existentes non est accidens Physicum,* Concedo. *Pradicamentale, seu Logicum,* Nego. *Esse autem hoc modo accidens sufficit ad habendum locum in pradicamento accidentium, qua non sunt tantum pro accidentibus Physicis, sed etiam pro Logicis, seu inseruientibus ad pradicationem.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Relationes transcendentales non ponuntur in hoc Pradicamento.

RELATIONES, quæ non sunt accidentales suis subiectis, aut pertinent ad alia prædicamenta, non ponuntur in hoc prædicamento; atqui relationes transcendentales sunt essentiales suis subiectis, aut pertinent ad alia prædicamenta: ergo non ponuntur in hoc prædicamẽto.

Prima pars minoris probatur.

Quod est adæquatè idem cum alio est illi essentiale; atqui relationes transcendentales sunt adæquatè idem cum suis subiectis: ergo sunt illis essentiales.

Minor pr. Relationes transcendentales distin-

guuntur in hoc à prędicamentalibus, quod non includant sicut hęc terminum nec quidquam aliud, quam subiectum: ergo sunt adęquatè idem cum subiecto.

Secunda pars minoris, antepenultimi argumenti scilicet, relationes transcendentales pertinere ad aliud prædicamentum probatur.

Relatio actionis ad effectum est transcendentalis, & actio est aliud prędicamentum à relatione; atqui relatio actionis pertinet ad prædicamentum actionis: ergo relationes transcendentales pertinent ad aliud prędicamentum.

Minor pr. Quod est formaliter actio pertinet ad prędicamentum actionis; atqui relatio actionis ad effectum; est formaliter actio & hæc relatio: ergo pertinet ad prędicamentum actionis.

Minor pr. Illud est formaliter relatio, cuius conceptus exprimit respectum vnius ad aliud; atqui conceptus actionis exprimit respectum, seu habitudinem, quam habet ad effectum: ergo actio est formaliter relatio, & contra relatio actionis ad effectum propriissime actio.

Minor pr. Actio nihil est aliud, quam dependentia effectus à causa: ergo conceptus actionis exprimit respectum, seu habitudinem, quàm habet ad effectum.

Obÿcies. Relationes accidentales ponuntur in isto prædicamento; atqui multæ relationes transcendentales sunt accidentales: ergo ponuntur in hoc prædicamento.

Minor pr. Relationes cognitionis ad obiectum

ſunt tranſcendentales; atqui ſunt accidentales: ergo & multę relationes tranſcendentales.

Minor pr. Quod verè, & propriiſſime eſt accidens debet dici accidentale; atqui relationes cognitionis ad obiectum ſunt verè, & propriiſſim e accidens: ergo ſunt verè accidentales.

Solutio: *Quod verè eſt accidens debet dici accidentale, ei reſpectu cuius dicitur accidens*, Concedo. *reſpectu eius, reſpectu cuius non dicitur accidens*, Nego. *ergo ſunt verè accidentales reſpectu eius reſpectu cuius ſunt accidens*, Concedo. *reſpectu cuius non ſunt accidens*, Nego.

Contrà. Nihil eſt, reſpectu cuius cognitio Angelica, v. g. aut humana poſſit dici non eſſe accidens: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Ea, reſpectu quorum cognitio dici poteſt non eſſe accidens ſunt eius ſubiectum, aut obiectum, atqui cognitio eſt accidens reſpectu ſui ſubiecti, & obiecti: ergo nihil eſt reſpectu cuius cognitio Angelica, aut humana poſſit dici non eſſe accidens.

Maior pr. Ea, reſpectu quorum cognitio dici poteſt non eſſe accidens ſunt ſubiectum, & obiectum ipſius, aut ipſamet; atqui non poteſt reſpectu ſuimet dici non eſſe accidens: ergo ea reſpectu quorum dici poteſt non eſſe accidens ſunt eius ſubiectum, aut obiectum.

Minor pr. Cognitio non poteſt dici reſpectu ſui eſſe ſubſtantia: ergo reſpectu ſui non poteſt non dici accidens.

Solutio: *Cognitio reſpectu ſui non poteſt dici eſſe ſubſtantia Phyſica, ſeu de prædicamento ſubſtantia*, Concedo. *ſubſtantia Metaphyſica, ſeu*

essentia, Nego. *hoc enim conuenit omni planè rei: nulla enim est, quæ non habeat sua prædicata substantialia, seu essentialia, & quæ non supponunt aliud prius in eo, quod constituunt. Tale est in cognitione relatio eius ad obiectum, seu huius repræsentatio, quæ preinde non potest dici ei esse accidentalis, & supponere illam iam constitutam in suo esse.*

CONCLVSIO TERTIA:

Diuisio relationum in tria genera, scilicet earum, quæ fundantur, in vnitate, & multitudine, actione & passione, mensura, & mensurabilitate non comprehendit solas prædicamentales.

MEMBRA istius diuisionis, sunt relationes fundatæ in vnitate, actione, aut mensura; atqui istæ relationes includunt aliquas, quæ non sunt prædicamentales: ergo membra istius diuisionis includunt aliquas non prædicamentales.

Minor pr. Relatio cognitionis ad obiectum non est prædicamentalis; atqui istæ relationes includunt illam relationem: ergo & aliquas non prædicamentales.

Maior pr. Relatio, quę est adęquatè idem cum suo fundamento non est prędicamentalis; atqui relatio cognitionis ad obiectum est adęquatè idem cum suo fundamento: ergo non est prędicamentalis.

Minor pr. Fundamentum eius est cognitio; at-

qui est adæquatè idem cum cognitione: ergo & cum suo fundamento.

Minor pr. Quod nihil aliud est, quam cognitio est adæquatè idem cum cognitione; atqui ista relatio nihil est aliud, quam cognitio: ergo est adæquatè idem cum cognitione.

Minor secundi argumenti, supra facti in probationem conclusionis, relationem, scilicet, fundatam in mensura includere cognitionem pr.

Relatio cognitionis est fundata in mensura: ergo relatio fundata in mensura illam includit.

Antecedens pr. Relatio rei, quæ habet suam perfectionem commensuratam alteri, quam respicit fundatur in mensura, sed relatio cognitionis habet suam perfectionem commensuratam ei, quod respicit: ergo fundata est in mensura.

Minor pr. Id quod respicit est obiectum; atqui habet perfectionem commensuratam obiecto: ergo & ei, quod respicit.

Minor pr. Illud habet perfectionem commensuratam obiecto, cuius perfectio eò est maior, quo est nobilius eius obiectum, & minor quo ignobilius; atqui perfectio cognitionis maior est, cum nobilius est eius obiectum, & minor cum ignobilius: ergo cognitio habet perfectionem suam commensuratam obiecto.

Ex dictis inferes primò, ex conditionibus requisitis in relationibus vt ponantur in hoc prædicamento vnam esse, vt sint accidentales: cum enim hoc prædicamentum sit vnum ex illis nouem, quæ tribuuntur accidentibus (alio decimo solo relicto substantiis) nihil in eo poni de-

bet, quòd non ſit accidens, alteram verò conditionem eſſe, vt non tantùm ſint accidentia; ſed præterea ſub illa ratione non pertineant ad aliud prædicamentum, prædicamenta enim, vt vitetur confuſio debent eſſe impermixta ſaltem formaliter.

Inferes ſecundò ſeriem prædicatorum relationis, quæ eſt inter duas quantitates palmares ſic debere ordinari, vt primo loco ponatur relatio prædicamentalis, ſecundo relatio æqualitatis, tertio relatio æqualitatis palmaris; & quartò æqualitas A palmaris, aut B.

SECTIO II.

De diſtinctione relationis à fundamento, & termino, & an hic ſit eius pars.

PRIMA CONCLVSIO:

Relatio non eſt modus ſuperadditus fundamento, & termino.

ILLVD non eſt modus ſuperadditus fundamento, & termino; quod non eſt quid diſtinctum à fundamento, & termino; atqui relatio non diſtinguitur à fundamento, & termino: ergo relatio non eſt modus ſuperadditus fundamento, & termino.

Minor pr. Similitudo, æqualitas, & identitas

ſunt veræ relationes; atqui non diſtinguuntur à fundamento, & termino: ergo nec relatio.

Maior de æqualitate probatur.

Fundamentum, & terminus ęqualitatis ſunt, v.g. duę quantitates palmares; atqui ęqualitas nõ diſtinguitur à duabus illis quantitatibus palmaribus: ergo nec à ſuo fundamento, & termino.

Reſpondent *aduerſarij; atqui æqualitas fundamentalis non diſtinguitur à duabus illis quantitatibus*, Concedo. *formalis*, Nego.

Contrà Æqualitas formalis iſtarum quantitatium eſt id, per quod vna, non excedit aliam; atqui id, per quod vna, non excedit aliam, non diſtinguitur ab ipſis: ergo ęqualitas etiam formalis non diſtinguitur ab illis duabus quantitatibus palmaribus.

Minor pr. Id, per quod vna non excedit aliam ſunt partes vnius, & alterius in ęquali numero, atqui partes vnius, & alterius in æquali numero non diſtinguuntur ab ipſis: ergo neque id, per quod vna non excedit aliam.

Obijcies. Relatio diſtinguitur realiter à fundamento & termino: ergo eſt modus ſuperadditus fundamento, & termino.

Antecedens pr. Illa diſtinguuntur realiter, quibus conueniunt prędicata contradictoria; atqui relationi, & eius fundamento, & termino conueniunt prędicata contradictoria: ergo diſtinguuntur realiter.

Minor pr. Augeri, & non augeri, ſunt contradictoria; atqui augeri, & non augeri conueniunt relationi, & eius fundamento, & termino: ergo & contradictoria.

Minor pr. Inęqualitas est vera relatio, & eius fundamentum, & terminus sunt, v. g. quantitas bipalmaris, & tripalmaris; atqui augeri, & non augeri conueniunt inęqualitati, & quantitati bipalmari, & tripalmari: ergo augeri, & non augeri conueniunt relationi, & eius fundamento, & termino.

Supponunt *aduersarij à quantitate bipalmari tolli palmum, & hoc posito sic argumentantur.*

Quantitas tripalmaris, & bipalmaris non augentur; atqui augetur inęqualitas illarum: ergo augeri, & non augeri conueniunt inęqualitati, & quantitati tripalmari, & bipalmari.

Minor pr. Illa inęqualitas augetur, quę est maior, quam antea; atqui ista est maior, quam antea: ergo augetur.

Solutio: *Illa inæqualitas augetur, quæ fit maior per alicuius additionem ipsi factam de nouo,* Concedo. *per mutationem in nouam,* Nego. *atqui ista est maior per additionem ipsi factam,* Nego. *per mutationem in nouam,* Concedo.

Contrà. Non repugnat inęqualitatem pręcedentem esse maiorem, diminutis eius fundamento, & termino: ergo ista est eadem, ac pręcedens.

Antecedens pr. Non repugnat fundamentum, & terminum existere non existente relatione: ergo neque ipsam esse maiorem diminutis eius fundamento, & termino.

Antecedens pr. Paternitas est relatio; atqui existente eius fundamento, & termino, ipsa non existit: ergo non repugnat fundamentum, & terminum existere non existente relatione.

Minor pr. Fundamentum, & terminus pater-

ternitatis sunt verbi gratia Petrus, & Paulus; atqui illi existere possunt; non existente paternitate: ergo fundamentum, & terminus paternitatis existere possunt ipsa non existente.

Solutio: *Fundamentum, & terminus paternitatis sunt Petrus, & Paulus, sine præsuppositione generationis*, Nego. *cum præsuppositione generationis*, Concedo. *atqui illi existere possunt non existente paternitate præsupposita generatione* Nego. *non præsupposita*, Concedo.

Contrà. Conuenit aliquid paternitati, quod non conuenit Petro, & Paulo, etiam supposita generatione: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Conuenit paternitati esse ad aliud; atqui Pater, & Filius, etiam supposita generatione non sunt ad aliud: ergo conuenit aliquid paternitati, quod non conuenit Petro, & Paulo, etiam supposita generatione.

Solutio: *Conuenit paternitati esse ad aliud extra se*, Nego. *intra se*, Concedo. *atqui Pater, & Filius, non sunt ad aliud extra se*, Concedo. *intra se*, Nego.

Contrà. Relatio debet esse ad aliud extra se: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod est ad aliud tantùm intra se non est relatio: ergo relatio debet esse ad aliud extra se.

Antecedens pr. Album est ad aliud intra se; atqui album non est relatio: ergo quod est ad aliud tantùm intra se non est relatio.

Solutio: *Album est ad aliud intra se, & explicat distinctionem vnius ab alio*, Nego. *& non explicat*, Concedo. *& concessa minori: ergo id, quod*

est ad aliud tantùm intra se non est relatio, si non explicat distinctionem vnius ab alio, Concedo. *si explicat*, Nego.

Contrà. Esse ad aliud intra se, & explicare distinctionem vnius ab alio, nihil est aliud necessariò, quã duo absoluta; atqui relatio non est duo absoluta: ergo esse ad aliud intra se, & explicare distinctionẽ vnius ab alio, non est relatio.

Minor pr. Similitudo est relatio; atqui similitudo non est duo absoluta: ergo relatio non est duo absoluta.

Maior pr. Similitudo est id, quod explicatur per conceptũ similis in communi, atqui conceptus similis in communi non explicatur per duo absoluta: ergo similitudo non est duo absoluta.

Minor pr. Illa duo absoluta non possunt esse, nisi qualitas, & qualitas, vel qualitas vt octo, & qualitas vt octo, vel qualitas, & qualitas eiusdem rationis; atqui nullum horum dici potest: ergo conceptus similis in communi non explicatur per duo absoluta.

Respondeo *esse qualitatem, & qualitatem eiusdem rationis.*

Contrà. Qualitas, & qualitas eiusdem rationis est aliquid præter duo absoluta: ergo similitudo est aliquid præter duo absoluta.

Antecedens pr. Qualitas, & qualitas eiusdem rationis non est idem cum duobus absolutis: ergo est aliquid præter duo absoluta.

Antecedens pr. Quod non est genus, neque differentia alterius, nõ est idem cum illo; atqui qualitas, & qualitas eiusdem rationis nõ est, neque genus, neque differentia duorum absoluto-

rum: ergo non est idem cum illis.

Solutio: *Atqui qualitas, & qualitas eiusdem rationis non est differentia duorum absolutorum seorsim sumptorum*, Concedo. *simul sumptorum*, Nego. *ergo non est idem cum illis simul sumptis*, Nego. *seorsim sumptis*, Concedo. *Qualitas, & qualitas eiusdem rationis, hoc est, eiusdem speciei, & eiusdem gradus est illarum differentia, quia distinguit illas ab omnibus aliis diuersæ speciei, & inæqualis gradus. Esse autem eiusdem speciei, & æqualis gradus non est quid distinctum ab ipsarum entitatibus, albedine A v.g. vt sex, & albedine B vt sex.*

Contrà. Relatio non est sua extrema etiam simul sumpta: ergo eiusdem rationis non est differentia illorum simul sumptorum.

Antecedens pr. Extrema relationis sunt sępè duę substantię; atqui relatio non est duę substantię etiam simul sumptę: ergo relatio non est sua extrema etiam simul sumpta.

Minor pr. Accidens non est idem cum duabus substantijs simul sumptis; atqui relatio est accidens: ergo non est duę substantię etiam simul sumptę.

Solutio: *Accidens Physicum non est idem cum duabus substantijs*, Concedo. *Accidens prædicamentale, seu Logicum*, Nego. *atqui relatio est accidens prædicamentale, seu Logicum*, Concedo. *Physicum*, Nego.

Contrà. Quod est accidens alterius, & quid illi realiter superadditũ est accidens illius Physicum; atqui relatio est accidens duarum substantiarum, & est quid illis realiter superadditum:

tum:

tum : ergo est accidens Physicum illarum.

Minor pr. Petrus, & Paulus sunt duæ substantiæ ; atqui relatio identitatis, est quid ipsis realiter superadditum : ergo relatio est quid realiter superadditum duabus substantiis.

Minor pr. Quod potest separari, & aduenire de nouo est quid realiter superadditum ; atqui relatio identitatis potest separari, & aduenire de nouo Petro, & Paulo : ergo est quid ipsis realiter superadditum.

Solutio : *Atqui relatio identitatis potest separari à Petro, & Paulo, seorsim sumptis*, Concedo. *simul sumptis*, Nego. *ergo est quid superadditum illis simul sumptis*, Nego. *seorsim sumptis*, Concedo.

Contrà. Ex concessis relatio identitatis aduenit de nouo Petro seorsim sumpto ; atqui Petrus est fundamentum relationis : ergo illi aduenit de nouo.

Solutio : *Ex concessis relatio identitatis aduenit de nouo Petro, seorsim sumpto, intrinsecè* Nego. *extrinsecè*, Concedo. *& concessa minori: ergo aduenit de nouo Petro extrinsecè*, Concedo. *intrinsecè* Nego.

Contrà. Cum aduenit noua denominatio intrinseca Petro, aduenit illi de nouo aliquid intrinsecè; atqui denominatio relatiua est intrinseca : ergo illa adueniente de nouo, aduenit etiam aliquid intrinsecè Petro.

Solutio : *Cum aduenit noua denominatio merè intrinseca Petro, aduenit illi de nouo aliquid intrinsecè*, Concedo. *Cum est tantum ex parte intrinseca*, Nego. *denominatio autem relatiua est*

tantum ex parte intrinseca.

Contrà Denominatio relatiua est magis intrinseca, quam denominatio visi; atqui denominatio visi; est ex parte intrinseca: ergo denominatio relatiua non est tantum ex parte intrinseca.

Solutio: *Atqui denominatio visi est ex parte intrinseca, hoc est. forma à qua petitur est ex parte intrinseca,* Nego. *nullomodo est ipsa intrinseca, sed tantum eius subiectum,* Concedo. *ergo denominatio relatiua non est tantum ex parte intrinseca ratione subiecti.* Concedo. *ratione formæ,* Nego. *In denominationibus autem, vt dicantur intrinsecæ, aut extrinsecæ attenditur sola forma, à qua petitur denominatio, de subiecto enim constat illud esse semper intrinsecum.*

Contrà. Denominatio relatiua est tantùm intrinseca ratione subiecti: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Denominatio relatiua est tantùm intrinseca ratione subiecti, aut termini; atqui non est intrinseca ratione termini: ergo est tantùm intrinseca ratione subiecti.

Solutio: *Denominatio relatiua est tantùm intrinseca ratione subiecti, aut termini seorsim sumptorum,* Nego. *simul sumptorum,* Concedo. *atqui ratione termini seorsim sumpti nullomodo est intrinseca,* Concedo. *sumpti simul cum fundamento,* Nego. *fundamentum enim est intrinsecum. Relatio autem, quæ est forma denominans, est fundamentum simul, & terminus. In denominatione verò visi forma denominans est visio, quæ rei visæ est omnino extrinseca.*

Contrà. Cum altera pars formæ denominantis

est extrinseca tota denominatio debet dici extrinseca; atqui altera pars formæ denominantis in denominatione relatiua est extrinseca ex concessis: ergo tota debet dici extrinseca.

Solutio: *Cum altera pars formæ denominantis, est extrinseca si sit præcipua, & quæ maximè attendatur tota denominatio debet dici extrinseca,* Concedo. *si non sit præcipua,* Nego. *atqui altera pars formæ denominantis in denominatione relatiua est extrinseca, & est præcipua,* Nego. *& non est præcipua,* Concedo. *Ea enim est terminus, cuius minor habetur ratio, quàm fundamenti, ex cuius aduentu tam benè consurgit relatio, si sit terminus, ac ex aduentu termini, si sit fundamentum.*

Contrà Altera pars formæ denominantis vniuersale est extrinseca scilicet cognitio, & non est præcipua; atqui tota denominatio dicitur extrinseca: ergo cum altera pars formæ denominantis est extrinseca, licèt non præcipua, tota denominatio dici debet extrinseca.

Solutio: *Altera pars formæ denominantis vniuersale est extrinseca, & non est præcipua, hoc est, non se habet semper per modum complementi,* Nego. *& se habet semper per modum complementi,* Concedo. *Illud autem, vt paulo ante diximus non contingit in denominatione relatiua. Vide quæ superius diximus disputatione de vniuersalibus in communi sectione vltima.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Terminus est pars relationis prædicamentalis.

ILLVD est pars alterius, quo ſublato manentibus licèt reliquis omnibus, per poſſibile, vel impoſſibile illud non manet; atqui ſublato termino manentibus licèt reliquis omnibus per poſſibile, vel impoſſibile non manet relatio prædicamentalis: ergo terminus eſt pars relationis prædicamentalis.

Minor pr. Relatio eſt reſpectus ad aliud; atqui ſublato termino relationis prædicamentalis non manet reſpectus ad aliud: ergo nec relatio.

Minor pr. Solum fundamentum non eſt reſpectus ad aliud: ergo ſublato termino non manet reſpectus ad aliud.

Antecedens pr. Reſpectus ille ad aliud eſt, quod quantitas iſta, v. g. habeat tot palmos, quot illa, aut quod iſta qualitas non habeat plures gradus, quam illa; atqui vnam quantitatem habere tot palmos, quot aliam, & vnam qualitatem tot gradus, ac aliam non eſt vna ſola ex illis: ergo reſpectus ad aliud non eſt ſolum fundamentum.

Obijcitur. Quod nihil eſt relationis non eſt pars relationis; atqui terminus nihil eſt relationis: ergo non eſt pars relationis.

Minor pr. Quod nihil eſt fundamenti, nihil eſt relationis; atqui terminus nihil eſt fundamenti: ergo nec relationis.

Maior pr. Relatio est idem omnino cum fundamento: ergo quod nihil est fundamenti nihil est relationis.

Antecedens pr. Relatio est omnino intrinseca fundamento: ergo est omnino idem cum fundamento.

Antecedens pr. Concipitur omnino intrinseca fundamento: ergo est omnino intrinseca fundamento.

Consequentia pr. Quod concipitur omnino intrinsecum alteri, & non est illi intrinsecum, est ens rationis; atqui obiectum conceptus relationis, non est ens rationis: ergo cum relatio concipitur intrinseca fundamento debet esse illi omnino intrinseca.

Solutio: *Quod concipitur omnino intrinsecum, hoc est per species rei intrinsecæ, aut ad modum rei intrinsecæ, est ens rationis,* Nego. *quod concipitur omnino intrinsecum, ita vt verè sit obiectum cognitionis,* Concedo. *& concessa minori: ergo cum relatio concipitur omnino intrinseca, hoc est per species rei intrinsecæ, aut ad modum rei intrinsecæ debet esse illi omnino intrinseca,* Nego. *Cum concipitur intrinseca; ita vt τὸ intrinsecum sit obiectum cognitionis,* Concedo.

Contrà Obiectum illius conceptus, quod dicitur non esse quid intrinsecum, vel est quid distinctum à duobus absolutis vel non; atqui neutrum dici potest: ergo obiectum istius conceptus debet esse quid intrinsecum vni ex illis.

Respondendum *est esse quid distinctum.*

Contrà. Vel est quid distinctum formaliter, vel realiter; atqui neutrum dici potest: ergo non

est quid distinctum.

Respondendum *est esse formaliter distinctum.*

Contrà. Esse quid distinctum formaliter, est tantum duo illa vt subiacentia conceptui repræsentanti illa habere connexionem; atqui hoc est falsum: ergo obiectum illius conceptus non est quid distinctum formaliter à duobus absolutis.

Minor pr. Non potest explicari quid sit illa connexio: ergo non sunt illa vt subiacentia illi conceptui.

Respondeo *esse illa duo ita repræsentata, vt vnum repræsentetur in recto, alterum in obliquo cum repugnantia, vt existat alterum sine altero.*

Contrà. Filiatio, v. g. est illa connexio; atqui non est vnum in recto, & alterum in obliquo: ergo connexio illa non est vnum in recto, & alterum in obliquo, cum repugnantia vt existat, vnum sine altero.

Minor pr. Illud vnum in recto, & alterum in obliquo non potest esse aliud, quam existentia patris, & existentia filij; atqui existentia filij non est in recto, & patris in obliquo: ergo connexio illa non est vnum in recto, & alterum in obliquo.

Solutio: *Atqui existentia patris non est in obliquo, & existentia filij in recto independenter à conceptu, & à cognitione*, Concedo. *dependenter à cognitione*, Nego.

Contrà Filiatio est existētia patris in obliquo, & filij in recto; atqui illa ex concessis sunt tantū dependēter ab operatione intellectus: ergo filiatio est tantū dependenter ab operatione intellectus.

Solutio: *Atqui illa ex concessis sunt tantum dependenter ab operatione intellectus sumpta secundum modum, quo concipiuntur*, Concedo. *sumpta secundum se*, Nego. *ergo filiatio est tantum dependenter ab operatione intellectus secundum se sumpta*, Nego. *secundum modum, quo concipitur*, Concedo. Is *enim est totus ab intellectu comparante hanc entitatem cum illa, & aduertente vnam ab alia dependere.*

Ex dictis infer primò, relationem prædicamentalem non posse esse ad terminum non existentem, aut ens rationis. Cùm enim sit totum omnino reale, & positiuum actu existens: partes, ex quibus constituitur, fundamentum scilicet, & terminus debent etiam esse reales, & actu positæ extra causas, quales non sunt res non existentes, & entia rationis.

Secundò, transcendentalis terminum esse aliquando rem absolutam, aliquando relatiuam. Cognitio si quidem habet pro termino suum obiectum, & causa effectum. Primum ex illis est quid absolutum, si quidquam huiusmodi dari potest. Nihil enim est, quod non sit obiectum cognitionis: & secundum relatiuum, effectus enim sicut respicitur à causa, ita & ipsam vicissim respicit.

TRACTATVS II.

DE SECVNDA MENTIS operatione.

SECVNDAM aggredimur mentis operationem, quæ non tantum, vt prima repræsentat nude, & simpliciter rem vnam, aut multas, sed præterea illi, aut istis exprimit assertiue conuenire, aut non conuenire aliquid aliud. Nonnulla hic de ea disputabimus. De reliquis commodius agemus in tractatu de anima disputatione quarta.

DISPVTATIO I.

De Partibus Enuntiationis.

ENVNTIATIO definiri solita oratio affirmans, aut negans aliquid de aliquo, triplex est: interna scilicet vocalis, aut scripta. Duæ vltimæ sunt declaratio primæ, quæ quia non potest immediate se alijs à suo subiecto in hac vita manifestare vsurpat voces, & scripta ad hanc sui manifestationem. Tam interna, quam vocalis, & scripta habent partes, & quidem significatiuas sed cuius rei, & quomodo declarabit, quæ sequitur.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quomodo significent conceptus, voces & scripta.

PRIMA CONCLVSIO:

Conceptus formales sunt signa naturalia, & formalia suorum obiectorum.

ILLVD est signum naturale formale alterius, quod natura sua, & non cognitum ducit in cognitionem illius: atqui conceptus formales natura sua, & non cogniti ducunt in cognitionem suorum obiectorum: ergo sunt signa naturalia, formalia illorum.

Minor pr. Quod est viua expressio alterius natura sua, & non cognitum ducit in illius cognitionem: atqui conceptus formales sunt viuæ expressiones suorum obiectorum: ergo natura sua, & non cogniti ducunt in cognitionem suorum obiectorum.

Minor pr. Cognitio est vera expressio sui obiecti: atqui conceptus formales sunt cognitio: ergo sunt viuæ expressiones suorum obiectorum.

Obijcitur. Illud non est signum naturale alterius, quod non est similitudo illius: atqui conceptus formales non sunt similitudines suorum obiectorũ: ergo neque signa naturalia illorum.

Solutio: *Illud non est signum naturale alte-*

rius, quod non est similitudo illius, neque in essendo, neque in repræsentando, Concedo. *in essendo tantum*, Nego. *atqui conceptus formales non sunt similitudines suorum obiectorum in essendo, seu conuenientes cum illis in essentia, aut lineamentis externis*, Concedo. *in repræsentando*, Nego.

Contrà. Conceptus formales non sunt repræsentatio obiecti: ergo non sunt similitudo illius in repræsentando.

Antecedens pr. Conceptus formales, vel sunt repręsentatio obiecti ad placitum, vel non; atqui neutrum dici potest: ergo non sunt repręsentatio obiecti.

Respondeo *esse repræsentationem ad placitum.*

Contrà Conceptus artificis sunt veri conceptus formales; atqui illi non sunt repręsentatio aliter sui obiecti, quàm ad placitum: ergo conceptus formales sunt tantum repręsentatio sui obiecti ad placitum.

Minor pr. Ille conceptus est repręsentatio sui obiecti ad placitum, qui repręsentat modo vnum, modo aliud; atqui conceptus artificis repręsentat modo vnum, modo aliud: ergo conceptus artificis sunt repręsentatio sui obiecti ad placitum.

Minor pr. Quod repręsentat domum construendam modo cum vna figura, modo cum alia, repręsentat modo vnum, modo aliud; atqui conceptus artificis repręsentant domum construendam modò cum vna figura, modò cum alia: ergo repręsentant modò vnum, modò aliud.

Solutio: *Atqui conceptus artificis idem repræ-*

sentat domum construendam modo cum vna figura, modo cum alia, Nego. *diuersi* Concedo. *ergo repræsentat modo vnum, modo aliud idem planè*, Nego. *diuersi* Concedo. *Quod certè non sufficit, vt dicatur repræsentare ad placitum. Ad hoc enim necessarium esset, vt idem planè & inuariatus modo vnum modo aliud repræsentaret pro beneplacito artificis.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Voces sunt signa ex instituto rerum, de quibus loquimur.

QVOD est signum alterius, & non naturale, est ex instituto; atqui voces sunt signa rerum, de quibus loquimur non naturalia: ergo sunt signa ex instituto.

Minor pr. Quod non habet naturalem connexionem cum alio, non est signum naturale illius; atqui voces non habent naturalem connexionem cum rebus de quibus loquimur: ergo non sunt signa naturalia illarum.

Minor pr. Vox equus, leo, homo, & sic de alijs non habent naturalem connexionē cum rebus, quas significant: ergo voces non habent naturalem cōnexionem cū rebus, de quibus loquimur.

Minor pr. Res, quas significant sunt natura equina, leonina, &c. atqui non habent naturalem connexionem cum natura equina, leonina, &c. ergo non habent naturalem connexionem cum rebus, quas significant.

Minor pr. Omnis naturalis connexio est vel causæ, vel effectus, vel imaginis, vel adiuncti

vel alicuius huiusmodi habitudinis; atqui nullam planè habent talem connexionem: ergo nullam habent.

Minor pr. Illud nullam habet talem connexionem cum alio, quod non est neque eius causa neque effectus; nec imago nec adiunctum; atqui voces istæ non sunt, neque causæ, neque effectus, neque imago, neque adiunctum naturæ Leoninæ, v.g. aut equinæ, &c. ergo nullam habent talem connexionem cum illis.

Minoris duæ primæ partes, & vltima probantur.

Quod non est alio existente, non potest dici esse nec causa, nec effectus, nec adiunctum alterius; atqui existentibus istis vocibus, possunt non existere istæ naturæ, aut certè longè distare: ergo voces istæ non sunt, neque causæ, neque effectus, neque adiunctum istarum naturarum.

Probatur iam tertia non esse imaginem Physicam.

Illud non est imago Physica alterius, quod non est eiusdem essentiæ cum illo, vel non conuenit cum illo in lineamentis externis; atqui istæ voces non sunt eiusdem essentiæ cum natura equina, leonina, &c. nec conueniunt cum illis in lineamentis externis: ergo non sunt imago Physica illarum.

Minor pr. Natura equina, leonina, &c. sunt substantiæ, & voces istæ sunt accidentia, sed substantia, & accidens, non sunt eiusdem essentiæ, neque conueniunt in lineamentis externis, cum substantia: ergo istæ voces non sunt eiusdem essentiæ, nec conueniunt cum illis naturis in lineamentis externis.

Probatur denique vltima non esse imaginem intentionalem.

Imago intentionalis est cognitio; sed istæ voces non sunt cognitio : ergo non sunt imago intentionalis.

Obiicitur. Sermo est voces; atqui sermo significat naturaliter homini:ergo etiam voces significant naturaliter eidem.

Minor pr. Quod est naturale homini, & significat, significat illi naturaliter, atqui sermo ex Aristotele 1. Polit. c. 2. est connaturalis homini, & significat : ergo illi naturaliter significat.

Solutio: *Sermo ex Aristotele* 1. Polit. c. 2. *est connaturalis homini, hoc est, in homine est inclinatio naturalis ad vtendum sermone,* Concedo. *est connaturalis homini, hoc est repræsentat ei naturaliter,* Nego.

Contrà. Hebręus sermo repręsentat homini naturaliter: ergo sermo est connaturalis homini, quia repræsentat ei naturaliter.

Antecedens pr. Nomina imposita animalibus ab Adamo repręsentabant illi naturaliter:ergo Hebręus sermo repræsẽtat homini naturaliter.

Antecedens pr. Nomina propria alicuius rei repræsentant illam naturaliter; atqui illa nomina sũt propria illorum animalium ex scriptura. Genes. secũdo: ergo repręsẽtant illa naturaliter.

Solutio: *Nomina propria alicuius rei, hoc est, habentia naturalem connexionem cum illa, illam repræsentant naturaliter,* Concedo. *nomina propria, hoc est, eadem nunc, quæ antea,* Nego. *atqui illa nomina sunt propria illorum animalium,*

hoc est, habent naturalem connexionem cum illis animalibus, Nego. *sunt nunc eadem, quæ erant tempore Adami*, Concedo.

Contrà. Nomina illa habebant aliquam connexionem cum illis animalibus; atqui non habebant aliam, quàm naturalem: ergo verè habebant naturalem connexionem cum illis animalibus.

Minor pr. Non est alia connexio à naturali, quam ex instituto; atqui non habebant connexionem ex instituto: ergo habebant naturalem.

Minor pr. Connexio ex instituto, non est connexio: ergo non habebant connexionem ex instituto.

Antecedens pr. Illud non est connexio, quod non facit vnum connexum cum alio; atqui institutio non facit vnum connexum cum alio: ergo connexio ex instituto non est connexio.

Minor pr. Illud non facit connexum vnum cum alio, quod nihil ei superaddit; atqui institutio nihil addit illis nominibus, ratione cuius possint dici connexa: ergo institutio non facit vnum connexum cum alio.

Solutio: *Illud non facit vnum connexum cum alio, quod nihil ei addit neque intrinsecè, neque extrinsecè*, Concedo. *intrinsecè tantum*, Nego. *atqui institutio nihil addit intrinsecè*, Concedo. *extrinsecè*, Nego.

Contrà. Institutio illa nihil est aliud, quam voluntas legislatoris, vt nomina illa significent; atqui illa voluntas nihil addit extrinsecè: ergo institutio nihil addit extrinsecè.

Maior pr. Illa voluntas est impossibilis: ergo nihil addit extrinsecè.

Antecedens pr. Illa voluntas est impossibilis, cuius nullum assignari potest obiectum; atqui nullum potest assignari obiectum istius voluntatis legislatoris: ergo est impossibilis.

Minor pr. Obiectum illud debet esse, vel significatio vocum in actu primo, vel in actu secundo; atqui neutrum est: ergo istius voluntatis nullum assignari potest obiectum.

Respondeo *esse significationem in actu secundo.*

Contrà. Obiectum illius voluntatis potest ab ipsa effici; atqui significatio in actu secundo, non efficitur ab illa voluntate: ergo non est illius obiectum.

Minor pr. Significatio in actu secundo vocis alicuius est intellectio actualis audientis illam; atqui voluntas legislatoris non efficit illas intellectiones: ergo neque significationem vocis in actu secundo.

Solutio: *Atqui voluntas legislatoris non efficit illas intellectiones Physicè,* Concedo. *moraliter,* Nego. *ergo non efficit etiam significationem in actu secundo Physicè,* Concedo. *moraliter,* Nego.

Contrà. Vt efficiat illas intellectiones moraliter debet illa voluntas cognosci ab audientibus; atqui non cognoscitur ab audientibus: ergo non efficit illas intellectiones moraliter.

Minor pr. Illa voluntas non cognoscitur ab audiente, de qua audiens non cogitat; atqui audiens voces non cogitat de voluntate legislatoris: ergo hæc ab illo non cognoscitur.

Solutio: *Illa voluntas non cognoscitur ab audiente, de qua audiens non cogitat neque implicitè, neque explicitè*, Concedo. *explicitè tantum*, Nego. *atqui non cogitat de voluntate legislatoris implicitè*, Nego. *explicitè*, Concedo.

Contrà. Audiens non cogitat implicitè de voluntate, quæ non est; atqui illa legislatoris non est: ergo non cogitat etiam implicitè de illa.

Solutio: *Audiens non cogitat implicitè de voluntate, quæ non est neque Physicè, neque moraliter*, Concedo. *quæ est moraliter licet non sit Physicè*, Nego. *atqui illa voluntas legislatoris non est Physicè*, Concedo. *non est moraliter*, Nego.

Contrà. Illius voluntas non est moraliter, qui mortuus est; atqui mortuus est legislator: ergo voluntas eius non est etiam moraliter.

Solutio: *Neganda est maior quia voluntatem aliquam esse moraliter nihil aliud est quam semel positam, reuocatam non fuisse contraria institutione, aut consuetudine, quod totum verum est de voluntate eius, qui imposuit significationem vocibus; illa enim non fuit reuocata.*

TERTIA CONCLVSIO:

Voces significant primario res, & secundario conceptus formales loquentis.

ILLVD significat primario res, quod ducit primo ad cognitionem rerum; atqui voces ducunt primo in cognitionem rerum: ergo significant primo res.

Minor pr. Voces ducunt primo in cognitio-

nem illius, quod loquens intendit per illas, primo, & maximè significare; atqui loquens intendit per illas primò, & maximè significare res: ergo ducunt primo in cognitionem rerum.

Minor pr. Qui dicit Deum esse trinum (& idem dici potest de aliis similibus locutionibus) intendit primo significare res: ergo loquens per voces intendit primo significare res.

Antecedens pr. Trinitas personarum in Deo est res & quidem omnium excellentissima; atqui qui dicit Deum esse Trinum intendit primo, & maximè significare Trinitatem: ergo intendit etiam primo significare res.

Minor pr. Qui dicit Deum esse Trinum intendit primo, & maximè significare illud, quod cum alter percipit, ipse non laborat de alio, sed cum qui eum audit percipit Trinitatem ille non laborat de alio: ergo intendit primo, & maximè significare Trinitatem.

Minor pr. Non potest dici laborare de alio, quam vt sua percipiatur cognitio; atqui de hoc non laborat: ergo non laborat de alio.

Minor pr. Ille non est dicendus laborare, vt sua percipiatur cognitio, qui ea non adhibet, quæ solitus est adhibere cum hoc intendit; atqui qui dicit Deum esse Trinum, non adhibet ea, quæ solitus est adhibere, cum intendit, vt sua percipiatur cognitio: ergo qui dicit Deum esse Trinum non laborat, vt sua percipiatur cognitio.

Minor pr. Qui intendit, vt sua percipiatur cognitio procurare hoc solet præmonẽdo audien-

rem, vt attendat, quam præclarè sentiat de re, de qua loquitur; atqui qui dicit Deum esse Trinum non præmonet audientem, vt attendat, quàm præclarè sentiat de re, de qua loquitur: ergo non adhibet ea, quæ solitus est adhibere, cum intendit vt sua percipiatur cognitio.

Secunda pars conclusionis, scilicet, voces significare secundario conceptus pr.

Voces illud significant secundario, in cuius nos ducunt cognitionem secundario; atqui ducunt nos secundario in cognitionem conceptuum loquentis: ergo significant secundario conceptus loquentis.

Minor pr. In illius secundario nos ducunt cognitionem, quod possumus per illas cognoscere, cum volumus; atqui possumus cognoscere conceptus loquentis per eius voces, cum volumus: ergo ducunt nos secundario in cognitionem conceptuum loquentis.

Minor pr. Per illud possumus cognoscere conceptus loquentis, per quod possumus cognoscere, de quo cogitet; atqui per voces, quas profert possumus cognoscere, de quo cogitet: ergo possumus cum volumus cognoscere conceptus loquentis per eius voces.

Minor pr. Qui loquitur habet conceptum correspondentem vocibus, quas profert: ergo per voces, quas profert possumus cognoscere, de quo cogitet.

Consequentia pr. Quando duo sunt connexa per existentiam vnius, cognoscitur existentia alterius; atqui voces, & conceptus illi correspondens sunt connexa: ergo per voces, quas quis

profert possumus cognoscere, de quo cogitet, seu eius conceptus.

Obijcitur. Voces significant primo illud, ad cuius primo ducunt cognitionem: atqui ducunt primo in cognitionem conceptuum formalium: ergo significant primo conceptus formales.

Minor pr Cognitio, intellectio, & similes voces ducunt primo in cognitionem conceptuum formalium: ergo & aliæ voces.

Solutio: *Cognitio, intellectio, & similes voces ducunt primo in cognitionem conceptuum formalium, quatenus illi conceptus sunt obiectiui, seu res significatæ per istas voces,* Concedo. *quatenus sunt conceptus formales loquentis,* Nego.

Contrà. Cognitio, intellectio, & similes voces ducunt primo in cognitionem illius, cuius primo sunt notæ; atqui sunt primo notæ conceptuum formalium: ergo ducunt primo in cognitionem illorum.

Solutio: *Cognitio, intellectio, & similes voces, ducunt primo in cognitionem illius, cuius sunt primo notæ manifestatiuæ,* Concedo. *substitutiuæ,* Nego. *atqui sunt primo notæ substitutiuæ conceptuum,* Concedo. *manifestatiuæ,* Nego.

Contrà. Non manifestant res nisi mediis conceptibus: ergo sunt primo notæ manifestatiuæ conceptuum.

Antecedens pr Quod manifestat vnum mediante alio est primo manifestatiuum illius medianti; atqui ex concessis voces manifestant res mediis conceptibus: ergo sunt primo notæ manifestatiuæ conceptuum.

Solutio: *Quod manifestat vnum mediante alio*

prius cognito est primo manifestatiuum illius, Concedo. *non prius cognito,* Nego. *atqui voces manifestant res mediis conceptibus prius cognitis,* Nego. *non prius cognitis*, Concedo.

Contrà. Voces mendaces repræsentant res mediis conceptibus prius cognitis; seu manifestatis : ergo voces repræsentant res mediis conceptibus prius cognitis, seu manifestatis.

Maior pr. Illud repræsentat res mediis conceptibus prius manifestatis, quod primo, & principaliter significat conceptus; atqui voces mendaces significant primo, & principaliter conceptus : ergo voces mendaces significant res mediis conceptibus prius manifestatis.

Minor pr. Illud primo, & principaliter significant voces mendaces, à quo sunt, & dicuntur mendaces; atqui sunt, & dicuntur mendaces à conceptibus : ergo significant primo, & principaliter conceptus.

Maior pr. Illud primo, & principaliter significant voces mendaces à quo sunt, & dicuntur non conformes, & esse contra mentem loquentis; atqui à conceptibus sunt, & dicuntur nõ cõformes, & esse contra mentem loquentis : ergo illud primo, & principaliter significant voces mendaces, à quo sunt, & dicuntur mendaces.

Maior pr. Voces mendaces sunt verè contra mentem; atqui non possunt dici esse verè contra mentem nisi significent primo, & principaliter id, à quo sunt,& dicuntur mendaces : ergo voces mendaces illud primo, & principaliter significant; à quo dicuntur tales.

Maior pr. Voces dicuntur mendaces à conce-

ceptu interno loquentis; atqui non possunt dici esse verè contra mentem nisi significent illum conceptũ primo,& principaliter, ergo non possunt dici verè contra mentẽ nisi significent primo & principaliter id, à quo dicuntur mẽdaces.

Minor pr. Mens,& conceptus ille internus loquentis sunt idẽ; atqui non possunt esse verè cõtra illum conceptum,& illi contrariæ, nisi illum primo,& principaliter significẽt: ergo voces mẽdaces non possunt dici esse contra mentem nisi conceptũ illũ primo,& principaliter significẽt.

Minor pr. Oppositio, & contrarietas illarum vocum cum conceptu debet peti ex aliqua habitudine, quam habeant ad inuicem; atqui illa non videtur posse esse alia, quam quod istæ illũ primo, & principaliter significent: ergo voces mendaces non possunt esse verè contra illũ conceptũ nisi illũ primò,& principaliter significẽt.

Solutio: *Neganda est minor, & dicendum illam aliam habitudinem esse, quod & voces, & conceptus pertineant ad idem subiectum, quod idem repræsentare debet per vtrumque ex illis, quod cum non facit, facit illa esse contraria, seu non repræsentare idem, sed diuersa; atque ita opponi in repræsentatione, & significatione, & voces esse verè contrarias menti, seu conceptui.*

Contrà. Responsio supponit sufficere ad mendacium, & ad oppositionem vocis cum conceptu, vt voces significent aliud à cõceptu, etiamsi ipsum non repræsentent primo,& principaliter; atqui non sufficit ad mendacium, & ad oppositionem vocis cum conceptu, quod voces significent aliud à conceptu: ergo solutio data nulla

est, & voces significare debent primo, & principaliter conceptum.

Minor pr. Voces, quibus quis respondet interrogatus retinendo aliquid in mente, iusta de causa, non sunt mendacium; atqui illæ significant aliud à conceptu: ergo non sufficit ad mendacium voces significare aliud à conceptu.

Maior pr. Voces licitæ non sunt mendacium; atqui illæ voces sunt licitæ in sententia multorum Doctorum: ergo non sunt mendacium.

Respondeo *permissa maiori præcedentis argumenti de cuius veritate, aut falsitate non est huius loci disputare negando eius minorem.*

Contrà. Illæ voces significant aliud à conceptu, quæ non significant totum id, quod conceptus; atqui illæ voces non significant totum id, quod conceptus: ergo illæ voces significant aliud à conceptu.

Minor pr. Voces illæ non significant, quod retinetur in mente; atqui conceptus illud significat, & repræsentat: ergo voces illæ non significant totum id, quod conceptus.

Maior pr. Voces illæ non aliud significant quam quod illis auditis percipit interrogans; atqui interrogans illis auditis, non percipit, quod retinetur in mente: ergo voces non significant, quod retinetur in mente.

Solutio: *Voces illa in aliis circunstantiis non aliud significant, quàm quod illis auditis percipit interrogans,* Concedo. *in illis,* Nego. *& concessa minori ergo voces non significant, quod retinetur in mente in illis circunstantiis,* Nego. *in aliis,* Concedo. *Quemadmodum enim eadem voces*

mutato accentu, aut pronuntiatione, &c. *varia, & diuersa sæpè significant: ita etiam pro diuersitate aliarum circunstantiarum nutus, verbigratia, interrogationis, vel personæ, quæ respondet aut interrogat habere possunt variam significationem ex beneplacito authorum, qui existimantes voces illas non esse mendaces, & non conformes conceptui, hoc ipso censent significationem earum, ad illud quod retinetur in mente extendi. Multorum autem consensus, sicut ab initio fuit satis: ad imponendam talem, aut talem significationem, his, aut illis vocibus: ita & iam dicendus est esse satis, ad illam mutandam augendo illam, aut minuendo, & pro ratione variarum circunstantiarum faciendo illam esse aliam, & aliam. Posset etiam dici voces illas non habere solas hanc significationem; sed simul cum circunstantiis concurrentibus; ita vt circunstantiæ sint determinatiuum illarum vocum ad hoc, aut illud significandum.*

Contrà. Non minus voces non exprimentes distinctè totum id, quod retinetur in mente dici debent non conformes conceptui, & esse contra mentem, quam imago cuius Pictor retinet partem aliquam in penicillo non conformis regi; atqui illa imago regis est verè, & propriissimè illi non conformis; ergo & voces conceptui non exprimentes totum id, quod retinetur in mente.

Solutio: *Neganda est maior, ratio disparitatis est, quia imago illa non habet ex alio, vt repræsentet regem, & sit ei conformis, quam quod exprimat omnes eius partes, lineamenta*, &c. *Quod certè verùm esse non potest, neque suppleri per hoc, quod*

quod pictor habeat in manu penicillum, cuius beneficio addere possit, & velit, quod deest: hac enim voluntas facere non potest, vt nihil desit & non sit difformitas, quandiu non prodit in actum. voces verò habent ex institutione libera hominum, vt repraesentent, & quidem cum his circunstantiis, quia ita voluere, hoc, & sine illis, aut cum aliis, aliud diuersum, & consequenter in vno casu sint conformes conceptui, quia ratione circunstantiarum ampliatur earum significatio, aut mutatur; in alio non sint, sed planè desformes.

Quod si quaeras vnde haberi possit, quod hoc, aut illud significent. Respondeo certissimam regulam esse vsum, & acceptionem communem, atque ita, quia authores passim existimant, eum v. g. qui interrogatus de aliquo peccato, quod audiuit in confessione respondet se illud non audiuisse, retinendo in mente, auditione, quam debeat manifestare, non mentiri, imponere per illum suum consensum responsioni illi in huiusmodi circunstantiis, seu ipsi, & circumstantiis concurrentibus, vim significandi, quod retinetur in mente. Circunstantiae enim illae non sunt incapaces, vt patet, vt assumantur ad significandum, neque deest vis in consensu illo ad imponendam illis hanc significationem, & consequenter ex ipsis, & vocibus conflari potest vna integra significatio.

Quod diximus de illa responsione cum proportione applicandum est aliis similibus propositionibus factis cum restrictione mentali, tunc cum quis iusta de causa ea vti potest.

Ex dictis inferes primo, voces esse signa in-

ſtrumentalia, conceptus verò formalia. Illæ enim cognoſci debent, antequam ducant in cognitionem, iſti verò minimè, ſe ipſis ſi quidem faciunt ſuum ſubiectum cognoſcens.

Secundò voces eſſe ſigna non tantum reſpectu hominum, ſed etiam Angelorum, & Brutorum, Angeli ſiquidem percipiunt, quod ipſis loquimur, & equus, canis, &c. ad vocem heri conſiſtunt, aut progrediuntur.

QVARTA CONCLVSIO:

Scripta propria ſignificant res, & voces æquè primo.

ILLVD ſignificat res, & voces æquè primo, quod illa duo verè repræſentat, & quidem vnum ſæpè ſine alio, & independenter ab illo: atqui ſcripta repræſentant res, & voces, & quidem iſtas ſine illis, & independenter ab ipſis, & è contrario: ergo ſcripta ſignificant res, & voces æque primo.

Minor pr. Illud ſcripta repræſentant, quod intendimus per illa explicare ei, cui ſcribimus: atqui intendimus per illa explicare ei, cui ſcribimus res, & voces, & quidem iſtas ſine illis, & contra: ergo ſcripta repræſentant res, & voces, & quidem iſtas ſine illis, & è contra.

Prima pars minoris ſignificare voces, & non res probatur.

Cum is, cui ſcribimus non capit res per ſcripta ſignificatas: intendimus tantum ei explicare per

illa voces; atqui ſæpè is, cui ſcribimus non capit res per ſcripta ſignificatas: ergo intendimus tantum ei explicare per illa voces.

Minor pr. Pueri cum diſcunt ſcribere non capiunt res per ſcripta ſignificatas; atqui ipſis ſcribit præceptor, cum proponit imitandam ſuam ſcripturam: ergo ſæpè is, cui ſcribimus non capit res per ſcripta ſignificatas.

Maior ſuperioris argumenti probatur.

Non intendimus explicare ei, cui ſcribimus id, quod ſcimus eum non poſſe percipere; atqui ſcimus eum, qui non capit res per voces ſignificatas eas non poſſe percipere: ergo cum is, cui ſcribimus non capit res per voces ſignificatas non intendimus eas illi explicare.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti, ſignificare res independenter à vocibus, probatur.

Illud ſcripta ſignificant independenter à vocibus, quod cum per ea percipimus vix aduertimus ad voces; atqui ſępiſſimè cum per ſcripta res percipimus vix aduertimus ad voces: ergo ſcripta ſignificant res independenterà vocibus.

Minor pr. Cum magna contentione quis legit ſcripta; vt res per ea ſignificatas percipiat, vix aduertit ad voces, aut ſaltem non tantum, quantum ad res; atqui ſæpè magna contentione legimus ſcripta, vt res per ea ſignificatas percipiamus: ergo ſæpiſſimè cum per ſcripta res percipimus, vix aduertimus ad voces.

Maior pr. Cum magna contentione quis legit ſcripta, vt res per ea ſignificatas percipiat vix aduertit ad id, quod non curat cognoſcere, aut

etiam vix poteſt; atqui cum magna contentione quis legit ſcripta, vt res per ea ſignificatas percipiat non curat cognoſcere voces, aut etiam vix poteſt: ergo cum magna contentione, quis legit ſcripta vt res per ea ſignificatas percipiat vix aduertit ad voces, aut ſaltem non tantum quantum ad res.

Minor pr. Curat tantum cognoſcere id, propter quod adhibet illum conatum, & contentionem; atqui illum conatum, & contentionem adhibet tantum, vt res per ſcripta ſignificatas percipiat: ergo cum magna contentione quis legit ſcripta, vt res per ea ſignificatas percipiat, non curat cognoſcere voces.

Minor pr. Adhibet tantum illam contentionem propter illud, quod eſt futurum vtile; atqui ſola notitia rei ſignificatæ, cum non legit eam in lingua, in qua eam debet explicare, aut cuius pronuntiationem ignorat, eſt ei futura vtilis: ergo adhibet tantum illam contentionem, vt res per ſcripta ſignificatas percipiat.

Secunda pars minoris argumenti ſuperioris vix poſſe ad voces attendere probatur.

Cum quis valdè attendit ad vnum, vix poteſt ad alia attendere, maximè ſi illa alia difficilius noſſe poſſit; atqui cùm quis magna contentione legit ſcripta, vt res per ea ſignificatas percipiat valdè attendit ad res illas: & voces, (ſi non nouerit linguam v. g. Gallicam) difficilius percipit: ergo cum magna contentione quis legit ſcripta vix poteſt ad voces attendere.

Obijcitur. Scripta non ſignificant illud, in cuius ſæpè non ducunt cognitionem; atqui non

ducunt sæpè in cognitionem vocum : ergo non significant voces.

Minor pr. Scripta, quibus visi sunt sæpè vti surdi, & muti sunt vera scripta; atqui illa non ducunt in cognitionem vocum : ergo scripta sæpè non ducunt in cognitionem vocum.

Solutio: *Scripta, quibus visi sunt sæpè vti surdi, & muti sunt vera scripta respectu nostri,* Concedo. *respectu surdi,* Nego. *atqui non ducunt sæpè in cognitionem, vocum nos,* Nego. *surdos,* Concedo.

Contrà. Illa scripta sunt propria, quæ constant syllabis, & caracteribus; atqui scripta surdorum, & mutorum constant syllabis, & caracteribus : ergo sunt propria scripta respectu surdi, & muti.

Solutio: *Illa scripta sunt propria, quæ constant variis syllabis, & partibus. ita vt significatio cadat indiuisibiliter in verbum scriptum,* Nego. *ita vt significatio diuisa sit in varias ipsorum partes,* Concedo. *atqui ista constant variis syllabis, & caracteribus, ita vt significatio cadat indiuisibiliter in verbum illud scriptum,* Concedo. *ita vt significatio diuisa sit in varias ipsorum partes,* Nego.

Contrà. Scripta, quorum significatio est diuisa in varias ipsorum partes significant primo voces; atqui scripta ex concessis non significant primo voces : ergo scriptorum significatio non est diuisa in varias ipsorum partes.

Maior pr. Scripta repræsentant primo seipsa; atqui ea, quorũ significatio est diuisa in varias ipsorum partes sunt voces : ergo scripta, quo-

rum significatio est diuisa in varias ipsorum partes significant primo voces.

Minor pr Voces scriptæ sunt verè voces; atqui scripta quorum significatio diuisa est in varias ipsorum partes sunt voces scriptæ: ergo scripta, quorum significatio est diuisa in varias ipsorum partes sunt verè voces.

Solutio: *Voces scriptæ sunt verè voces, hoc est, sunt significantes ad placitum.* Nego. *hoc est characteres correspondentes varijs partibus vocis, & ipsis substituti.* Concedo. *& concessa minori eodem modo distinguendum est consequens.*

Contrà Quod substituitur vocibus significat primo voces; atqui voces scriptæ substituuntur veris vocibus, & sonis significantibus ad placitum ex concessis: ergo voces scriptæ significant primo voces.

Maior pr. Quod substituitur vocibus significat primo, quod voces significant; atqui voces seipsas significant primo: ergo quod substituitur vocibus significat primo voces.

Maior pr Quod substituitur alteri significat primo, quod illud primo significat: ergo quod substituitur vocibus significat primo, quod ipsæ primo significant.

Solutio: *Quod substituitur alteri significat primo, quod illud primo significat, si sermo sit de re distincta à re significante, & signo ipso,* Concedo. *si sermo sit de re ipsa significante, & signo ipso,* Nego. *ergo quod substituitur vocibus significat primo, quod ipsa primo significant distinctum ab ipsismet,* Concedo. *illud enim sunt res quas diximus à scriptis primo significari; identi-*

ficatum ipsismet vocibus, Nego. *cum enim habeant tantùm, vt significent se primo, quia sunt signa instrumentalia rerum, & ducunt in illarum cognitionem. Quod autem cognitum ducit in alterius cognitionem debet ipsum prius cognosci, idem obtinere non possunt per illud, quod ipsismet substituitur. Cum enim sit quid ab ipsis distinctum, in illo non valet ratio, seu non est identitas, propter quam dicuntur se primo significare, imò fieri non potest. Cum enim istud substitutum sit tantum signum instrumentale eius, pro quo substituitur, debet ipsum prius repræsentari, atque ita implicat vt primo significet, quod ab ipso distinguitur, qualis est res, pro qua substituitur.*

Contrà. Quod ponitur loco alterius, & vt faciat, quod faciebat aliud, significat primo, quod significabat aliud; atqui quod substituitur alteri ponitur loco alterius, & vt faciat quod faciebat aliud: ergo quod substituitur alteri significat primo, quod significabat aliud.

Solutio: *Quod ponitur loco alterius, & vt faciat totum, quod faciebat aliud significat primo, quod significabat aliud,* Concedo. *quod ponitur, vt faciat tantùm partem eius, quod faciebat aliud,* Nego. *atqui quod substituitur alteri ponitur loco alterius, & vt faciat totum: quod faciebat aliud.* Nego. *partem eius, quod faciebat aliud,* Concedo. *Cum enim aliud faceret duo, nimirum, seipsum significare, & aliquid à se distinctum. Istud quod substituitur non debet propterea, quod substituatur facere primum: sufficit siquidem, vt faciat secundum. Imo hoc faciendo videtur ma-*

gis agere alterius partes, & illud imitari: sicut enim illud significabat se, & aliquid à se distinctum, ita similiter istud se significat, & illud distinctum, quod aliud significabat; potest quidem, quod substituitur alteri significare illudmet, cuius loco ponitur, vt patet in vocibus respectu conceptuum: verum hoc non est necessarium, vt clarum est in statua aurea Caesaris, posita loco lignea, quae non significat istam, sed id, quod repraesentabat, scilicet, Caesarem.

SECTIO II.

De Nomine & Verbo.

PRIMA CONCLVSIO:

Differentia nominis, & verbi benè assignatur per hoc, quòd verbum adsignificet tempus, nomen verò minimè.

ILLVD rite assignatur pro differentia duorum, quod conuenit vni ex illis essentialiter, & alteri nullomodo; atqui adsignificare tempus conuenit essentialiter verbo, & non conuenit nomini: ergo differentia nominis, & verbi benè assignatur per hoc, quod verbum adsignificet tempus, nomen verò minimè.

Minor pr. Adsignificare tempus est importare veram differentiam temporis tanquam cir-

cunstantiam actionis, aut quasi actionis principaliter ad significatæ; atqui hoc conuenit verbo, & non conuenit nomini: ergo ad significare tempus conuenit verbo, & non conuenit nomini.

Minor pr. Veræ, & essentiales differentiæ temporis sunt præsens, præteritum, & futurum; atqui solum verbum significat præsens, præteritum, & futurum, tanquam circunstantiam actionis, aut quasi actionis principaliter ad significatæ per illud: ergo adsignificare veram differentiam temporis, tanquam circunstantiam actionis, aut quasi actionis conuenit verbo, & non conuenit nomini.

Obiicies. Illud non est differentia temporis, & verbi, quod conuenit vtrique ex illis; atqui adsignificare tempus conuenit nomini, & verbo: ergo adsignificare tempus non est differentia nominis, & verbi.

De verbo hoc asserit conclusio, & probatur de nomine.

Dies, annus, sæculum sunt nomina; atqui illis conuenit adsignificare tempus: ergo nomini conuenit adsignificare tempus.

Minor pr. Illi conuenit adsignificare tempus, quod significat verum tempus; atqui dies, & annus significant verum tempus: ergo nomini conuenit adsignificare tempus.

Solutio: *Illi conuenit adsignificare tempus, quod significat verum tempus, tanquam circunstantiam actionis, aut quasi actionis, quam etiam significet, & quidem principaliter*, Concedo. *si ita non significet*, Nego. *atqui dies, & an-*

nus significant verum tempus, tanquam circunstantiam actionis, aut quasi actionis, quam principaliter significent, Nego. *Dies enim, & annus non significant quidquam aliud prater tempus, significant tempus. sed non tanquam huiusmodi circunstantiam*, Concedo..

Contrà Quod significat tempus tanquam circunstantiã actionis, aut quasi actionis adsignificatæ, verè adsignificat tempus ex cõcessis; atqui cœna, & prandium significant tempus, tanquam circunstantiam actionis per ipsa adsignificatæ: ergo significant verum tempus.

Solutio: *Quod significat tempus, hoc est verum, & essentialem differentiam temporis, qualis est tantum præsens præteritum, & futurum, tanquam circunstãtiam actionis, aut quasi actionis significata, verè adsignificat tempus*, Concedo. *tempus qualecumque, & quod non est vera differentia temporis, quale est matutinum, meridianum, & serotinum*, Nego. *atqui prandium, & cœna significant tempus, quod non est vera differentia temporis*, Concedo. *quod est vera differentia temporis*, Nego. *tempus enim adsignificatum per cœnam est serotinum, & per prandium matutinum, qua non sunt essentialis differentia temporis.*

Contrà. Tempus serotinum, & matutinum sunt vera differentia temporis: ergo nulla solutio:.

Antecedens pr. Tempus præsens, præteritum, & futurum sunt vera differẽtia temporis; atqui tempus matutinum est præsens, præteritum, vel futurum: ergo tempus matutinum est ve-

ra differentia temporis.

Solutio : *Atqui tempus matutinum est præsens, præteritum, vel futurum realiter*, Concedo. *cum enim sit tempus; præsens autem, præteritum, & futurum includant omne tempus, debet esse vnum ex illis formaliter*, Nego. *ergo tempus matutinum est vera differentia temporis realiter*, Concedo. *formaliter*, Nego.

Contrà. Vt tempus matutinum significet veram differentiam temporis sufficit, vt illud, quod significat sit realiter vera differentia temporis; atqui illud, quod significat est realiter vera differentia temporis : ergo significat veram differentiam temporis.

Solutio : *Vt tempus matutinum significet veram differentiam temporis, prout requiritur ad rationem verbi sufficit, vt illud, quod significat sit realiter vera differentia temporis*, Nego. *prout requiritur ad nomen*, Concedo. *& concessa minori : ergo significat veram differentiam temporis, hoc est, id, quod est realiter talis differentia, quod potest nomini conuenire*, Concedo. *veram differentiam temporis, hoc est, id, quod non tantum realiter, sed etiam formaliter est vera differentia temporis, prout requiritur ad verbum*, Nego. *Ratio responsionis est, quia cum constitui debeat differentia aliqua inter nomen, & verbum, & significare id, quod est vera differentia temporis non tantùm realiter, sed etiam formaliter conueniat omni verbo, & nulli planè nomini, rectissimè dicitur esse vtriusque differentia.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Verbum non obtinet locum prædicati partialis in propositionibus de tertio adiacente.

ISTÆ propositiones nullus homo est lapis, aliquis homo est iustus, sunt propositiones de tertio adiacente; atqui verbum in illis non obtinet locum prædicati partialis: ergo verbum non obtinet locum prædicati partialis in propositionibus de tertio adiacente.

Minor pr. Totum prædicatum primæ est lapis, & secundæ iustus; atqui verbum, est, nihil est lapidis, neque iusti: ergo verbum non obtinet in illis locum prædicati partialis.

Maior pr. Illud est totum prædicatum in ista propositione, quod in conuersione eius, est subiectum; atqui lapis tantùm in conuersione eius, est subiectum: ergo totum prædicatum primæ est lapis.

Obÿcies. Propositiones de tertio adiacente sunt istę omnis homo est animal, Petrus est albus; atqui in istis verbum obtinet locũ prædicati partialis: ergo verbũ obtinet locum prædicati partialis in propositionibus de tertio adiacente.

Minor pr. Non minus verbum obtinet in istis locum prædicati partialis, quam in propositionibus de secundo adiacente; atqui obtinet locum prædicati partialis in propositionibus de secundo adiacente: ergo & in propositionibus de tertio.

Maior pr. Verbum in istis propositionibus non amittit suam significationem: ergo non minus verbum obtinet locum in illis prædicati partialis, quam in alijs.

Consequentia pr. Habebat in alijs propositionibus vim importandi prædicatum; atqui ex cōcessis illam non amittit: ergo illā habet in istis.

Solutio: ***Habebat vim importandi prædicatum in alijs propositionibus de tertio adiacente***, Nego. *de secundo*, Concedo. ***ergo illam habet in istis, & ista sunt de secundo adiacente***, Nego. ***de tertio***, Concedo.

Ratio huius diuersæ significationis verbi, est, petitur ex vsu, & acceptione cōmuni illius verbi, quod voluere Philosophi importare prædicatum in propositionibus de secundo adiacente, non autem in propositionibus de tertio, ratio verò vlterior huius voluntatis, & beneplaciti Authorum esse potest, quod in propositionibus de secundo adiacente, existentia significata sufficienter per ipsum verbum est asseratur tantùm de subiecto. In illis verò de tertio non asseratur vt plurimum existentia de subiecto, seu positio eius extra causas, sed prædicati cum ipso connexio, quæ stare potest non existente subiecto, & licèt non sit positum extra causas.

DISPVTATIO II.

De quibuſdam Enuntiationis affectionibus.

CVM quę de ęquipollentia propoſitionum, & conuerſione tractantur à ſummuliſtis certa adeò ſint, vt in dubium à nemine reuocentur: illis pretermiſſis, de ſola enuntiationum oppoſitione in ordine ad ſuum obiectum, & veritatem, ac falſitatem hîc diſputabimus. Cętera, quę ad eam ſpectant commodiùs in libris de animâ agitabuntur.

SECTIO PRIMA.

De oppoſitione Enuntiationum.

PRIMA CONCLVSIO:

Neque ſubcontrariæ, neque ſubalternæ propoſitiones ſunt propriè oppoſitæ.

ILLÆ propoſitiones non ſunt propriè oppoſitæ, quæ non habent idem ſubiectum, aut vna non negat, quod altera affirmat: atqui ſubcontrariæ non habent idem ſubiectum, & ſubalternarum

vna non negat, quod altera affirmat: ergo neque subcontrariæ, neque subalternæ sunt propriè oppositæ.

Minoris prima pars probatur.

Istæ propositiones sunt subcontrariæ, aliquis homo est iustus, aliquis homo non est iustus, atqui istæ propositiones non habent idem subiectum: ergo subcontrariæ non habent idem subiectum.

Minor pr. Illę propositiones non habent idem subiectum, quarum vna intelligitur de vno, & alia de alio, atqui istæ sunt tales: ergo non habent idem subiectum.

Minor pr. Prima intelligitur de S. Petro, v. g. secunda de Iuda: ergo vna intelligitur de vno, & alia de alio.

Secunda pars minoris primi argumenti, quod subalternarum vna non neget, quod altera affirmat probatur.

Illæ propositiones, quæ sunt ambæ negatiuę, aut ambæ affirmatiuę, vna non negat, quod altera affirmat; atqui subalternę sunt ambę affirmatiuę, aut negatiuę: ergo vna non negat, quod altera affirmat.

Minor pr. Istę propositiones, omnis homo est iustus, quidam homo est iustus, nullus homo est lapis, quidam homo non est lapis, sunt subalternę; atqui duæ primæ sunt ambę affirmatiuę, duæ secundæ negatiuæ: ergo subalternæ sunt ambæ affirmatiuæ, aut ambæ negatiuæ.

Secvnda Conclvsio:

Contrariæ, & contradictoriæ sunt verè opposita.

Illæ propositiones sunt verè oppositæ, quarum vna negat, quod affirmat altera; atqui contrariarum, & contradictoriarum vna negat, quod altera affirmat: ergo sunt verè oppositæ.

Minor pr. Istæ propositiones omnis homo est iustus, quidam homo non est iustus, omnis homo est animal, nullus homo est animal sunt contrariæ, & contradictoriæ: atqui istarum vna, negat, quod altera affirmat: ergo contrariarum, & contradictoriarum vna negat, quod altera affirmat.

Minor pr. Duæ primæ propositiones asserunt conuenire homini, prima quidem iustitiam, & secunda animalitatem: atqui duæ secundæ hoc negant: ergo istarum vna negat, quod altera affirmat.

Minor pr. Propositio, quæ dicit aliquem hominem non esse iustum, & nullum esse animal negat homini conuenire iustitiam, & animalitatem: atqui duarum secundarum, prima dicit aliquem hominem non esse iustum, & vltima nullum esse animal: ergo duæ secundæ negant homini conuenire iustitiam, & animalitatem.

Obijcitur. Illæ propositiones non sunt verè oppositæ, quarum vna non negat, quod altera affirmat: atqui contradictoriarum vna non negat, quod altera affirmat: ergo contradictoriæ

non sunt verè oppositæ.

Minor pr. Propositionum, quæ non habent idem subiectum, vna non negat, quod altera affirmat; atqui contradictoriæ non habent idem subiectum: ergo contradictoriarum vna non negat, quod altera affirmat.

Minor pr. Istæ sunt contradictoriæ, omnis homo est iustus, quidam homo non est iustus; atqui istæ non habent idem subiectum: ergo contradictoriæ non habent idem subiectum.

Minor pr. Subiectum primæ, est omnis homo, & secundæ aliquis homo; atqui omnis homo, & aliquis homo non sunt idem: ergo istæ propositiones non habent idem subiectum.

Solutio: *Atqui omnis homo, & aliquis homo non sunt idem omnino*, Concedo. *ex parte*, Nego. *ergo non habent idem subiectum omnino.* Concedo. *ex parte*, Nego. *partialis autem illa identitas subiecti sufficit, vt possint dici non habere diuersum subiectum, & quod affirmant, & negant asserere, aut negare de eodem.*

Ex dictis inferes contrarias, & contradictorias ita se habere in oppositione, vt primæ dicendæ sint magis oppositæ in ratione signi, seu in significatione propterea quod vna earum destruat totum, quod altera ponit, quod non faciunt secundæ: has verò magis opponi in veritate. Contrariæ enim possunt esse simul falsæ: contradictoriæ autem nec simul veræ, nec simul falsæ, sed semper vna vera, & altera falsa.

Sectio III.

De oppositione Propositionum de futuro contingenti.

Propositio de futuro dicitur illa, cuius obiectum repræsentatur coexistens, aut non coexistens instanti immediatè sequenti, aut longiori interuallo successuro illi, in quo profertur. Cum autem obiectum illud, quod repræsentatur futurum possit esse necessarium, aut non necessariũ, seu contingẽs, quàm facilè admittunt omnes propositionem, quæ repræsentat illud, quod non potest aliter se habere, esse determinatè veram, aut falsam, tam obstinato animo idem dicendum negant nonnulli de ea, cuius obiectum potest esse, vel non esse, seu ita est futurũ, vt possit non esse futurum, contendúntque affirmationem de eius futura existentia, non habere determinatam veritatem nec falsitatem: propterea quod, inquiunt, veritas illius assertionis nõ possit esse magis determinata, quàm existentia, quã affirmat, quæ neque in se, neque in sua causa siue creata, siue increata est iam determinata, ambæ enim sunt iam indifferentes ad illi dandum esse, & perseuerabunt in illa indifferentia donec fuerit posita, aut non posita illa existentia. Verùm non aduertunt illi Authores, aliud esse veritatem illius propositionis esse iam, seu de facto

conuenire illi propositioni, aliud existentiam obiecti ipsius esse de præsenti, & coexistere instanti currenti: hoc enim secundum non requiritur vllo modo, vt illa propositio sit conformis suo obiecto, imo verò si esset, impediret ne esset conformis, & redderet illam falsam: quare sit.

VNICA CONCLVSIO:

Propositionum de futuro contingenti, vna est determinatè vera, altera falsa.

PROBATVR *de vera.*
Illa propositio est determinatè vera, cuius obiectum eo modo se habet, quo asseritur per illam; atqui obiectum vnius propositionis de futuro contingenti, ita se habet, vt asseritur per illam: ergo vna propositionum de futuro contingenti est determinatè vera.

Minor pr. Ista propositio, Antichristus peccabit est de futuro contingenti; atqui obiectum eius eo modo se habet, quo asseritur per illam: ergo obiectum propositionis de futuro contingenti ita se habet, vt asseritur per illam.

Minor pr. Obiectum istius propositionis est peccatum Antichristi futurum; atqui illud verè futurum est: ergo obiectum istius propositionis eo modo se habet, quo asseritur per illam.

Minor pr. Quod Deus dicit futurum, illud verè futurum est; atqui Deus dicit peccatum Antichristi futurum: ergo verè futurum est.

Obiicitur. Ista propositio Antichristus peccabit non est determinatè vera: ergo propositio de

futuro contingenti non eſt determinatè vera.

Minor pr. Propoſitio, quæ nullo tempore eſt vera, non eſt determinatè vera; atqui iſta nullo tẽpore eſt vera: ergo non eſt determinatè vera.

Minor pr. Tempus, vel eſt præſens, vel præteritum vel futurum; atqui nullo tempore ex his eſt vera: ergo nullo tempore eſt vera.

Minor de præſenti probatur.

Propoſitio, quæ eſt vera iam, fuit etiam vera ante horam, & ante annum; atqui iſta propoſitio non eſt vera ante horam, & ante annum: ergo non eſt vera iam, & in præſenti.

Minor pr. Propoſitio vera ante horam, & annum eſt vera ab æterno; atqui iſta non eſt ab æterno vera: ergo nec ante annum.

Minor pr. Propoſitio vera ab æterno eſt ęternæ veritatis; atqui iſta non eſt æternæ veritatis: ergo nec ab æterno vera.

Maior pr. Propoſitio æternæ veritatis non eſt alia, quam ea, quæ eſt ab æterno vera: ergo propoſitio vera ab æterno eſt æternæ veritatis.

Antecedens pr. Nihil aliud dici poteſt requiri ad propoſitionem æternæ veritatis, quam vt ſit ab æterno vera: ergo propoſitio æternæ veritatis non eſt alia, quam ea, quæ eſt ab æterno vera.

Antecedens pr. Illud aliud requiſitum non poteſt eſſe niſi connexio neceſſaria inter prædicatum, & ſubiectum huiuſmodi propoſitionis; atqui eſt neceſſaria connexio inter prædicatum, & ſubiectum iſtius propoſitionis: ergo nihil aliud requiritur ad propoſitionem æternæ veritatis, quam vt ſit ab æterno vera.

Minor pr. Connexio inter prædicatum, & ſub-

iectum istius propositionis debet esse necessaria vel contingens; atqui non est contingens : ergo est necessaria.

Minor pr. Connexio illa non est indifferens: ergo non est contingens.

Antecedens pr Connexio, quę est determinata, non est indifferens; atqui ista est determinata : ergo non est indifferens.

Solutio : *Connexio, quæ est determinata antecedenter non est indifferens*, Concedo. *quæ est determinata tantùm ex suppositione.* Nego. *atqui ista est determinata ex suppositione*, Concedo. *antecedenter*, Nego.

Contrà. Illa connexio est determinata antecedenter, quæ nõ potest non esse; atqui ista nõ potest non esse : ergo est determinata antecedẽter.

Solutio : *Illa connexio est determinata antecedenter, quæ non potest non esse absolutè*, Concedo. *Ex suppositione tantùm*, Nego. *atqui ista non potest non esse ex suppositione*, Concedo. *absolutè*, Nego.

Contrà. Quod sequitur necessariò ex aliquo, quod non est in nostra potestate, non potest non esse absolutè; atqui illa connexio sequitur necessariò ex aliquo, quod non est in nostra potestate : ergo non potest non esse absolutè.

Solutio : *Illud non potest non esse absolutè, quod sequitur necessariò ex aliquo, quod non est in nostra potestate, si istud sit antecedenter præsuppositum*, Concedo. *si non sit antecedenter præsuppositum*, Nego. *atqui illa connexio sequitur ex aliquo antecedenter præsupposito*, Nego. *non præsupposito*, Concedo.

Contrà Sequitur necessariò ex præuisione Dei; atqui præuisio Dei antecedenter præsupponitur: ergo sequitur ex aliquo antecedenter præsupposito.

Minor pr. Præuisio Dei antecedit illam connexionem: ergo præsupponitur ei antecedenter.

Solutio : *Præuisio Dei antecedit illam connexionem tempore*, Concedo. *causalitate*, Nego.

Contrà. Illud antecedit aliud causalitate, ex cuius positione sequitur positio alterius omnimoda necessitate; atqui illa connexio sequitur ex præuisione Dei omnimoda necessitate : ergo præuisio Dei antecedit illam causalitate.

Minor pr. Illa connexio est peccatum Antichristi futurum; atqui præuisio Dei infert illud peccatum omnimoda necessitate : ergo illa connexio sequitur ex præuisione Dei omnimoda necessitate.

Minor pr. Illud peccatum absolutè non potest non esse : ergo præuisio Dei infert illud omnimoda necessitate.

Antecedens pr. Posito possibili nihil sequitur impossibile; atqui posito quod illud peccatum absolutè possit non esse, sequitur aliquid impossibile : ergo illud peccatum absolutè non potest non esse.

Minor pr. Est impossibile Deum falli; atqui posito, quod illud peccatum absolutè possit non esse, sequitur Deum falli : ergo posito, quod illud peccatum absolutè possit non esse, sequitur aliquid impossibile.

Minor pr. Ille fallitur, qui dicit aliquid futurum, quod non est futurum; atqui posito, quod

illud peccatum absolutè possit non esse, Deus dicit aliquid futurum, quod non est futurum: ergo posito, quod illud peccatum absolutè possit non esse, sequitur Deum falli.

Minor pr. Deus dicit illud peccatū futurum; atqui illud non est futurum: ergo Deus dicit aliquid futurum, quod non est futurum.

Solutio: *Deus dicit illud peccatum futurum in illa suppositione*, Nego. *in contraria*, Concedo. *atqui illud peccatum non est futurum in illa suppositione*, Concedo. *in contraria*, Nego.

Contrà. Deus non aliud dicit in illa suppositione, quàm in contraria; atqui dicit futurum in contraria: ergo dicit illud futurum in illa suppositione.

Maior pr. Quod dicit semper idem, non aliud dicit in vna suppositione, quàm in contraria; atqui Deus semper dicit idem: ergo non aliud dicit in illa suppositione, quàm in contraria.

Minor pr. Ille dicit semper idem, cuius assertio est semper eadem; atqui assertio diuina est semper eadem: ergo Deus dicit semper idem.

Minor pr. Assertio diuina est cognitio diuina; atqui cognitio diuina est semper eadem: ergo & assertio.

Minor pr. Cognitio diuina est Deus ipse; atqui Deus est semper idem: ergo cognitio diuina est semper eadem.

Solutio: *Cognitio diuina est Deus secundum id, quod illa cognitio dicit in recto*, Concedo. *secundum id, quod dicit in obliquo*, Nego. *& concessa minori: ergo cognitio diuina est semper eadem secundum rectum*, Concedo. *secundum obliquum,*

Nego. *Cognitio diuina conflatur ex duobus, vno in recto, scilicet, entitate Dei, quæ est semper eadem, altero in obliquo, nimirum, obiecto, quod, vt patet, tam varium est, quam diuersa sunt ea, quæ diuinæ menti obijciuntur.*

Ex dictis inferes primò, causam effectus futuri non esse pro nunc ad illum determinatam, sed tantùm se determinaturam tempore, quo futurum dicitur.

Secundò, præuisionem diuinam antecedere quidem tempore existentiam illius effectus, atque etiam eius causæ, non tamen causalitate. Verum enim est esse præuisionem, quia est, aut erit effectus ille; non verò est effectus, quia est præuisio, quia si effectus non esset ponendus, non esset illa præuisio, sed contraria. Veritas hæc facilè deprehendi potest in speculo repræsentante motum, Petri futurum post tres tantũ, aut quatuor horas, Deo supplente speciem illius obiecti non existentis. Repræsentatio enim illa licèt antecedat tribus, aut quatuor illis horis illum motum Petri non est eius causa, sicut nec cognitio Prophetarum causat res illas, quas Deus ipsis reuelat antequam habeant esse. Cum enim illud habebunt non erit, aut poterit non esse illa cognitio, nec consequenter illis illud dare. Cæterum præuisio illa Dei non videt effectus contingentes futuros in causa ipsorum, quippe quæ sit ad illos indifferens, sed in ipsismet non quidem pro hoc tempore, sed pro illo, in quo erũt. Cũ enim Deus nihil possit ignorare perspecta illi esse, debet coëxistentia illius effectus cum tempore, in quo ponetur extra causas.

Tertiò

Tertiò futuritionem, & præteritionem in eo conuenire, quòd ambæ importent pro instanti, cui dicuntur coexistere non existentiam illius rei, cuius sunt futuritio, aut præteritio. Differre verò in eo, quòd præteritio supponat rem illam fuisse tempore antecedente illud, cui dicitur coexistere. Futuritio verò requirat vt id, cuius est futuritio habeat existentiam, non tempore antecedente illud, in quo ipsa est, seu id, quod dicit in recto, sed subsequenti.

Quartò, cùm propositio de futuro contingenti dicitur determinatè vera vel falsa, determinatè non esse idem ac necessariò, sed tantùm significare veritatem, aut falsitatem re ipsa, & de facto conuenire propositioni, quod negari ipsi non posse, ex eo potest confirmari, quòd vel quod ipsa asserit futurum, est de facto futurum, vel non est futurum: si primum verum dicit, & vera est, & si secundum repræsentat falsum, & dici debet falsa, seu non conformis ei, quod repræsentat.

TRACTATVS III.

DE TERTIA MENTIS *operatione.*

QVæ minutiora ſunt, & non multum difficilia ad iſtam mentis operationem pertinentia, explicant fusè Summuliſtæ: quare his omiſſis, quæ apud illos videri poſſunt, alia quæ ſunt præcipua, & difficiliora hîc explicabimus, eáque maioris claritatis gratia diuidemus in tres diſputationes. Prima erit de ſyllogiſmo eiúſque partibus, ſecunda de præcipua ſyllogiſmi ſpecie, ſcilicet demonſtratione; & tertia denique de ſcientia, quæ eſt concluſio ſyllogiſmi demonſtratiui, & effectus demonſtrationis; cùm hæc ſumitur pro ſolis præmiſſis, vt aliquando vſuuenit. Diſputationem autem hanc de ſcientia ideo ponimus vltimo loco, quia duarum priorum explicatio non parum confert ad ea faciliùs capienda, quæ de ea dicemus. Cùm enim ſit, vt diximus, concluſio demonſtrationis, & hæc ſpecies ſyllogiſmi, bene perceptis ſyllogiſmo, & demonſtratione, haud dubiè & ipſa meliùs percipietur.

DISPVTATIO I.

De Syllogiſmo, eiúſque partibus.

QVATVOR, aut quinque de ſyllogiſmo diſputanda ſunt. Primum eſt, an ipſe ſolus ſit argumentatio formalis. Secundum, an concluſio ſit eius pars. Tertium, quidnam hæc habeat pro obiecto. Quartum, an præmiſſæ neceſſitent ad aſſenſum concluſionis. Quintum quotuplex ſit figura.

SECTIO PRIMA.

Quænam Argumentatio ſit formalis.

ARGVMENTATIONI definiri ſolitæ, *Oratio in qua ex vno infertur aliud*, quatuor aſſignantur ſpecies, ſcilicet, ſyllogiſmus, enthymema, inductio, & exẽplũ: ſyllogiſmus, & enthymema differunt in diſpoſitione propoſitionũ, in hoc enim ex vna propoſitione continẽte mediũ, altera ſuppreſſa infertur cõcluſio, cũ in illo nulla ſupprimatur præmiſſa. Inductio verò, & exẽplum differunt non vt illa, in forma, ſed in materia. Illa ſiquidem ex enumeratione omniũ

partium infert totum, quod ex illis constituitur. In isto autem ex vno simili colligitur aliud simile. Vix est vllus qui neget syllogismum esse argumentationem formalem; seu argumentationem, in qua cùm antecedens verum est, consequens non potest esse falsum: sed multi sunt, qui hoc idem conuenire volunt inductioni. Sit nihilominus.

VNICA CONCLVSIO:

Solus syllogismus est argumentatio formalis.

ILLA sola argumentatio est formalis, in qua cùm antecedens est verum, consequens non potest esse falsum vi dispositionis terminorum; atqui in solo syllogismo, cùm antecedens est verum, consequens non potest esse falsum, vi dispositionis terminorum: ergo solus syllogismus est argumentatio formalis.

Minor pr. Aliæ argumentationes, in quibus dici potest cùm antecedens verum est consequens falsum esse non posse vi dispositionis terminorum, sunt enthymema, inductio, & exemplum; atqui in enthymemate, inductione, & exemplo, cùm antecedens est verum, consequens esse potest falsum vi dispositionis terminorum: ergo in solo syllogismo, cùm antecedens est verum: consequens non potest esse falsum vi dispositionis terminorum.

Minor pr. Dispositio terminorum, & propositionum, quæ est in enthymemate, inductione, &

exemplo, conſiſtit tota in eo, quòd ex vna propoſitione continente medium ſuppreſſa altera inferatur concluſio; atqui ſtante huiuſmodi diſpoſitione, cùm antecedens eſt verum, conſequens poteſt eſſe falſum: ergo in enthymemate, inductione, & exemplo vi diſpoſitionis terminorum, cùm antecedens eſt verum, conſequens poteſt eſſe falſum.

Minor pr. Stat tota huiuſmodi diſpoſitio in iſta argumentatione, Petrus eſt animal: ergo eſt irrationalis; atqui antecedens eſt verum, & conſequens falſum: ergo ſtante huiuſmodi diſpoſitione, cùm antecedens eſt verum, conſequens eſt falſum.

Maior ſuperioris argumenti conceditur de enthymemate, negatur autem de inductione, & exemplo: ſed Contrà.

Argumentationum differentium tantùm in materia, cùm vnius, diſpoſitio terminorum tota eſt in eo, quod ex vna propoſitione continente medium ſuppreſſa altera inferatur, concluſio, aliarum quoque eadem eſt; atqui enthymema, inductio, & exemplum differunt tantùm in materia: ergo diſpoſitio terminorum, quæ eſt in inductione, & exemplo conſiſtit tota in eo, quod ex vna propoſitione continente medium, ſuppreſſa altera, inferatur concluſio.

Obijcies. Illa argumentatio eſt formalis, in qua, cùm antecedens eſt verum, conſequens non poteſt eſſe falſum; atqui in inductione, cùm antecedens eſt verum, conſequens non poteſt eſſe falſum: ergo inductio eſt argumentatio formalis.

Solutio: *illa argumentatio est formalis, in qua cùm antecedens est verum, consequens non potest esse falsum vi dispositionis terminorum*, Concedo. *vi materia*, Nego. *atqui in inductione cùm antecedens est verum consequens non potest esse falsum vi dispositionis terminorum*, Nego. *vi materia*, Concedo.

Contrà. Dispositio terminorum in inductione consistit in eo, quod fiat debita omnium partium enumeratio; atqui cùm illa fit in antecedente, consequens non potest esse falsum: ergo in inductione vi dispositionis terminorum, cùm antecedens est verum, consequens non potest esse falsum.

Maior pr. Debita omnium partium enumeratio in inductione habet se vel per modum materiæ, vel per modum formæ, & dispositionis terminorum; atqui non se habet tantùm per modum materiæ: ergo habet se per modum formæ & dispositionis terminorum.

Minor pr. Debet esse aliquod discrimen inter enthymema, & inductionem, non tantùm ex parte materiæ, sed etiam ex parte formæ; atqui ex suppositione, quod debita omnium partium enumeratio habeat se tantùm per modum materiæ; enthymema, & inductio non different in forma, & dispositione terminorum: ergo debita omnium partium enumeratio non se habet tantùm per modum materiæ.

Maior pr. Argumentationes constituentes diuersa membra in diuisione argumẽtationis, debent differre non tantùm ex parte materiæ, sed etiam ex parte formæ; atqui enthymema, & in-

ductio sunt diuersa membra in diuisione argumentationis; ergo debet esse aliquod discrimen inter enthymema, & inductionem, non tantùm ex parte materiæ, sed etiam ex parte formæ.

Neganda. *st maior, neque enim esse debet maius discrimen inter species, & membra argumentationis, quàm syllogismi, cuius tamen species, scilicet demonstratio, opinio,* &c. *differunt tantùm penes materiam.*

Contrà. Diuersa membra cuiusque tandem diuisionis non possunt vnum prædicari de alio; atqui ex suppositione, quòd membra diuersa argumentationis differant tantùm ex parte materiæ, vnum prædicari potest de alio: ergo argumentationes constituentes diuersa membra, in diuisione argumentatiouis debent differre non tantũ ex parte materiæ, sed etiam ex parte formæ, debent siquidem distingui formaliter.

Solutio: *Diuersa membra cuiuscumque tandem diuisionis, non possunt vnum prædicari de alio formaliter, & præcisè sumpta, vt sic,* Concedo. *realiter sumpta,* Nego. *In diuisione enim, verbi gratia, viuentis, rationale prædicatur de sensitiuo realiter, & è conuerso: atqui ex suppositione, quòd membra diuersa argumentationis differant tantùm ex parte materiæ, vnum prædicari potest de alio formaliter sumpto, & vt sic* Nego. *realiter sumpto, enthymema verbi gratia de inductione,* Concedo. *Negari enim non potest, quin inductio sit enthymema realiter, seu argumentatio, in qua ex vna propositione continente medium infertur alia; at non formaliter. Inductio enim habet insuper, quod continere debeat de-*

bitam omnium partium enumerationem.

Contrà. Inductio licèt includat aliquid aliud ab enthymemate non desinit esse formaliter enthymema: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Homo includit aliquid aliud ab animali tam benè, atque inductio ab enthymemate; atqui homo non desinit propterea dici formaliter animal: ergo inductio licèt includat aliquid aliud ab enthymemate, non desinit esse formaliter enthymema.

Solutio: *Atqui homo non desinit esse formaliter animal, prout hoc est genus, & extendit se ad omnia animalia*, Nego. *In hoc enim sensu, neque etiam realiter sunt idem, vt patet, prout animal restringitur, & contrahitur ad hominē*, Concedo. *ergo etiam inductio licèt includat aliquid aliud ab enthymemate non desinit esse formaliter enthymema, prout hoc est genus, & extendit se ad omnia enthymemata*, Nego. *prout enthymema restringitur, & contrahitur ad inductionem*, Concedo.

Contrà. Responsio supponit enthymema esse genus, in diuisione argumentationis; atqui non potest dici quod in illa diuisione sit genus: ergò responsio nulla est.

Solutio: *Responsio supponit enthymema esse genus in diuisione argumentationis includens, & extendens se ad ipsam inductionem, & exemplum*, Nego. *ipsam excludens*, Concedo. *atqui non potest dici, quod enthymema in diuisione argumentationis sit genus includens, & extendens se ad inductionem*, Concedo. *illam excludens*, Nego. *Certè sensitiuum in diuisione viuentis non potest negari esse genus, habet enim sub se varias*

ſpecies, mugibile ſcilicet, hinnibile, &c. *non tamen ita vt includat etiam rationale, ſic enim vitioſa eſſet diuiſio, cuius vnum membrum diuidens includeretur in alio. Rationale ſcilicet, in ſenſitiuo: Ita ſimiliter enthymema eſt genus reſpectu variorum illorum enthymematum, quæ non ſunt inductio, aut exemplum, verbi gratia, à cauſa ad effectum, ab effectu, ad cauſam*, &c. *non autem reſpectu inductionis, & exempli, vt ſint impermixta membra diuidentia, prout requiritur ad legitimam diuiſionem.*

SECTIO II.

An concluſio ſit pars ſyllogiſmi, & quodnam ſit eius obiectum.

NEMO dubitat, quin præmiſſæ ſint partes conſtitutiuæ ſyllogiſmi, certum etiam eſt connexionem duorum extremorum inter ſe eſſe obiectum concluſionis: verùm non pauci contendunt hanc non attingere obiecta præmiſſarum, & nihil eſſe planè ſyllogiſmi. Quomodo id adſtruant, declarabunt quæ opponent duabus noſtris concluſionibus.

Li iv

PRIMA CONCLVSIO:

Conclusio est pars Syllogismi.

ILLVD est pars syllogismi, quod est aliquid syllogismi; atqui conclusio est aliquid syllogismi: ergo est pars syllogismi.

Minor pr. Quod est aliquid definitionis syllogismi, est aliquid ipsius syllogismi; atqui conclusio est aliquid definitionis syllogismi: ergo & ipsius syllogismi.

Minor pr. Definitio syllogismi est ***Oratio, in qua quibusdam positis aliud quidpiam ab his, quæ posita sunt necessariò sequitur, eo quod hæc sint***; atqui conclusio est aliquid illius definitionis: ergo & definitionis syllogismi.

Minor pr. ***Aliud quidpiam***, est aliquid illius definitionis; atqui conclusio est illud ***aliud quidpiam***: ergo & aliquid illius definitionis.

Minor pr. ***aliud quidpiam***, est illud, quod deducitur ex præmissis, seu, ***ab his, quæ posita sunt***; atqui conclusio est illud, quod deducitur ex præmissis: ergo conclusio est illud ***aliud quidpiam***.

Obijcitur. Illud non est pars syllogismi, quod nihil est syllogismi; atqui conclusio nihil est syllogismi: ergo non est pars syllogismi.

Minor pr. Quod distinguitur adæquatè à syllogismo, nihil est syllogismi; atqui conclusio distinguitur adæquatè à syllogismo: ergo nihil est syllogismi.

Minor probatur. Effectus diſtinguitur adæquatè à ſua cauſa; atqui concluſio eſt effectus ſyllogiſmi: ergo diſtinguitur adæquatè à ſyllogiſmo.

Minor pr. Demonſtratio eſt verus ſyllogiſmus; atqui concluſio eſt eius effectus: ergo & ſyllogiſmi.

Minor pr. Scientia eſt concluſio demonſtrationis; atqui ſcientia eſt eius effectus: ergo concluſio eſt effectus demonſtrationis.

Minor pr. Scientia eſt effectus eius, quod gignit ſcientiam; atqui demonſtratio gignit ſcientiam: ergo ſcientia eſt eius effectus.

Solutio: *Atqui demonſtratio, ſeu ſyllogiſmus demonſtratiuus adæquatè ſumptus gignit ſcientiam,* Nego. *inadæquatè ſumptus,* Concedo. *ergo ſcientia eſt effectus ſyllogiſmi adæquatè ſumpti,* Nego. *inadæquatè ſumpti,* Concedo.

Contrà. Gignens ſcientiam eſt definitio eius adæquatè ſumpti: ergo ſcientia eſt eius effectus etiam adæquatè ſumpti.

Antecedens pr. Eſt definitio eius adæquatè ſumpti, vel inadæquatè; atqui non eſt definitio eius inadæquatè ſumpti: ergo eſt eius definitio adæquatè ſumpti.

Antecedens pr. Syllogiſmus demonſtratiuus inadæquatè ſumptus, eſt ſolæ præmiſſæ; atqui non eſt definitio ſolarum præmiſſarum: ergo eſt definitio ipſius adæquatè ſumpti.

Minor pr. Eſt definitio vera ſyllogiſmi; atqui ſolæ præmiſſæ non ſunt ſyllogiſmus: ergo non eſt definitio ſolarum præmiſſarum.

Solutio: *Eſt definitio vera ſyllogiſmi adæquatè*

sumpti, Nego. *inadaquatè sumpti*, Concedò. *atqui sola pramissa non sunt syllogismus adaquatè sumptus*, Concedo. *inadaquatè sumptus*, Nego.

PRIMA CONCLVSIO:

Conclusio attingit obiecta pramissarum.

OBIECTVM præmissarum est identitas extremorum cum medio; atqui conclusio attingit identitatem extremorum cum medio: ergo & obiecta præmissarum.

Minor pr. Conclusio repræsentat identitatem extremorum cum medio: ergo attingit identitatem extremorum cum medio.

Antecedens pr. Conclusio repræsentat quidquid positis præmissis proponitur euidenter intellectui; atqui positis præmissis proponitur euidenter intellectui identitas extremorum cum medio: ergo conclusio repræsentat identitatem extremorum cum medio.

Minor pr. Proponitur euidenter intellectui positis præmissis, ratio, quare extrema sint idem inter se; atqui illa ratio est identitas extremorum cum medio: ergo positis præmissis proponitur euidenter intellectui identitas extremorum cum medio.

Minor pr. Ratio, quare duo sint idem inter se, est, quia sunt idem cum tertio: ergo ratio, quod extrema sint idem cum medio, est identitas extremorum cum medio.

Obijcies. Cognitio, quæ attingit obiectum præmissarum illud repræsentat; atqui conclusio nō

repræsentat obiectum præmissarum : ergo conclusio non attingit obiecta præmissarum.

Minor pr. Conclusio repræsentans obiecta præmissarum est illarum repetitio ; atqui conclusio non est huiusmodi repetitio : ergo conclusio non repræsentat obiecta præmissarum.

Solutio : *Conclusio repræsentans obiecta præmissarum est illarum repetitio interius*, Concedo. *exterius*, Nego. *atqui non est huiusmodi repetitio interius*, Nego. *exterius*, Concedo.

Minor pr. Nullum est fundamentum dicendi conclusionem esse interius repetitionem præmissarum : ergo conclusio non est repetitio præmissarum.

Antecedens pr. Non est fundamentum dicendi conclusionem esse id, quod non experimur eam esse, cùm illam elicimus ; atqui non experimur, cùm illam elicimus, eam esse huiusmodi repetitionem : ergo nullum est fundamentum dicendi eam esse huiusmodi repetitionem.

Minor pr. Qui experitur dum elicit conclusionem, eam esse huiusmodi repetitionem, debet cùm istam elicit, verbi gratia : ergo Petrus est animal, dicere, & addere quia est homo, & omnis homo est animal ; atqui nemo experitur se hoc dicere, & addere : ergo non experimur cùm elicimus conclusionem eam esse huiusmodi repetitionem.

Minor pr. Qui experitur cùm elicit istam conclusionē : ergo Petrus est animal, se dicere, quia est homo, & omnis homo est animal, supponit ex præmissis falsis numquam sequi conclusionē veram ; atqui ex præmissis falsis potest sequi

conclusio vera: ergo nemo experitur cùm illatiuè asserit Petrum esse animal, se dicere, & addere quia est homo, & omnis homo est animal.

Minor pr. Ex Aristotele in libris Priorum ex falso sequi potest verum; atqui illud falsum sunt præmissæ: ergo ex præmissis falsis potest sequi conclusio vera.

Solutio: *Ex falso sequi potest verum ex Aristotele in argumentatione externa*, Concedo. *interna*, Nego. *& concessa minori: ergo ex præmissis falsis potest sequi conclusio vera in argumentatione externa*, Concedo. *interna*, Nego.

Contrà. Ratio tota, quare non possit sequi in interna, est quia conclusio interna dicit non tantùm extrema esse idem inter se, sed etiam esse idem cum medio; atqui non dicit esse idem cum medio: ergo ex falso potest sequi verum etiam in argumentatione interna.

Minor pr. Non magis hoc facit conclusio interna, quàm habitus per illam productus; atqui habitus per illam conclusionem productus non repræsentat identitatem extremorum cum medio: ergo nec illa conclusio interna.

Antecedens pr. Habitus non repræsentat, quod actus per illum eliciti non repræsentant; atqui multi actus eliciti ab illo habitu non repræsentant identitatem extremorum cum medio: ergo habitus non repræsentant identitatem extremorum cum medio.

Minor pr Illi actus repræsentant tantùm identitatem extremorum inter se: ergo actus eliciti ab illo habitu non repræsentant identitatem extremorum cum medio.

Antecedens pr. Habitus, quo quis inclinatur ad cognoſcendum Deum, fuit productus per concluſionem internam; atqui actus eliciti ab illo habitu repræſentant tantùm identitatem extremorum inter ſe: ergo illi actus repræſentant tantùm identitatem extremorum inter ſe.

Solutio: *Atqui actus eliciti ſecundùm totam virtutem illius habitus repræſentant tantùm identitatem extremorum inter ſe*, Nego. *ſecundum inadæquatam virtutem illius habitus*, Concedo. *& eodem modo applicanda eſt diſtinctio conſequenti. Diſtinctio ſupponit habitum iſtum habere virtutem concurrendi ad varios actus, alios quidem, qui repræſentent identitatem extremorum inter ſe, quia illam habent cum medio. Exiſtentiam, verbi gratiæ, conuenire Deo, quia produxit creaturas, & hæc eius virtus dicitur adæquata, quòd non ſe extendat ad quidquam aliud. Alios verò, qui repræſentent tantùm identitatem extremorum inter ſe, v. g. exiſtentiam conuenire Deo; & illa ipſius virtus dicitur inadæquata, quia non correſpondet toti eius actiuitati, quæ non tantùm eſt ad repræſentandam identitatem extremorum inter ſe, ſed etiam cum medio.*

Contrà. Actus eliciti ab illo habitu ex conceſſis repræſentant tantùm identitatem extremorum inter ſe, exiſtentiam verbi gratia cõuenire Deo; atqui illi ſunt eliciti ſecundum totam virtutem illius habitus: ergo actus eliciti ab illo habitu ſecundum totam illius virtutem repræſentant tantùm identitatem extremorũ inter ſe.

Minor pr. Habitus ille cum agit, agit ſecundum totã ſuam virtutem; atqui cùm elicit iſtos

actus verè agit: ergo actus illi sunt ab eo eliciti secundum totam suam virtutem.

Maior pr. Causa necessaria cùm agit, agit secundum totam suam virtutem: atqui habitus ille est causa necessaria: ergo cùm agit, agit secundum totam suam virtutem.

Solutio: *Causa necessaria, cùm agit, agit secundum totam suam virtutem, si habeat omnia necessaria ad illam totam exerendam*, Concedo. *si non habeat*, Nego. *& concessa minori: ergo habitus iste cùm agit, agit secundum totam suam virtutem si habeat omnia necessaria ad illam exerendam*, Concedo. *si non habeat*, Nego.

Contrà Habitus ille cùm agit, habet omnia necessaria ad exerendam totam suam virtutem: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Necessaria vt habitus iste exerat totam suam virtutem, sunt tantùm attentio intellectus, seu moderata applicatio ad alia obiecta, & excitatio speciei vnius ex illis, quæ repræsentat; atqui cùm agit est attentio intellectus, & excitatio speciei vnius ex illis, quæ ille habitus repræsentat: ergo habitus ille cū agit, habet omnia necessaria ad exerendā totam suam virtutē.

Maioris secunda pars probatur.

Necessaria, vt exerat totam suam virtutem, supposita attentione intellectus, sunt tantùm, vt applicetur ad agendum; atqui hoc ipso, quod fit excitatio speciei vnius ex illis, quæ repræsentat, applicatur ad agendum: ergo necessaria, vt habitus iste exerat totam suam virtutem sunt tantùm supposita attentione intellectus excitatio speciei vnius ex illis, quæ repræsentat.

Solutio: *Necessaria, vt exerat totam suam virtutem sunt tantùm, vt applicetur ad agendum secundùm totam suam virtutem*, Concedo. *secundum partem*, Nego. *atqui cùm fit excitatio speciei vnius ex illis, quæ repræsentat applicatur ad agendum secundum totam suam virtutem*, Nego. *secundum partem suæ virtutis*, Concedo.

Contrà. Cùm fit excitatio speciei illius vtriusque, quod repræsentat, applicatur ad agendum secundum totam suam virtutem; atqui cùm fit excitatio speciei vnius ex illis, quæ repræsentat, fit excitatio speciei vtriusque: ergo cùm fit excitatio speciei vnius ex illis, quæ repræsentat, applicatur secundum totam suam virtutem.

Minor pr. Cùm species duorum est vna, & indiuisibilis, cùm fit excitatio speciei vnius, fit etiam excitatio speciei alterius; atqui species duorum illorum, quæ ille habitus repræsentat, est indiuisibilis: ergo cùm fit excitatio speciei vnius, fit etiam excitatio speciei alterius.

Solutio: *Cùm species duorum est vna, & indiuisibilis realiter, & virtualiter, cùm fit excitatio speciei vnius fit etiam excitatio speciei alterius*, Concedo. *cùm est indiuisibilis tantùm realiter, & non virtualiter*, Nego. *atqui species duorum illorum, quæ ille habitus repræsentat est indiuisibilis realiter*, Concedo. *realiter, & virtualiter*, Nego. *species indiuisibilis realiter, & virtualiter est illa, quæ non tantùm physicè, seu secundum entitatem est vnica, sed etiam in repræsentatione, seu repræsentat tantùm vnũ quidpiam. Indiuisibilis verò realiter, sed non virtualiter est illa, quæ in entitate quidem vnica est, sed*

in repræsentatione est multiplex. seu repræsentat multa, atque ita potest excitari ad repræsentandum vnum, & non aliud

Contrà. Species indiuisibilis realiter quantumuis virtualiter diuisibilis excitata ad repræsentandum vnum, excitatur etiam ad repræsentanda alia, quorum est repræsentatio: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non minus facile est, vt species diuisibilis tantùm virtualiter excitata ad repræsentãdum vnum, excitetur ad repræsentãdum aliud, cuius est repræsentatio, quàm species distincta realiter ab alia, per hanc excitetur; atqui ista excitatur per hanc: ergo species diuisibilis virtualiter excitata ad repræsentandum vnum, excitatur etiam ad repræsentanda alia.

Maior pr. Tota illa excitatio oritur ex connexione obiectorum; atqui non est minor connexio, imò maior inter obiecta speciei diuisibilis virtualiter, quàm duarum realiter distinctarum: ergo facilius est, vt species diuisibilis virtualiter excitata ad repræsentandum vnum, excitetur ad repræsentanda alia, quàm, &c.

Solutio: *Atqui non est minor, sed potiùs maior connexio inter obiecta speciei diuisibilis virtualiter, quàm duarum realiter distinctarum aliquando,* Concedo. *semper,* Nego. *& eodem modo distinguendum est consequens. Certè est maior connexio in ordine ad nostras cognitiones inter Petrum, & vestem talis figuræ, & coloris qua illum semper vidi indutum, quàm inter Deum, & creaturas, per quas nobis persuademus diuinam existentiam, cùm illam volumus demonstrare, & tamen*

non rarò contingit nos meminiſſe Petri nullo modo cogitando de eius veſte. Quanto magis poterit quis cogitare de Deo non cogitando de creaturis, per quas illum primò cognouit?

Contrà. Connexio illa obiectorum attendi debet, non tam ſecundum ea, quæ habent ſecundum ſe, quàm ſecundum modum, quo cognoſcuntur, ſeu ſimultaneam cognitionem; atqui ſemper maior eſt connexio ſecundum modum, quo cognoſcuntur, obiectorum ſpeciei diuiſibilis virtualiter, quàm duarum realiter diſtincta um: ergo non eſt minor connexio inter obiecta ſpeciei diuiſibilis virtualiter, quàm duarum realiter diſtinctarum.

Minor pr. Maior eſt connexio ſecundum modum, quo cognoſcuntur, obiectorum, quæ ſemper ſimul cognoſcuntur, quàm eorum, quæ non ſemper ſimul cognoſcuntur; atqui obiecta ſpeciei diuiſibilis virtualiter ſemper ſimul cognoſcuntur, illa verò duarum realiter diſtinctarum non ſemper ſimul: ergo maior eſt connexio ſecundum modum; quo cognoſcuntur, &c.

Solutio: *Neganda eſt minor, Experientia enim conſtat non rarò nos benè tenere, & perfectè meminiſſe concluſionis deducta ex aliquibus principiis: ipſorum verò difficile, aut etiam poſt aliquod tempus nullo modo. Quod inde accidit, quod eamdem concluſionem per alia principia inueſtigemus, & aſſequamur, authoritatem ſcilicet, & teſtimonium viri fide digni, rationem aliquam aliam, &c. quo fit, vt augeatur ſpecies concluſionis, non verò principii illius primi, per quod in illius primò deuenimus cognitionem; atque ita quantumuis ſit*

vna indiuisibilis species, realiter illius principij, & conclusionis, cognosci possit conclusio, non cognito illo principio.

Contrà. Species diuisibilis tantùm virtualiter omnia obiecta sua simul repræsentat: ergo obiecta speciei diuisibilis virtualiter semper simul cognoscuntur.

Antecedens pr. Repræsentat ea omnia, ad quæ vis eius repræsentatiua excitatur, atqui excitatur ad omnia sua obiecta simul repræsentanda: ergo ea omnia simul repræsentat.

Minor pr. Cùm excitatur tota secundum omnem suam virtutem excitatur ad omnia sua obiecta simul repræsentanda; atqui excitatur tota secundum omnem suam virtutem: ergo & ad omnia sua obiecta simul repræsentanda.

Suppono virtutem illius esse duplicem, & hoc supposito probatur minor.

Cùm excitatur vna ex illis duabus excitatur alia; atqui tota secundum omnem suam virtutem est tantùm duplex: ergo excitatur tota secundum omnem suam virtutem.

Maior pr. Duæ illæ virtutes sunt idem planè realiter: ergo cùm excitatur vna excitatur etiam alia, vel datur plusquam præcisio obiectiua.

Solutio: *Duæ illa virtutes sunt planè idem realiter inadæquatè*, Concedo. *adæquatè*, Nego. *Certè intellectus habet multiplicem virtutem producendi varias intellectiones, neque tamē per hoc, quod excitetur ad producendam vnam, seu quod idem est iungantur illi comprincipia alia necessaria ad illam productionem, rectè potest inferri excitari ad producendam aliam diuersam, quod idem*

dicendum eſt de duplici illa virtute ſpeciei diuiſibilis virtualiter. Illi enim iungi poſſunt alia neceſſaria ad repraeſentandum vnum ex ſuis obiectis abſque eo, quod habeat, quæ requiruntur ad repraeſentandum aliud. Ex quo patet, quod excitetur ad repræſentandum vnum, & non aliud, non poſſe argui in illius entitate vllam planè diſtinctionem realem, aut præciſionem obiectiuam, ſed tantùm in comprincipijs ſuorum effectuum, quæ realiter diſtingui non negamus.

SECTIO III.

An præmiſſæ neceſſitent ad aſſenſum concluſionis.

DVOBVS modis poſſumus intelligere præmiſſas neceſſitare ad aſſenſum concluſionis: primò ſi impediant ne poni poſſit diſſenſus: ſecundo ſi non modò impediant diſſenſum, ſed præterea non patiantur non poni aſſenſum. Cùm impediunt ne poni poſſit diſſenſus, dicuntur neceſſitare quoad ſpecificationem, cùm verò non ſinunt ſuſpendi aſſenſum, neceſſitant etiam quoad exercitium.

PRIMA CONCLVSIO:

Præmiſſæ neceſſitant ad aſſenſum concluſionis quoad ſpecificationem.

ILLVD neceſſitat ad aſſenſum concluſionis quoad ſpecificationem, quo poſito elici non poteſt diſſenſus eius quod ſuadent præmiſſæ: atqui poſitis præmiſſis, intellectus elicere non poteſt diſſenſum eius quod ſuadent: ergo præmiſſæ neceſſitant intellectum ad aſſenſum concluſionis quoad ſpecificationem.

Maior pr. Intellectus aſſentiri non poteſt falſo cognito vt falſo: atqui poſitis præmiſſis eliciens diſſenſum aſſentitur falſo cognito, vt falſo: ergo poſitis præmiſſis intellectus elicere non poteſt diſſenſum eius, quod ſuadent.

Antequam probetur minor, ſuppono intellectum poſitis iſtis præmiſſis, omne quod currit mouetur; atqui Petrus currit, elicere iſtum diſſenſum: ergo Petrus non mouetur, & hoc poſito ſic argumentor.

Tunc intellectus aſſentitur falſo cognito vt falſo, cùm non ignorat, id, cui aſſentitur eſſe falſum; atqui intellectus eliciens iſtum diſſenſum non ignorat id cui aſſentitur eſſe falſum: ergo intellectus eliciens diſſenſum poſitis præmiſſis, aſſentitur falſo cognito, vt falſo.

Minor pr. Intellectus non ignorat id, quod eſt ipſi euidens, aut euidenter proponitur; atqui euidens eſt intellectui obiectum illius diſſenſus eſſe falſum: ergo intellectus non ignorat id, cui aſſentitur eſſe falſum.

Minor pr. Obiectum iſtius diſſenſus, ergo Petrus non mouetur, eſt Petrus non mouetur, quia currit, & quod currit mouetur; atqui euidens eſt intellectui, illud eſſe falſum: ergo euidens eſt intellectui obiectum diſſenſus eſſe falſum.

SECVNDA CONCLVSIO:

Præmiſſæ demonſtrationis neceſſitant ad aſſenſum concluſionis, etiam quoad exercitium.

ILLVD neceſſitat ad aſſenſum concluſionis, quoad exercitium, quod facit, vt intellectus illum cohibere non poſſit; atqui præmiſſæ demonſtrationis faciunt, vt intellectus cohibere non poſſit aſſenſum concluſionis: ergo præmiſſæ demonſtrationis neceſſitant ad aſſenſu m concluſionis quoad exercitium.

Minor pr. Illud facit, vt intellectus cohibere non poſſit aſſenſum concluſionis, quod ponit omnia neceſſaria ad huiuſmodi aſſenſum; atqui præmiſſæ demonſtrationis ponunt omnia neceſſaria ad huiuſmodi aſſenſum: ergo præmiſſæ faciunt, vt intellectus cohibere non poſſit aſſenſum concluſionis.

Minor pr. Neceſſaria ad huiuſmodi aſſenſum non ſunt alia à propoſitione euidenti veritatis obiecti illius aſſenſus; atqui præmiſſæ demonſtrationis proponunt euidenter veritatem obiecti aſſenſus concluſionis: ergo præmiſſæ demonſtrationis ponunt omnia neceſſaria ad huiuſmodi aſſenſum.

Minor pr. Veritas conclusionis est identitas extremorũ inter se; atqui præmissæ demonstrationis proponunt euidenter veram esse illã idẽtitatem: ergo præmissæ demonstrationis proponunt euidenter veritatem obiecti conclusionis.

Minor pr. Quod proponit euidenter intellectui identitatem extremorum cum medio, proponit etiam ei euidenter veram esse illorum identitatem inter se; atqui præmissæ proponunt euidenter intellectui identitatem extremorum cum medio; ergo præmissæ demonstrationis proponunt euidenter veram esse identitatem extremorum inter se.

Maior probatur primò. Quod est per se notum, & proponitur intellectui, proponitur ei euidenter; atqui quæ sunt eadem vni tertio (vt sunt extrema cum medio) sunt eadem inter se, est principium per se notum: ergo quod proponit euidenter intellectui identitatem extremorum cum medio, proponit etiam ei euidenter veram esse illorum identitatem inter se.

Probatur secundò minor superioris argumenti. Actus euidens proponit euidenter intellectui suum obiectum; atqui præmissæ demonstrationis sunt euidentes, & illarum obiectum est identitas extremorum cum medio: ergo præmissæ demonstrationis proponunt euidenter intellectui identitatem extremorum cum medio.

Obijcies. Intellectus non necessitatur ad id quoad exercitium, quod potest non facere, & elicere; atqui positis præmissis demonstrationis potest non elicere assensum conclusionis: ergo præmissæ demonstratiuæ non necessitant intelle-

lectum ad assensum conclusionis, quoad exercitium.

Minor pr. Illud intellectus potest non elicere, ad quod est plenè liber; atqui ad eliciendum assensum conclusionis etiam positis præmissis demonstrationis intellectus est plenè liber: ergo intellectus positis præmissis demonstrationis potest non elicere assensum conclusionis.

Minor pr. Ad illud eliciendum intellectus est plenè liber, ad quod faciendum conceditur ei habitus; atqui ad eliciendum assensum conclusionis etiam positis præmissis demonstrationis conceditur ei habitus: ergo ad eliciendum assensum conclusionis etiam positis præmissis demonstrationis intellectus est plenè liber.

Solutio: *Ad illud eliciendum intellectus est plenè liber, ad quod conceditur ei habitus proprius & distinctus ab speciebus intensioribus*, Transeat. *non distinctus*, Nego. *Atqui ad eliciendum assensum conclusionis etiam positis præmissis demonstrationis conceditur ei habitus proprius, & distinctus ab speciebus intensioribus*, Nego. *non distinctus.* Concedo.

Contrà. Habitus conclusionis non minùs est proprius, & distinctus habitus ab speciebus intensioribus, quàm alij habitus intellectus; atqui alij habitus intellectus sunt proprij, & distincti ab speciebus intensioribus: ergo & habitus conclusionis.

Minor pr. Illi habitus sunt proprij, & distincti ab speciebus intensioribus, qui dant facilè, & faciliùs posse; atqui habitus intellectus faciunt, vt intellectus faciliùs agat: ergo alij ha-

bitus intellectus sunt proprij, & distincti ab speciebus intensioribus.

Solutio: *Illi habitus sunt proprij, qui dant facilè, & faciliùs posse facilitate proueniente ab aliqua entitate superaddita, diuersæ rationis ab ea, qua dat simpliciter posse*, Concedo. *eiusdem rationis cum ea, qua dat simpliciter posse, & cum ea tantùm faciente maiorem intensionem*, Nego. *atqui habitus intellectus faciunt, vt faciliùs agat, facilitate proueniente ab aliqua entitate superaddita diuersæ rationis ab ea, qua dat simpliciter posse*, Nego. *eiusdem rationis, & cum ea tantùm faciente maiorem intensionem*, Concedo. *Ad verum, & proprium habitum duo requiruntur. Primum est, vt sit entitas superaddita ei, respectu cuius dicitur habitus. Secundum, vt sit diuersæ rationis. Prima conditio excludit comprincipia plura siue libera, siue necessaria effectus producibilis ab vno quoque seorsim; secunda gradus intensiuos specierum necessariarum ex communi consensu ad productionem effectus, ad quem requiruntur.*

CONCLVSIO TERTIA:

Præmissæ probabiles necessitant ad assensum conclusionis quoad exercitium.

PRÆMISSÆ omnis planè syllogismi necessitant ad assensum conclusionis, quoad exercitium: ergo & præmissæ probabiles.

Antecedens pr. Præmissæ syllogismi necessitant ad illud, quod ex ipsis sequitur necessariò,

atqui aſſenſus concluſionis ſequitur neceſſariò ex præmiſſis ex Ariſtotele: ergo præmiſſæ cuiuſcumque ſyllogiſmi neceſſitant ad aſſenſum concluſionis.

Minor pr. In definitione ſyllogiſmi Ariſtotelica (quibuſdam poſitis) ſignificat præmiſſas, & aliud quidpiam, concluſionem: atqui aliud quidpiam, vt clarè loquitur definitio, ſequitur neceſſariò ex quibuſdam poſitis: ergo aſſenſus concluſionis ſequitur neceſſariò ex præmiſſis ex Ariſtotele.

Reſpondent: *atqui aliud quidpiam ſequitur ex quibuſdam poſitis neceſſariò, neceſſitate quoad ſpecificationem,* Concedo. *neceſſitate quoad exercitium,* Nego. *ergo aſſenſus concluſionis ſequitur ex præmiſſis neceſſariò neceſſitate quoad ſpecificationem,* Concedo. *neceſſitate quoad exercitium,* Nego.

Contrà. Illud ſequitur ex præmiſſis neceſſariò neceſſitate etiam quoad exercitium, quod illis poſitis, ſeu conceſſis, non poteſt negari: atqui conceſſis præmiſſis cuiuſcumque boni ſyllogiſmi non poteſt negari eius concluſio: ergo aſſenſus concluſionis ſequitur ex præmiſſis neceſſariò neceſſitate quoad exercitium.

Reſpondent *negando maiorem propterea quod licèt non poſſit negari, hoc eſt haberi diſſenſus de illa, poteſt tamen ſuſpendi, differri, & ſupprimi conſenſus, quod eſt non eſſe neceſſarium, quoad exercitium.*

Contrà. Illud ſequitur ex præmiſſis neceſſariò neceſſitate quoad exercitium; quod illis poſitis, ſeu conceſſis concedi debet: atqui illud, quod

concessis præmissis negari non potest, concedi debet: ergo illud sequitur ex præmissis necessariò necessitate quoad exercitium, quod illis positis non potest negari.

Respondent: *Illud sequitur ex præmissis necessariò necessitate quoad exercitium, quod illis positis, seu concessis concedi debet, & nihilominus potest non concedi*, Nego. *concedi debet, & non potest non concedi, seu suspendi concessio*, Concedo. *atqui illud, quod concessis præmissis negari non potest concedi debet, & potest non concedi*, Concedo. *concedi debet, & non potest non concedi, seu suspendi concessio*, Nego. *Verum quidem est, aiunt, concessis præmissis, negari non posse conclusionem, vt antè probauimus, & si aliquis eliciatur actus, eū debere esse assensum de illa. Falsum autem est euidēter non posse cessari ab illo assensu: cùm enim eius obiectum sit ineuidēs, & ex parte intellectus nihil aliud appareat necessitans, quàm quod semel iam ei fuerit assensus. Clarum est tam facilè posse intellectum ab eo abstinere, quàm experientia quotidiana docet, non cogi eum ad assentiendum iterum iis, quibus iam semel est assensus. Nemo certè iure negarit secundum assensum esse æquè liberum, ac primum; aut primi continuationem, & consequenter intellectum non magis necessitari ad illum, quàm ad istum, aut huius continuationem.*

Contrà. Illud non potest non concedi ab intellectu, ad quod concedendum habet omnia necessaria; atqui concessis præmissis habet omnia necessaria ad concedendam conclusionem: ergo concessis præmissis non potest non concedere conclusionem.

Minor pr. Concessis præmissis nihil aliud potest dici deesse intellectui ad concedendam conclusionem, quàm imperium voluntatis; atqui illud præmissarum adest, & sufficit: ergo concessis præmissis intellectus habet omnia necessaria ad concedendam conclusionem.

Prima pars minoris, quòd imperium voluntatis pro præmissis adsit, clara est; & secunda, quòd sufficiat, probatur.

Quando duo sunt idem, & patet intellectui illa identitas, imperium voluntatis, quod determinat ad vnum ex illis determinat ipsum etiam ad aliud; atqui obiectum præmissarum, & conclusionis sunt idem, & per positionem præmissarum patet intellectui illorum identitas: ergo imperium præmissarum sufficit intellectui ad determinandum ipsum ad concedendam conclusionem.

Respondent: *quando duo sunt idem, & patet intellectui illa identitas euidenter, imperium voluntatis, quod determinat ad vnum ex illis, determinat etiam ad aliud*, Concedo. *si pateat tantùm ineuidenter, & obscurè illa identitas*, Nego. *Atqui per positionem præmissarum patet euidenter intellectui identitas obiecti ipsarum, & obiecti conclusionis*, Nego. *patet tantùm ineuidenter*, Concedo.

Contrà primò: Tam patet intellectui euidenter identitas obiecti præmissarum, & obiecti cõclusionis, quam quæ sunt eadem vni tertio esse eadem inter se; atqui patet euidẽter intellectui, quæ sunt eadem vni tertio esse eadem inter se: ergo identitas obiecti præmissarum, & obiecti

conclusionis patet euidenter intellectui.

Maior pr. Identitas obiecti conclusionis cum obiecto præmissarum nihil aliud est, quàm duo esse idem inter se, quia sunt idem cum tertio eo modo, quo cum isto sunt idem: ergo tam patet euidenter intellectui identitas obiecti præmissarum cum obiecto conclusionis, quàm quæ sunt eadem vni tertio esse eadem inter se.

Respondent: *identitas obiecti conclusionis cum obiecto præmissarum nihil aliud est quàm duo esse idem inter se, quia sunt idem cum tertio eo modo, quo cum isto sunt idem: & cùm sunt euidenter idem cum isto tertio non est necessarium nouum imperium voluntatis ad dicendum esse idem inter se*, Concedo. *cùm sunt tantùm ineuidenter, & probabiliter idem non est necessarium nouum imperium voluntatis ad dicendum esse idem inter se*, Nego.

Contrà. Cùm non est noua ineuidentia, non requiritur nouum imperium voluntatis: atqui non est noua ineuidentia duo esse idem inter se ab ea, quæ est illa esse probabiliter idem cum tertio: ergo non est necessarium nouum imperium voluntatis ad dicendum duo esse idem inter se, quia sunt idem probabiliter cum tertio.

Minor pr. Non est noua euidentia duo esse idem inter se ab ea, quæ est illa esse idem cum tertio euidenter: ergo neque noua ineuidentia duo esse idem inter se, quia sunt idem probabiliter cum tertio.

Respondent: *non est noua euidentia duo esse idem inter se ab ea, quæ est illa esse idem euiden-*

ter cum tertio realis, ſeu ex parte obiecti, Concedo *formalis, ſeu ex parte cognitionis.* Nego. *& ſimili modo diſtinguunt conſequens.*

Contrà. Noua ineuidentia tantùm formalis & quæ non eſt ex parte obiecti, non requirit nouum imperium voluntatis: atqui ex conceſſis non eſt noua ineuidentia realis, ſed tantùm formalis, duo eſſe idem inter ſe, ab ea, quæ eſt illa eſſe idem probabiliter cum tertio: ergo ad ineuidentiam illam, per quam duo illa dicuntur eſſe idem inter ſe, non requiritur nouum imperium voluntatis.

Maior pr. Imperium voluntatis requiritur tantùm ad ipſum determinandum ad aſſentiendum obiecto ineuidenti, quod debet repræſentari: atqui ineuidentia tantùm formalis non debet repræſentari: ergo non requirit nouum imperium voluntatis.

Minor pr. Ineuidentia tantùm formalis eſt cognitio, & aſſenſus probabilis repræſentans ſuum obiectum, & ipſe non repræſentatus: ergo non debet repræſentari: & conſequenter vt repræſentetur tollenda non eſt indifferentia intellectus ad huiuſmodi repræſentationem per nouum imperium voluntatis. Ex quo patet intellectum poſitis præmiſſis etiam probabilibus habere omnia neceſſaria ad ponendam concluſionem, & non poſſe illam non ponere.

Cæterum cùm diximus poſitis præmiſſis patere intellectui euidenter identitatem obiecti cōcluſionis cum obiecto præmiſſarum, euidentia illa non eſt intelligenda de identitate extremorum inter ſe, aut eorundem cum medio, quia

vtraque est ineuidens, & tantùm probabilis, sed applicanda est sequelæ, & consecutioni ex identitate extremorum cum medio in præmissis ad eorundem identitatem inter se in conclusione, quæ sequela & consecutio euidens est æquè, ac principium, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, in quo fundatur: quantumcunque præmissæ, & conclusio maneant ineuidentes in se, & spectatæ præcisè secundum connexionem suorum prædicatorum.

Obijcies. Illud non necessitat intellectum ad assensum conclusionis quoad exercitium, quo posito intellectus potest non ponere huiusmodi assensum; atqui positis præmissis probabilibus intellectus potest non elicere conclusionem: ergo præmissæ probabiles non necessitant ad assensum conclusionis.

Minor pr. Illo posito potest intellectus non elicere assensum conclusionis, quòd non facit ei euidens istius obiectum, aut non ponit necessaria ad ipsum determinandum ad ipsius ineuidentiam; atqui præmissæ probabiles non faciunt euidens intellectui obiectum conclusionis, neque ponunt necessaria ad determinandum ipsum ad assentiendum ipsius ineuidentiæ: ergo positis præmissis probabilibus, intellectus potest non elicere conclusionem.

Neganda est secunda pars minoris, non verò prima propter probationes sequentes.

Obiectum præmissarum est pars obiecti conclusionis; atqui præmissæ probabiles non faciunt euidens intellectui suum obiectum: ergo

præmissæ probabiles non faciunt euidens intellectui obiectum conclusionis.

Minor pr. Præmissæ non dant aliam euidentiam obiecto suo, quàm haberet antequam ab ipsis perciperetur; atqui antea non erat euidens intellectui: ergo neque præmissæ faciunt illud illi euidens.

Maior probatur. Præmissæ non dant aliud obiecto suo, quàm repræsentationem assertiuam; atqui repræsentatio illa non est euidens: ergo præmissæ probabiles non dant aliam euidentiam obiecto, quàm antè haberet.

Minor pr. Illa repræsentatio non est euidens, quæ est tantùm probabilis, & obscura; atqui repræsentatio præmissarum probabilium est tantùm probabilis, & obscura: ergo repræsentatio præmissarum probabilium non est euidens.

Probatur iam secunda pars minoris argumenti suprà facti, præmissas non ponere necessaria ad determinandum intellectum ad ineuidentiam obiecti conclusionis.

Præmissæ supponunt tantùm determinatum intellectum ad ineuidentiam sui obiecti: ergo non ponunt necessaria ad eundem determinandum ad ineuidentiam obiecti conclusionis.

Solutio: *Præmissæ supponunt tantùm determinationem intellectus ad ineuidentiam sui obiecti, & hæc determinatio non sufficit ad ineuidentiam obiecti conclusionis,* Nego. *& sufficit,* Concedo.

Contrà, Quando sunt diuersæ ineuidentiæ

vnaquæque requirit suam determinationem; atqui ineuidentia obiecti præmissarum, & conclusionis sunt diuersæ: ergo determinatio, quæ sufficit ad vnam non sufficit ad aliam.

Solutio: *Quando sunt ineuidentiæ diuersæ realiter, vnaquæque requirit suam determinationem*, Concedo. *quando sunt tantum diuersæ formaliter*, Nego. *atqui ineuidentia obiecti præmissarum, & conclusionis sunt diuersæ realiter*, Nego. *formaliter*, Concedo.

Contrà. Qui assentitur Petrum esse animal propter testimonium viri fide digni, & propter eiusdem authoritatem, assentitur etiam diuerso actu eundem esse rationalem, habet ineuidentias diuersas tantùm formaliter: atqui determinatio per imperium voluntatis, quæ sufficit ad vnam ex illis, non est sufficiens ad aliam: ergo ineuidentiæ licèt sint tantùm diuersæ formaliter, vnaquæque nihilominus requirit suam determinationem.

Solutio: *Qui assentitur Petrum esse animal propter testimonium viri fide digni, & propter eiusdem authoritatem, assentitur etiam diuerso actu eundem esse rationalem, habet ineuidentias diuersas tantùm formaliter, & patet eius intellectui illas esse easdem realiter, vt in ineuidentiis obiecti præmissarum, & conclusionis*, Nego. *& non patet illas esse easdem realiter*, Concedo. *ergo ineuidentiæ licèt sint tantum diuersæ formaliter, vnaquæque requirit suam determinationem si non innotescat intellectui illas esse easdem realiter*, Concedo. *si innotescat ei illas esse easdem realiter*, Nego.

Contrà. Tunc etiam cùm innoteſcit intellectui ineuidentia obiecti præmiſſarum, & concluſionis non eſſe diuerſas realiter, debet intellectus aſſentiendo ineuidentiæ concluſionis repetere aſſenſum circa ineuidentiam præmiſſarum : atqui hæc repetitio non poteſt fieri ſine noua determinatione per nouum imperium voluntatis : ergo licèt innoteſcat intellectui ineuidentias non eſſe diuerſas realiter, requirunt nihilominus diuerſas determinationes.

Minor pr. Nouus aſſenſus circa ineuidentiam præmiſſarum poni non poteſt ſine nouo imperio voluntatis : atqui repetitio, de qua eſt quæſtio, eſt nouus aſſenſus circa ineuidentiam præmiſſarum : ergo non poteſt poni ſine nouo imperio voluntatis.

Solutio : *Nouus aſſenſus circa ineuidentiam præmiſſarum poni non poteſt ſine nouo imperio voluntatis, ſi præcedens non perſeueret, & adhuc vigeat,* Concedo. *ſi perſeueret*, Nego. *Atqui repetitio, de qua eſt quæſtio, eſt nouus aſſenſus circa ineuidentiam præmiſſarum, & non perſeuerat imperium voluntatis,* Nego.. *& perſeuerat,* Concedo. *Certè quandiu durant præmiſſa manet etiam imperium voluntatis ad illas neceſſarium, & illo perſeuerante nulla eſt ratio requirendi aliud, cùm iſtud præſtare poſſit id omne, ad quod illud aliud poſſet deſiderari tum ad continuationem aſſenſus præmiſſarum, tum ad illius aſſenſus repetitionem.*

Sectio IV.

Quotuplex sit figura.

Galenus præter tres figuras ab Aristotele traditas vult numerari quartam, quæ ab inuentore dicitur Galenica. Tunc autem eam dari vult eius author cũ medius terminus prædicatur de maiori extremo in maiori propositione, & in altera propositione subiicitur minori.

Conclusio Unica:

Tres tantùm sunt figuræ.

Tot sunt figuræ, quot sunt complicationes medij termini cum extremis; atqui tres tantùm sunt huiusmodi complicationes: ergo tres tantùm sunt figuræ.

Minor pr. Tot sunt complicationes medij termini cum extremis, quot sunt modi, quibus illis subiici potest, aut de illis prædicari; atqui tribus tantùm modis illis subiici potest, aut de illis prædicari: ergo tres tantùm sunt complicationes medij termini cum extremis.

Minor pr. Modi, quibus illis subiici potest, aut de illis prædicari, sunt vel subiici vtrique, quod est propriũ tertiæ figuræ, vel prædicari de vtroque, quod constituit secundam, aut subiici vni, & prædicari de alio, quod prima sibi vendicat; atqui illi, vt patet, sunt tantùm tres: ergo tribus

tantùm modis poteſt medius terminus ſubiici extremis, aut de illis prædicari.

Obijcies Complicationes medij termini cum extremis ſecundum ſubiectionem, & prædicationem, ſunt plures tribus: ergo plures ſunt, quàm tres figuræ.

Antecedens pr. Complicationes medij termini cum extremis ſecundum ſubiectionem, & prædicationem ſunt varij modi, quibus poteſt illis ſubiici, aut de illis prædicari; atqui hi ſunt plures tribus: ergo complicationes medij termini cum extremis ſunt plures tribus.

Minor pr. Modus vnus eſt, quòd ſubiiciatur vtrique; alter, quòd prædicetur de vtroque; atqui præter illos duos ſunt alij duo: ergo medium poteſt pluſquam tribus modis ſubiici extremis, aut de illis prædicari.

Minor pr. Modus vnus præter aſſignatos eſt, quod ſubiiciatur maiori extremo in maiori, & prædicetur de minori in altera propoſitione, & alter, quod prædicetur de maiori extremo, & ſubiiciatur minori; atqui iſti ſunt duo præter aſſignatos: ergo præter aſſignatos ſunt alij duo.

Solutio: ***Atqui iſti ſunt duo præter aſſignatos diſtincti ab eo, per quem ſubijci debet vni extremo, & prædicari de altero,*** Nego. ***contenti in eo, & ab eo non diſtincti***, Concedo. ***ergo præter duos aſſignatos ſunt alij duo diſtincti ab eo, per quem ſubijcitur vni extremo, & prædicatur de altero,*** Nego. ***contenti in eo,*** Concedo. ***Clariſſimum profectò eſt, ſubijci vni extremo, & prædicari de altero complecti ſubijci maiori, & minori extremo, aut de illis prædicari, & illud enim, & iſtud, vnum***

tantum sunt extremum, & consequenter subijci maiori, & subijci minori non constituunt diuersum modum subiectionis à subijci vni extremo, & quod inde sequitur, nec diuersam figuram. Ceterum maius extremum illud voco, quod in conclusione directa est prædicatum: minus verò, quod in eadem est subiectum.

Contrà. Diuisio figuræ explicata per duo membra assignata melior est, quàm per illud, in quo dicimus alia duo contineri: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illa diuisio est melior, quæ est magis explicita: atqui diuisio figuræ explicata per duo membra assignata est magis explicita, quàm per illud, in quo dicimus alia duo contineri: ergo etiam est melior.

Solutio: *Illa diuisio est melior; quæ est magis explicita cæteris paribus* Concedo. *cæteris imparibus*, Nego. *atqui diuisio figuræ explicata per duo membra assignata est magis explicita, quàm per illud, in quo dicimus alia duo contineri, & cætera sunt paria*, Nego. *& cætera non sunt paria*, Concedo. *imparia sunt in ista diuisione primò, quod sit breuior, cum sufficienti tamen claritate, facilè enim aduertitur alia duo in isto contineri; secundo, quod non ponat ex æquo cum alijs membris directè concludentibus, vnum indirectè tantum concludens, prout facit, quæ assignat quatuor membra.*

DISPVTATIO II.

De Demonstratione.

DECLARATIS iis, quæ pertinent ad syllogismum facilius erit iam explicare, quæ spectant ad Demonstrationem, quæ est præcipua eius species, cùm ratione materiæ diuiditur in Demonstratiuum, Topicum, Sophisticum, & Pseudographum. Primus gignit scientiam, secundus opinionem, tertius fallaciam, & quartus errorem. Nos de solo primo hîc agemus ex professo propterea quòd ex iis, quæ de eo dicemus non difficile sit diiudicare, quid de aliis sentiendum sit.

SECTIO PRIMA.

De Præcognitis.

INQVIRIMVS hac sectione an, & quænam sit præhabenda cognitio de subiecto, prædicato, & medio demonstrationis. De duplici enim potest esse quæstio, vna dicitur *quod sit res*, seu existat, & altera *quid rei*, hoc est, quæ sit eius natura, & essentia.

PRIMA CONCLVSIO:

Non est necessariò præcognoscendum de subiecto, prædicato, & medio demonstrationis quid rei.

De illo non est præcognoscendum *quid rei*, de quo non est præhabenda definitio; atqui ante demonstrationem non est præhabenda definitio subiecti, prædicati, aut medij: ergo non est necessariò præcognoscendum de subiecto, prædicato, & medio demonstrationis *quid rei*.

Minor de subiecto probatur.

De illo non est præhabenda definitio, de quo possumus aliquid demonstrare ignorantes eius naturam; sed possumus aliquid de aliquo, seu subiecto demonstrare ignorantes eius naturam: ergo ante demonstrationem non est præhabenda definitio subiecti.

Minor pr. Demonstramus de Luna eclipsim; atqui ignoramus eius naturam: ergo possumus aliquid demonstrare de subiecto ignorantes eius naturam.

Minor pr. Ille ignorat naturam Lunæ, qui non est certus an constet materia, vel non, aut an ea, ex qua constat, sit eiusdem rationis cum sublunari; atqui de hoc nos non sumus certi: ergo ignoramus naturam Lunæ.

Secunda pars minoris superioris argumenti, non esse præhabendam definitionem prædicati, probatur,

In demonstratione potissima prima proprie-

tas est prædicatum; atqui non est præhabenda definitio primæ proprietatis: ergo neque prædicati demonstrationis.

Minor pr. Illius non est præhabenda definitio, cuius antè sciri non debet differētia essentialis; atqui differentia essentialis primæ proprietatis sciri non debet ante demonstrationem: ergo nō est præhabenda definitio primæ proprietatis.

Minor pr. Differentia essentialis primæ proprietatis est habitudo necessaria, quam dicit ad subiectum; atqui illa antè sciri non debet: ergo nec differentia essentialis primæ proprietatis.

Minor pr. Illud sciri non debet ante demonstrationem, quod per illam concluditur; atqui illa habitudo per illam concluditur: ergo sciri non debet ante demonstrationem.

Maior pr. Illud antè sciri non debet, quod per illam debet nobis innotescere; atqui quod concluditur per demonstrationem, per illam nobis innotescit: ergo illud sciri non debet ante demonstrationem, quod per illam concluditur.

Tertia pars minoris superioris argumenti, non esse præhabendam definitionem medij, probatur.

De illo non est præhabenda definitio, cuius ignoramus naturam facta demonstratione; atqui ignorare possumus naturam medij facta demonstratione: ergo ante illam præhabenda non est definitio medij.

Minor pr. Calor est medium, quo demonstratur ignis esse calefactiuus; atqui potest quis facta illa demonstratione ignorare naturam caloris: ergo ignorare possumus naturam medij facta demonstratione.

Minor pr. Ille poteſt ignorare naturam caloris, qui non eſt certus, an ſit accidens, vel ſubſtantia : atqui poteſt quis facta illa demonſtratione non eſſe certus, an ſit accidens vel ſubſtantia : ergo poteſt quis facta illa demonſtratione ignorare naturam caloris.

Minor pr. Ad hoc, vt faciat quis illam demonſtrationem ſufficit, vt ſemper fuerit expertus calorem eſſe coniunctum cùm igne: atqui hoc poteſt habuiſſe licèt certus non ſit, vtrum calor ſit accidens vel ſubſtantia : ergo poteſt quis facta demonſtratione illa non eſſe certus, an ſit accidens vel ſubſtantia.

Minor pr. Ruſtici hoc experiuntur : atqui illi non ſunt certi, an ſit accidens, vel ſubſtantia: ergo poteſt quis hoc habuiſſe, licèt non ſit certus, an calor ſit accidens, vel ſubſtantia.

Minor pr. Neſciunt diſtinctionem accidentis à ſubſtantia: ergo non ſunt certi, an calor ſit accidens, vel ſubſtantia.

CONCLVSIO SECVNDA:

De ſubiecto non eſt præcognoſcendum, quod ſit.

DE illo non eſt præcognoſcendum quod ſit, cuius concluditur poſſibilitas: atqui ſæpe in demonſtratione de ſubiecto concluditur poſſibilitas : ergo de ſubiecto non eſt præcognoſcendum quod ſit.

Minor pr. De infinito, & de multis aliis con-

cluditur poſſibilitas: ergo de ſubiecto concluditur poſſibilitas.

Antecedens pr De illo concluditur poſſibilitas, cuius medium eſt, quod non inuoluat contradictionem: atqui medium ad probandum poſſe dari infinitum eſt, quod non inuoluat contradictionem: ergo de infinito concluditur poſſibilitas.

SECTIO II.

De Demonſtratione propter quid, & de eius conditionibus.

DEFINITIO demonſtrationis Ariſtotelica ſyllogiſmus conſtans primis, veris, immediatis, prioribus notioribus concluſione, cauſiſque eiuſdem, facilè intelligetur ex declaratione mox ſubijcienda ſingularum huiuſmodi conditionum, quas quidam applicari volunt præmiſſis obiectiuis, ita vt ſenſus ſit obiecta præmiſſarum demonſtrationis debere eſſe vera, prima, immediata, &c. alij verò eas intelligunt de præmiſſis formalibus, ſeu cognitionibus, quas aiunt debere eſſe veras, certas, &c. Vterque modus loquendi, & ſentiendi videtur legitimus.

PRIMA CONCLVSIO:

Præmissæ demonstrationis à priori debent esse veræ.

PRÆMISSÆ, quæ sunt euidentes sunt veræ, sed præmissæ demonstrationis sunt euidentes: ergo & veræ.

Minor pr. Illud habent præmissæ demonstrationis, per quod distinguuntur à præmissis aliarum specierum syllogismi: atqui per hoc, quod sint euidentes distinguuntur à præmissis aliarum specierum syllogismi: ergo præmissæ demonstrationis sunt euidentes.

Minor pr. Præmissæ aliarum specierum syllogismi sunt ineuidentes: ergo differentia præmissarum demonstrationis ab alijs est, quod sint euidentes.

SECVNDA CONCLVSIO:

Præmissæ non sunt veriores conclusione veritate formali.

ILLÆ propositiones non sunt veriores conclusione veritate formali, quæ non sunt magis conformes suo obiecto: atqui præmissæ demonstrationis non sunt magis conformes suo obiecto, quàm conclusio: ergo non sunt veriores illa veritate formali.

Minor pr. Quando duæ propositiones sunt om-

nino conformes suo obiecto, vna non est magis conformis, quã alia: atqui conclusio est omnino conformis suo obiecto: ergo præmissæ non sunt magis conformes suo obiecto, quàm conclusio.

Minor pr. Propositio vera est omnino conformis suo obiecto: atqui conclusio est propositio vera: ergo est omnino conformis suo obiecto.

Obijcitur. Vna propositio potest esse verior alia veritate formali: ergo præmissæ possunt esse veriores conclusione veritate formali.

Antecedens pr. Illa propositio est verior alia, quæ magis distat à falsitate: atqui vna propositio magis distat à falsitate quàm alia: ergo est illa verior veritate formali.

Solutio: *Illa propositio, quæ magis distat à falsitate est verior alia veritate formali.* Nego. *fundamentali*, Concedo. *atqui vna magis distat*, Concedo minorem: *ergo est magis vera veritate fundamentali*, Concedo. *formali*, Nego.

Contrà. Propositio potest esse magis, aut minus illud, quod suscipit magis, & minus: atqui veritas formalis suscipit magis, & minus: ergo vna propositio est magis vera quàm alia similis, veritate formali.

Minor pr. Non minùs veritas formalis suscipit magis, & minus, quàm falsitas: atqui falsitas suscipit magis, & minùs: ergo & veritas.

Maior pr. Quando vnum contrariorum suscipit magis, & minus, suscipit etiam & aliud: atqui veritas est contraria falsitati: ergo non minus veritas etiam formalis suscipit magis, & minus quàm falsitas.

Solutio: *Quando vnum contrariorum propriè*

suscipit magis. & minus, suscipit & aliud. Concedo. *Contrariorum impropriè*, Nego. *atqui veritas, & falsitas sunt contraria propriè*, Nego. *impropriè.* Concedo. *Impropriè contraria sunt illa, quæ sibi quidem opponuntur, sed non sunt ambo positiua, vt veritas, & falsitas, quarum altera saltem ex parte obiecti, est quid negatiuum. cùm enim vna propositio neget, quod altera asserit, & vtrumque simul esse nequeat, necessarium est, vt obiectum vnius ex illis sit nihil, & non ens. Propriè verò contraria dicuntur illa, quæ sunt ambo positiua, & ab eodem subiecto se mutuò expellunt introducendo tantum sui in illud, quantum alterius in eodem desinit, quo fit, vt vtrumque habere debeat, & suscipere magis, & minus. vnde ortum est commune axioma, quando vnum contrarium suscipit magis, & minus, suscipit etiam & aliud.*

TERTIA CONCLVSIO:

Præmissæ demonstrationis debent esse certæ.

PRAEMISSAE euidentes sunt etiam certæ: atqui præmissæ demonstrationis sunt euidentes: ergo & certæ.

Minor pr. Differentia præmissarum demonstrationis à præmissis aliarum specierum syllogismi est, quòd sint euidentes: ergo præmissæ demonstrationis sunt euidentes.

Antecedens pr. Præmissæ aliarum specierũ syllogismi Topici, scilicet Pseudographi, & Sophi-

stici sunt ineuidentes: ergo differentia præmissarum demonstrationis à præmissis aliarũ specierum syllogismi est, quòd sint euidentes.

QVARTA CONCLVSIO:

Præmissa demonstrationis non sunt certiores conclusione.

ILLA propositio non est certior alia, per quam intellectus non magis adhæret obiecto ipsius, quàm obiecto alterius: sed intellectus non magis adhæret obiecto præmissarum, quàm obiecto conclusionis: ergo prçmissæ non sunt certiores conclusione.

Minor pr. Quando duo sunt idem, & intellectus ea cognoscit esse idem, non magis adhæret vni, quàm alteri, atqui obiecta prçmissarum, & conclusionis sunt idem, & intellectus cognoscit ea esse idem: ergo non magis adhæret obiecto prçmissarum, quàm obiecto conclusionis.

Maior pr. Intellectus ex duobus, quæ cognoscit esse idem adhærens vni magis, quàm alteri, adhæret vni tantum, quantum alteri, & non adhæret tantum; atqui intellectus non potest in ijs, quæ cognoscit esse idem, adhærere vni tantum quantum alteri, & non adhærere tantum: ergo quando duo sunt idem, & intellectus ea cognoscit esse idem, non potest magis adhærere vni, quàm alteri.

Minor pr. Adhærere tantùm, & non adhærere tantùm sunt contradictoria; atqui contradictoria verificari non possunt de eadem re: ergo

intellectus non potest in his, quæ cognoscit esse idem adhærere vni tantum, quantum alteri, & non adhærere tantum.

QVINTA CONCLVSIO.

Præmissæ sunt euidentiores conclusione.

ILLA propositio, quæ cognoscit suum obiectũ sine medio, est euidentior ea, quæ illud cognoscit per mediũ: atqui præmissæ cognoscunt suum obiectum sine medio, & conclusio per medium: ergo præmissæ sunt euidentiores conclusione.

Obijcitur. Propositiones, quæ habent idem obiectum, non possunt esse aliæ aliis euidentiores: atqui præmissæ, & conclusio habent idem obiectum: ergo præmissæ non sunt euidentiores conclusione.

Maior pr. Propositiones habentes idem obiectum, quarum vna est clarior, & euidentior alia, supponunt illud euidentiùs, & non euidentiùs cognosci: atqui idem obiectum non potest euidentiùs, & non euidentiùs cognosci: ergo propositiones habentes idem obiectum non possunt esse vna clarior alia.

Solutio: ***Propositiones habentes idem obiectum, quarum vna est clarior, & euidentior alia, supponunt illud euidentius, & non euidentius cognosci eadem cognitione***, Nego. ***diuersis***, Concedo. ***atqui idem non potest euidentius, & non euidentius cognosci eadem cognitione***, Concedo. ***diuersis***, Nego.

Contrà. Vnum, & idem obiectum non potest euidentiùs, & non euidentiùs cognosci diuersis cogni-

cognitionibus: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non magis potest idem obiectum euidentiùs, & non euidentiùs cognosci, quã certiùs, & non certiùs: atqui non potest vnum, & idem certiùs, & non certiùs cognosci, diuersis cognitionibus: ergo neque euidentiùs, & ineuidentiùs cognosci.

Maior pr. Identitas obiecti est causa, cur non possit vnum, & idem certiùs, & non certiùs cognosci diuersis cognitionibus: atqui illa eadem identitas est in euidentia, & ineuidentia: ergo non magis potest idem obiectum euidentiùs, & non euidentiùs cognosci, quàm certiùs, & non certiùs.

Solutio: *Identitas obiecti præcisè est causa, cur non possit vnum, & idem certiùs, & non certiùs cognosci diuersis cognitionibus,* Nego. *Identitas obiecti, & aliquid aliud illi adiunctum,* Concedo. *Atqui illa eadem identitas est in euidentia, & non euidentia, & est illud aliud, quod facit ne vna propositio possit esse certior alia,* Nego. *& non est illud aliud.* Concedo.

Contrà. Adiunctum illud, quod facit ne possit esse vna propositio certior alia, non potest dici esse aliud, quàm quod intellectus non possit esse certus, & non esse certus de eodem obiecto: atqui non magis repugnat intellectum esse certum, & non esse certum de eodem obiecto diuersis cognitionibus, quàm cognoscere illud idem euidenter, & non cognoscere euidenter diuersis cognitionibus: ergo non minùs potest obiectum certiùs, & non certiùs cognosci diuersis cognitionibus, quàm euidentiùs, & non euidentiùs.

Minor pr. Illud non magis repugnat, quod non maiorem inuoluit repugnantiam, & contradictionem; atqui quod intellectus sit certus, & non sit certus diuersis cognitionibus de eodem obiecto non maiorem inuoluit repugnantiam, quàm quod idem cognoscat vnum obiectum euidenter, & non cognoscat illud euidenter diuersis cognitionibus: ergo non magis repugnat intellectum esse certum, & non esse certum de eodem obiecto, quàm cognoscere illud euidenter, & non cognoscere euidenter diuersis cognitionibus.

Minor pr. Inter illa est æqualis contradictio, quorum vnum tam benè negat, quod ei dicitur opponi, quàm aliud destruat sibi vicissim oppositum; atqui non cognoscere euidenter, tam benè negat, quod asseritur per cognoscere euidenter, quàm non esse certum, quod asseritur per esse certum: ergo quod intellectus sit, & non sit certus diuersis cognitionibus, non maiorem inuoluit repugnantiam, quàm quod cognoscat euidenter, & non cognoscat euidenter diuersis cognitionibus.

Minor pr. Ideò non esse certum negat, quod asseritur per esse certum, quia particula, non, ei præfigitur; atqui etiam particula, non, præfigitur non cognoscere euidenter: ergo tam benè non cognoscere euidenter negat, quod asserit cognoscere euidenter, quàm non esse certum, quod asseritur per esse certum.

Solutio: *Ideo non esse certum negat, quòd asseritur per esse certum, quia particula, non, ei præfigitur præcisè,* Nego. *quia particula, non, ei præ-*

figitur, & vtrumque intelligitur, & applicatur eidem planè, Concedo. *atqui particula, non, præfigitur etiam non cognoſcere euidenter, & vtrumque intelligitur, & applicatur eidem.* Nego. *& non applicatur eidem*, Concedo. *Cognoſcere ſiquidem euidenter ſignificat habere cognitionem claram de obiecto aliquo, & non cognoſcere euidenter habere de eodem aliam obſcuram, quæ cùm ſit poſitiua, non poteſt dici negatio alterius, nec conſequenter ei opponi contradictoriè.*

Contrà. Ideò ex conceſſis non cognoſcere euidenter, non negat quod aſſeritur per cognoſcere euidenter, quia non intelliguntur, neque applicantur eidem; atqui eſſe certum, & non eſſe certum non magis applicantur, & intelliguntur de eodem: ergo non eſſe certum non magis negat, quod aſſeritur per eſſe certum, quàm non cognoſcere euidenter, quod importatur per cognoſcere euidenter.

Minor pr. Ideò non cognoſcere euidenter, non applicatur eidem, cui cognoſcere euidenter, quia primum ſignificat habere cognitionem claram de obiecto, & ſecundum de eodem obſcuram; atqui etiam eſſe certum ſignificat cognitionem adhærentem valdè ſuo obiecto, & non eſſe certum aliam vacillantem circa illud: ergo tam non eſſe certum, & eſſe certum, non applicantur eidem, quàm cognoſcere euidenter, & non cognoſcere euidenter.

Solutio: *Atqui eſſe certum ſignificat cognitionem adhærentem valdè ſuo obiecto, & non eſſe certum aliam vacillantem circa illud, & hæc in caſu noſtro non eſt virtualiter negatio alterius,*

Nego. *& eſt*, Concedo. *ergo tam non eſſe certum, & eſſe certum non applicantur eidem, quàm cognoſcere, & non cognoſcere euidenter in caſu noſtro*, Nego. *in alio*, tranſeat.

Diſtinctio ſupponit contingere poſſe, vt intellectus habeat duas cognitiones de eodem obiecto, vnam ei valdè adhærentem, & aliam vacillantem cum nimirum nituntur diuerſo medio, illa euidenti, & hæc probabili, ac dubio: aut intellectus non aduertit eſſe idem obiectum. Secus verò quando nituntur eodem medio, vt ſit in præmiſſis, & concluſione, de quibus eſt quæſtio: huius enim vacillatio eſſet virtualiter negatio adhæſionis illarum, vel ſupponeret intellectum ſimul, & ſemel iudicare poſſe obiectum propter illud medium, non poſſe non eſſe, & poſſe non eſſe, quod eſſet affirmare de eo eſſe ſimul, & non eſſe, quod iudicio omnium eſt impoſſibile. Concluſio enim non aſſentitur ſuo obiecto propter aliud, quàm propter præmiſſas, & intellectus perfectè aduertit vtriuſque obiectum eſſe idem. Vnde ſi diceret vi præmiſſarum, non timeo ne ſit illud obiectum per illud medium, & timeo ne ſit, aut quòd idem eſt, iudico illud medium habere neceſſariam connexionem cum illo obiecto, & ſimul iudico non habere neceſſariam, ſed tantùm contingentem, iudicaret idem eſſe ſimul, & non eſſe. Quod certè non contingit, quando cognitiones habent diuerſa media, vnũ euidens, & altera probabile; vt quando de eodem obiecto habemus ſcientiam, & opinionem, aut fidem humanam: benè enim ſtat, intellectum dicere per hoc medium obiectum non poteſt non eſſe. & non timeo ne ſit: per illud verò poteſt non eſſe, & ti-

meo ne fit. Ex quo clarum est præmissas, & conclusionem debere esse æquè certas; licèt aliquæ propositiones de eodem obiecto possint esse vna certior alia.

SECTIO III.

Explicatio reliquarum conditionum Demonstrationis.

PRÆTER conditiones iam explicatas demonstrationis sunt quædam aliæ, quarum declarationem hac sectione absoluemus.

CONCLVSIO PRIMA:

Demonstratio procedit ex prioribus, & notioribus natura, & quoad nos.

ILLÆ præmissæ sunt priores, & notiores natura, & quoad nos sua conclusione, quæ ducunt nos in cognitionem illius, & præterea continent eius causam: atqui præmissæ demonstrationis à priori ducunt nos in cognitionem conclusionis, & continent illius causam: ergo sunt priores conclusione natura, & quoad nos.

Obijcitur. Præmissæ demonstrationis à priori non continent causam conclusionis: ergo non sunt notiores natura conclusione.

Antecedens pr. Præmissæ debent esse notiores quoad nos conclusione: atqui præmissæ, quæ continent causam non sunt notiores quoad nos conclusione: ergo non continent causam conclusionis.

Minor pr. Quod est nobis ignotius, non est notius quoad nos; atqui præmissæ continentes causam conclusionis sunt ignotiores nobis ipsarum conclusione: ergo præmissæ, quæ continent causam non sunt notiores quoad nos conclusione.

Minor pr. Causæ sunt nobis ignotiores, quàm effectus: ergo præmissæ continentes causam sunt ignotiores nobis.

Solutio: *Causa sunt nobis ignotiores, quàm effectus semper*, Nego. *aliquando*, Concedo. *ergo pramissa continentes causam sunt nobis ignotiores aliquando*, Concedo. *semper*, Nego.

Contrà. Causæ sunt semper ignotiores nobis, quàm effectus: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Notiora naturâ ex Aristotele secundo Metaphysicæ capite primo, sunt ignotiora nobis; atqui causæ sunt semper notiores natura: ergo & ignotiores nobis.

Solutio: *Notiora natura ex Aristotele sunt ignotiora nobis semper*, Nego. *aliquando*, Concedo. *& concessa minori: ergo & ignotiores nobis semper*, Nego. *aliquando, aut etiam, vt plurimum*, Concedo. *Ratio est, quia licèt multa causa sint nobis ignotiores, quàm earum effectus, non tamen omnes, vt patet in Sole, v.g. qui est nobis notior, quàm sint illi effectus, quos producit in visceribus terra.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Demonſtratio circularis formalis non eſt bona.

ILLA demonſtratio non eſt bona, in qua probatur idem per idem, aut idem per ſe ipſum; atqui in demonſtratione circulari formali probatur idem per idem, aut idem per ſe ipſum: ergo non eſt bona.

Minor pr. Demonſtratio circularis formalis eſt illa, in qua probatur cauſa per effectum, & deinde effectus per cauſam, vt per effectum cognitam; atqui probare effectum per cauſam, vt per effectum cognitam, eſt probare idem per idem, & idem per ſe ipſum: ergo in demonſtratione circulari formali probatur idem per idem, aut idem per ſeipſum.

Minor pr. Probare effectum per effectum, eſt probare idem per idem; atqui probare effectum per cauſam, vt per effectum cognitam, eſt probare effectum per effectum: ergo probare effectum per cauſam, vt per effectum cognitam, eſt probare idem per idem, & idem per ſeipſum.

Minor pr. Probare effectum per aliquid, quod non cognoſcitur niſi per ipſum effectum, eſt probare effectum per effectum; atqui probare effectum per cauſam, vt per effectum cognitam, eſt probare effectum per aliquid, quod non cognoſcitur niſi per ipſum effectum: ergo probare effectum per cauſam, vt per effectum cognitam, eſt probare effectum per effectum.

Minor pr. Eſt probare cauſam, vt per effe-

ctum cognitam; atqui causa, vt per effectum cognita, non cognoscitur nisi per effectum: ergo probare effectum per causam, vt per effectum cognitam, est probare effectum per aliquid, quod non cognoscitur nisi per ipsum effectum.

CONCLVSIO TERTIA:

Demonstratio circularis materialis est legitima.

DEMONSTRATIO circularis materialis est illa, in qua probatur effectus per causam cognitã aliunde, quàm ex effectu; atqui illa est legitima: ergo & demonstratio circularis materialis.

Minor pr. Illa demonstratio circularis est legitima, in qua non probatur idem per idem; atqui in demonstratione, in qua probatur effectus per causam aliunde cognitam non probatur idem per idem: ergo illa est legitima.

Minor pr. Non probatur effectus per effectum: ergo neque idem per idem.

Antecedens pr. Probatur effectus per causam aliunde cognitam, quàm ex effectu: ergo non probatur effectus per effectum.

Obijcitur. In omni demonstratione circulari probatur idem per idem: ergo demonstratio circularis materialis non est bona.

Minor pr. In demonstratione quacumque circulari probatur effectus per causam non aliunde cognitam, quàm ex effectu: ergo in ea probatur semper idem per idem.

Minor pr. Causa non aliunde cognosci potest,

quàm ex effectu: ergo probatur effectus per causam non aliunde cognitam, quàm ex effectu.

Antecedens pr. Causa non cognoscitur immediatè, nec mediante alio, quàm effectu: ergo non aliunde cognosci potest, quàm ex effectu.

Respondeo cognosci immediatè.

Contrà. Cognitio immediata causæ est cognitio ex terminis: sed cognitio causæ non est cognitio ex terminis. ergo causa non cognoscitur immediatè.

Minor pr. Quod cognoscitur ex terminis est primum principium: atqui causa non est primum principium: ergo cognitio causæ non est cognitio ex terminis.

Solutio: *Quod cognoscitur ex terminis est primum principium omne*, Nego. *aliquod*, Concedo. *ergo causa non cognoscitur ex terminis cognitione, qua cognoscuntur prima principia*, Concedo. *alia*. Nego.

Contrà. Causa non cognoscitur vllo modo ex terminis: ergo nulla solutio.

Antecedens. pr. Non est maior ratio de vna, quàm de alia: atqui multæ non cognoscuntur ex terminis: ergo nulla cognoscitur ex terminis.

Maior. pr. Ea, de qua posset dici esse maior ratio, est, verbi gratia, rationale respectu risibilis: atqui non cognoscimus ex terminis, quod rationale sit causa risibilis: ergo non est maior ratio de vna, quàm de alia.

Minor. pr. Non cognoscimus ex terminis rationale esse necessariò connexum cum risibili: ergo non cognoscitur ex terminis, quòd rationale sit causa risibilis.

N v

Antecedens pr. Rationale non eſt neceſſariò connexum cum riſibili: ergo non cognoſcitur ex terminis rationale eſſe neceſſariò connexum cum riſibili.

Antecedens pr. Poteſt eſſe rationale ſine riſibili: ergo non eſt neceſſariò connexũ cum riſibili.

Solutio: *Poteſt eſſe rationale de facto exiſtens, ſine riſibili,* Nego. *quod fortè dari poſſet,* Tranſeat. *Ad veritatem autem noſtræ reſponſionis ſufficit, vt quod nunc eſt ſit neceſſariò connexum cum riſibili, notitia enim euidens illius connexionis ſatis eſt ad probandum, & demonſtrandum hoc per illud. Quod autem quod nunc eſt ſit neceſſariò coniunctum cum riſibili inde eſt, quòd conſtet nobis experientia nullum eſſe de facto, quod non ſit capax ignorantiæ, & conſequenter admirationis, & riſus inde conſequentis.*

CONCLVSIO QVARTA:

Præmiſſæ demonſtrationis non debent ſemper habere prædicatum de omni, per ſe, & vniuerſale.

ISTE ſyllogiſmus: Omne corpus mutuans ab alio lumen, & quod poteſt pati interpoſitionem corporis opaci, pati poteſt eclipſim; atqui Luna eſt huiuſmodi corpus: ergo poteſt pati eclipſim, eſt vera demonſtratio; atqui illius præmiſſæ non habent prædicatum de omni, per ſe, & vniuerſale: ergo præmiſſæ demonſtrationis non debent habere ſemper prædicatum de omni, per ſe, & vniuerſale.

Minor pr. Prædicatum de omni, per se, & vniuersale, debet esse conuertibile cum eo, de quo dicitur; atqui prædicatum istarum propositionum non est conuertibile cum suo subiecto: ergo præmissæ istius demonstrationis non habent prædicatum de omni, per se, & vniversale.

Minor pr. Prædicatum est mutuans lumen ab alio, & quod potest pati interpositionem corporis opaci; atqui illud prædicatum non est conuertibile cum eo, de quo dicitur: ergo prædicatum istarum propositionum non est conuertibile cum suo subiecto.

Minor pr. Dicitur de Luna; sed non conuertitur cum Luna: ergo non est conuertibile cum eo, de quo dicitur.

Minor pr. Illud non conuertitur cum Luna quod conuenit alijs astris; atqui mutuans ab alio lumen conuenit aliis astris, vt probabimus in tract. de cælo: ergo non conuertitur cum Luna.

Obiicitur. Propositiones per se debent habere prædicatum per se; atqui præmissæ omnis demonstrationis sunt propositiones per se: ergo omnes habent semper prædicatum per se.

Minor pr. Præmissæ demonstrationis vel sunt propositiones per se, vel per accidens, sed non sunt propositiones per accidens: ergo debent esse propositiones per se.

Minor pr. Propositiones necessariæ non sunt per accidens; atqui præmissæ demonstrationis sunt propositiones necessariæ: ergo non sunt propositiones per accidens.

Maior pr. Propositiones per se non sunt per accidens; atqui propositiones necessariæ ex Aristo-

tele sunt propositiones per se: ergo non sunt propositiones per accidens.

Solutio: *Atqui propositiones necessaria necessitate metaphysica sunt propositiones per se*, Concedo. *necessitate physica*, Nego. *Ratio est quia necessitas metaphysica est illa, per quam res ita se habet, vt non possit aliter se habere, ne diuinitus quidem.*

Contrà. Aristoteles infert ex eo quòd præmissæ sint necessariæ, quod sint per se: ergo propositiones necessariæ necessitate physica sunt etiam propositiones per se.

Solutio: *Aristoteles infert ex eo, quod præmissa sint necessaria, quod sint per se in demonstratione potissima*, Concedo. *in omni*, Nego. *In illa enim sunt necessaria necessitate metaphysica, non verò semper in aliis.*

SECTIO IV.

De Medio Demonstrationis quia.

DEMONSTRATIO duplex est, vna propter quid, seu per causam, & à priori: altera quia, seu à posteriori, & per effectũ, aut aliquid, quod non est antecedens illud, quod volumus demonstrare. De numero illorum, quæ non sunt antecedentia, & priora sunt multa, & inter ea testimonium, tum diuinum, tum humanum, quæ aliqui negant posse esse medium demonstrationis *quia*, sed malè, vt patebit ex sequenti conclusione.

VNICA CONCLVSIO:

Teſtimonium diuinum, & humanum poſſunt eſſe medium demonſtrationis quia.

ILLVD eſſe poteſt medium demonſtrationis quia, per quod poteſt aliquid demonſtrari, & ipſum non eſt eo prius: atqui per teſtimonium diuinum, & humanum poteſt aliquid demonſtrari, & hæc non ſunt eo priora: ergo teſtimonium diuinum & humanum poſſunt eſſe medium demonſtrationis quia.

Secunda pars minoris clara eſt, & prima probatur.

Per illud poteſt aliquid demonſtrari, quod poteſt nobis eſſe euidens, & habere euidenter infallibilem connexionem cum alio: atqui poteſt eſſe nobis euidens teſtimonium diuinum, & humanum, & vtriuſque connexio infallibilis cum alio: ergo per teſtimonium diuinum, & humanum poteſt aliquid demonſtrari.

De diuino res eſt clara, & de humano pr.

Aſſertio frequens, & communis, quòd Pariſij ſint eſt teſtimonium humanum: atqui infallibi is eſt illius connexio cum exiſtentia Pariſiorum: ergo infallibilis eſt teſtimonij humani connexio cum alio.

Minor pr. Tam infallibilis eſt eius connexio cum exiſtentia Pariſiorum, quàm infallibilis eſt eius veritas: atqui infallibilis eſt eius veritas: ergo & infallibilis eius connexio cùm exiſtentia Pariſiorum.

Minor. pr. Infallibilis eſt veritas teſtimonij

communis à pluribus sæculis quamplurimis hominibus piis, doctis, minimè inuicem cōsciis de re à se percepta variis sensibus; atqui testimonium humanum, quòd Parisij sint, est de re percepta variis sensibus iam à multis sæculis ab innumeris pænè hominibus piis, doctis, & minimè inuicem consciis: ergo infallibilis est veritas testimonij humani, quòd Parisij sint.

Minor pr. Vrbs, in qua quis per aliquod tempus moratur est res ab ipso percepta variis sensibus; atqui homines pij, docti, &c. qui iam à multis sæculis dixere Parisios esse, incoluere per aliquod tempus Parisios: ergo testimonium humanum, quod Parisij sint, est de re percepta variis sensibus iam à multis sæculi, ab innumeris pænè hominibus piis, doctis, & minimè inuicem consciis.

Obijcies. Nihil potest demonstrari per testimonium siue diuinum, siue humanum: ergo neque testimonium diuinum, neque humanum esse possunt medium demonstrationis.

Minor pr. Nihil potest demonstrari per illud, per quod fieri non potest nobis euidens; atqui per testimonium diuinum. & humanum nihil potest fieri nobis euidens: ergo nihil potest demonstrari per testimonium siue diuinum, siue humanum.

Minor pr. Illud non potest nobis facere aliud euidens, quod est illi planè extrinsecum; atqui testimonium diuinum, & humanum sunt planè extrinseca rebus: ergo per testimonium diuinum, & humanum nihil fieri potest euidens.

Solutio: *Illud non potest nobis facere aliud eui-*

dens euidentia intrinseca, & quidditatiua, quod est illi planè extrinsecum, Concedo. *euidentia extrinseca, seu proueniente ab aliquo extrinseco, scilicet, attestante,* Nego. *& concessa minori, ergo per testimonium diuinum, & humanum nihil fieri potest euidens euidentia intrinseca, quidditatiua, & quæ consistit in penetratione rei clara, & distincta per ea, quæ sunt illi essentialia,* Concedo, *euidentia extrinseca, seu notitia clara, & distincta rei per ea, quæ ab illa omnino sunt distincta; certam tamen habent cum ea connexionem,* Nego. *hanc secundam habent testimonium tum diuinum, tum humanum respectu rerum, ad quas terminantur.*

Contrà. Illud non potest facere aliud euidens euidentia etiam extrinseca, quod non habet necessariam cum eo connexionem; atqui testimonium saltem humanum non habet necessariam connexionem cum eo, ad quod terminatur; ergo testimonium saltem humanũ non potest nobis facere aliud euidens euidentia extrinseca.

Minor pr. Testimonium fallibile non habet necessariam connexionem cum eo, ad quod terminatur; atqui testimonium humanum est fallibile: ergo non habet necessariam connexionem cum eo, ad quod terminatur.

Solutio: *Atqui testimonium humanum est fallibile omne,* Nego. *aliquod,* Concedo. *ergo non habet necessariam connexionem cum eo, ad quod terminatur aliquod,* Concedo. *omne,* Nego.

Contrà. Omne illud testimonium est fallibile, cuius auctor est fallibilis; atqui auctor omnis te-

ſtimonij humani eſt fallibilis: ergo omne teſtimonium humanum eſt fallibile.

Solutio: *Omne illud teſtimonium eſt fallibile, cuius auctor eſt fallibilis ſemper, & poſitis quibuſcumque circumſtantiis*, Concedo. *in quibuſdam tantùm circunſtantiis & non in omnibus*, Nego. *atqui auctor omnis teſtimonij humani eſt fallibilis, ſemper, & in omnibus circunſtantiis*, Nego. *in aliquibus tantùm*, Concedo.

Contrà. Auctor teſtimonij humani eſt homo: atqui homo eſt fallibilis poſitis quibuſcunque circunſtantiis: ergo auctor teſtimonij humani eſt fallibilis poſitis quibuſcumque circunſtantiis.

Minor pr. Ille eſt fallibilis poſitis quibuſcumque circumſtantiis, qui abſolutè dicitur mendax: atqui homo abſolutè, & ſimpliciter dicitur mendax, *Omnis homo mendax*, ait Regius Pſaltes: ergo homo poſitis quibuſcumque circumſtantiis eſt fallibilis.

Solutio: Neganda eſt maior. Ratio eſt facilis petita ex communi modo loquendi, ex quo habetur eum, qui facilè & ſæpe aliquid præſtat dici abſolutè, & ſimpliciter talem, licèt illud ſemper non agat. Ita qui ſæpe' intemperans eſt dicitur ſine addito intemperans, & ſic de aliis ſimilibus denominationibus, de quarum numero eſt illa mendacis, quæ ideo tribuitur homini, quia ſæpe mentitur, cum quo tamen benè ſtat, quod in aliquibus circunſtantiis, quales ſunt illæ, in quibus aſſerit exiſtentiam Pariſiorum, neque fallat, neque fallatur.

DISPVTATIO III.

De Scientia.

QVæ diximus de Demonstratione disputatione præcedenti, viam munient faciliorem ad ea, quæ hîc agitanda sunt de Scientia, quæ est eius effectus.

Sectio Prima.

Quid sit Scientia.

VOlvere nonnulli nos nihil plane scire de nouo, sed tantùm eorum, quæ aliàs didicimus recordari. Quam ob rem nostram omnem scientiam vocant Reminiscentiam. Hoc eorum placitum refutabimus conclusione secunda.

Prima Conclvsio:

Scientia benè definitur cognitio certa, & euidens parta per demonstrationem.

Scientia bene definitur esse id, quod illi conuenit, & nulli alteri; atqui esse cognitionem certam, euidentem partam per demōstrationem illi conuenit, & nulli alteri: ergo scientia bene definitur cognitio certa, & euidens

parta per demonstrationem.

Prima pars minoris probatur.

Conclusio demonstrationis est cognitio certa, & euidens parta per demonstrationem; atqui omnis scientia est huiusmodi Conclusio: ergo scientia est cognitio certa, & euidens parta per demonstrationem.

Secunda pars minoris nulli alteri conuenire pr.

Alia, quibus dici posset conuenire esse cognitionem certam, euidentem, partam per Demonstrationem, sunt Opinio, Fides Diuina, Cognitio primorum principiorum, & Cognitiones Diuinæ; atqui non conuenit illis: ergo nulli alteri conuenit.

Minor pr. Non conuenit illis, quæ non sunt cognitiones certæ, aut euidentes, aut discursiuæ; sed opinio non est certa, fides diuina non est euidens, cognitio primorum principiorum, & diuina non sunt discursiuæ: ergo non conuenit illis.

Minor pr. Cognitiones includentes formidinem, aut obscuritatem, aut attingentes immediatè suum obiectum non sunt certæ, euidentes, nec discursiuæ; atqui opinio includit formidinem, fides diuina obscuritatem, & cognitio primorum principiorum, & diuina attingunt suum obiectum immediatè: ergo opinio non est certa, neque fides diuina euidens, neque cognitio primorum principiorum, aut diuina discursiuæ.

CONCLVSIO SECVNDA.

Scientia non est reminiscentia.

REMINISCENTIA est recordatio rei aliàs scitæ; atqui nostra scientia non est recordatio rerum, quas aliàs sciuimus: ergo scientia non est reminiscentia.

Minor pr. Nostra scientia esse non potest recordatio eius, quod nunquam aliàs sciuimus; atqui nunquam aliàs sciuimus, quæ quotidie addiscimus; ergo nostra scientia non est recordatio rerum, quas aliàs sciuimus.

Minor pr. Anima nostra scire non potuit aliàs, quæ quotidie addiscit, nisi ante coniunctionem cum corpore, vel in ipsa coniunctione; atqui quæ addiscit quotidie, non sciuit ante coniunctionem cum corpore, neque in coniunctione ipsa: ergo numquam aliàs sciuimus, quæ quotidie addiscimus.

Prima pars minoris probatur.

Anima non sciuit quæ quotidie addiscit, antequam esset; atqui non fuit ante coniunctionem suam cum corpore: ergo non sciuit quæ quotidie addiscit, ante coniunctionem cum corpore.

Minor supponitur ex tractatu de anima, & secunda pars minoris præcedentis argumenti, non sciuisse quæ quotidie addiscit in coniunctione cum corpore, pr.

Anima scire non potuit in ipsa coniunctione cum corpore ea, ad quæ cognoscenda erat om-

nino impotens; atqui erat omnino impotens ad cognoſcenda ea, quæ quotidie addiſcit: ergo Anima neſciuit in coniunctione cum corpore, quæ quotidie addiſcit.

Minor pr. Anima eſt impotens ad cognoſcenda, quæ quotidie addiſcit ſine ſpeciebus, applicatione obiectorum, & formatione organorum; atqui in coniunctione cum corpore, ſeu intra vterum maternum non habebat ſpecies eorum, quæ iam addiſcit, neque ei applicari poterant obiecta, & ſufficienter formata non erant organa; ergo anima ad cognoſcenda ea, quæ quotidie addiſcit erat omnino impotens in coniunctione cum corpore.

Obijcies. Noſtra ſcientia eſt recordatio rei aliàs ſcitæ: ergo noſtra ſcientia eſt reminiſcentia.

Antecedens pr. Non minùs ſcientia, quam habemus de alijs rebus eſt recordatio rei aliàs ſcitæ, quàm ea, quam habemus de Matheſi; atqui quam habemus de Matheſi eſt recordatio rei aliàs ſcitæ: ergo noſtra ſcientia eſt recordatio rei aliàs ſcitæ.

Minor pr Illud eſt verè recordatio rei aliàs ſcitæ, quod eſt valde difficile, & nihilominus ad ſimplicem, & primam propoſitionem extorquet à nobis aſſenſum; atqui obiecta demonſtrationum Mathematicarum ſunt valde difficilia, & tamen ad ſimplicem, & primam propoſitionem extorquent à nobis aſſenſum: ergo ſcientia, quam habemus de Matheſi eſt recordatio rei aliàs ſcitæ.

Solutio: *Illud eſt verè recordatio rei aliàs ſcitæ,*

quod est valdè difficile, & nihilominus ad primam propositionem, & nudam extorquet à nobis assensum, si intellectus noster non fuerit ad id præparatus per antecedentes notitias præuias ad istam, & ipsam quasi inferentes, Concedo. *Si fuerit hoc modo præparatus*, Nego. *Erit enim potiùs necessaria sequela, quàm recordatio: Atqui obiecta demonstrationum mathematicarum sunt valdè difficilia, & tamen ad primam, & nudam propositionem extorquent à nobis assensum, cùm non fuit intellectus præparatus per antecedentes notitias præuias ad ipsa, & ipsa quasi inferentes.* Nego. *cùm hoc modo fuit præparatus intellectus.* Concedo. *verùm huiusmodi obiectorum perceptio dici non debet recordatio, sed notitia ob antecedentes quasi necessariò de nouo exsurgens.*

Contrà. Suppono experientiam frequentem pueri addiscentis Mathesim, qui vix hæret in percipienda vlla demonstratione quantumuis difficili, si ei debito ordine proponatur à doctore. & hoc posito sic argumentor.

In suppositione facta obiecta demonstrationum illarum mathematicarum valdè difficilia ad primam propositionem extorquent ab illo puero assensum; atqui non fuit ad hoc eius intellectus præparatus per antecedentes notitias; ergo obiecta demonstrationum mathematicarum, licèt difficilia extorqueñt à nobis assensum, etiam si non fuerimus ad hæc præparati per antecedententes notitias.

Solutio: *Neganda est minor. Propositio enim antecedentium demonstrationum faciliorum præparauit ipsum ad assentiendum sequentibus diffi-*

cilioribus, Certè si omissis prioribus proponantur ei sequentes, etiamnon ita difficiles, vix assentietur, quod tamen nulla difficultate faceret, si tantùm deberet meminisse. Minus enim requiritur, vt patet experientia, quàm propositio integra rei aliàs nota ad excitandam illius memoriam.

SECTIO II.

An detur in nobis Scientia.

NON defuere, qui asserentes nullam plane dari scientiam, contenderent nihilominus se apprimè hoc scire. Ad huiusmodi confutandum errorem satis quidem esset ipsis opponere apertam repugnantiam, quæ cuilibet obuia est, ipsos habere hanc scientiam, cum eo quod asserunt nullam dari: quia tamen aliqui possent negantes dari scientiam, profiteri suam illam sententiam esse tantùm opinionem; aliam adiungemus rationem ad probandum neminem dicere debere, neque scientificè, neque opinatiuè nullam esse scientiam in nobis.

VNICA CONCLVSIO.

Datur in nobis scientia multarum rerum.

SCIENTIA est cognitio certa, & euidens parta per demonstrationem; atqui nos habemus cognitiones huiusmodi, multarum rerum: ergo datur in nobis scientia multarum rerum.

Minor pr. Quod demonstratio pariat scientiam, syllogismus topicus gignat opinionem,

quòd brachium ſit aliquid minus toto corpore, &c. ſunt multæ res; atqui habemus cognitiones certas, euidentes partas per demonſtrationem illarum: ergo habemus cognitiones certas, &c. multarum rerum.

Minor pr. Cognitiones, quas habemus de iſtis rebus ſunt concluſiones ſyllogiſmi demonſtratiui, ergo ſunt cognitiones certæ, euidentes, partæ per demonſtrationem.

Antecedens pr. Vltima eſt concluſio iſtius ſyllogiſmi: Pars eſt minor toto; atqui brachium eſt pars, & corpus totum; ergo brachium eſt minus toto corpore. Penultima verò iſtius: Syllogiſmus, cuius præmiſſæ ſunt tantùm probabiles, parit opinionem; atqui præmiſſæ ſyllogiſmi topici ſunt tantùm probabiles: ergo parit tantùm opinionem; atqui iſti ſyllogiſmi ſunt demonſtratiui: ergo cognitiones, quas habemus, quòd ſyllogiſmus Topicus gignat opinionem, brachium ſit minus toto corpore, ſunt concluſiones ſyllogiſmi demonſtratiui.

Obÿcies. Scientia eſt cognitio neceſſaria; atqui cognitiones noſtræ non ſunt neceſſariæ: ergo non ſunt ſcientia.

Minor pr. Illa cognitio non eſt neceſſaria, cuius obiectum non eſt neceſſarium; atqui obiecta noſtrarum cognitionum non ſunt neceſſaria: ergo nec ipſæ.

Minor pr. Quod eſt contingens nō eſt neceſſarium; atqui obiecta noſtrarum cognitionum ſunt contingentia: ergo non ſunt neceſſaria.

Minor pr. Obiecta noſtrarum cognitionum ſunt vt plurimùm res creatæ; atqui res creatæ

sunt contingentes: ergo & obiecta nostrarum cognitionum.

Solutio: *Atqui res creatæ sunt contingentes quoad existentiam*, Concedo. *Quoad conuenientiam suorum prædicatorum*, Nego. *& eodem modo distinguendum est consequens: ergo obiecta nostrarum cognitionum sunt contingentia, quoad conuenientiam suorum prædicatorum*, Nego. *quoad existentiam*, Concedo. *modò enim sunt, modò non sunt.*

Contrà Obiecta cognitionum fallibilium sunt contingentia etiam quoad conuenientiam suorum prędicatorum; atqui nostrę cognitiones sunt omnes fallibiles: ergo obiecta nostrarum cognitionum sunt contingentia, etiam quoad conuenientiam suorum prędicatorum.

Minor pr. Cognitiones, quæ pendent ab aliquo fallibili sunt omnes fallibiles; atqui nostræ omnes cognitiones pendent ab aliquo fallibi: ergo sunt omnes fallibiles.

Minor pr. Cognitiones nostræ pendent à sensu; atqui sensus est fallibilis: ergo nostræ omnes cognitiones pendent ab aliquo fallibili.

Solutio: *Cognitiones nostræ pendent à sensu proximè*, Nego. *remotè*, Concedo; *ergo nostræ omnes cognitiones pendent ab aliquo fallibili remotè*, Concedo. *proximè*, Nego. *Addi posset sensum non esse fallibilem quando obiectum est debitè applicatum, & medium ritè dispositum: ac tandem errores sensus deprehendi ab intellectu, & ab eodem corrigi.*

SECTIO

SECTIO III.

De obiecto, & subiecto scientiæ.

DISCRIMEN illud est inter obiectum & subiectum scientiæ, quòd hoc sit tantum illud, de quo per illam asseritur aliquid: illud verò sit, & id, de quo asseritur aliud, & istud aliud quod asseritur. Est enim id omne, si sumatur adæquatè, quod repræsentatur per scientiam, quæ non tantùm repræsentat identitatem extremorum inter se, sed etiam cum medio, vt probauimus disp. de syllogismo sect. 2. Dixi, si sumatur adæquatè, quia si sumatur inadæquatè intelligi potest vel de solo subiecto, vel de solo prædicato. Obiectum hoc posteriori modo sumptum dicitur incomplexum, priori verò complexum, de quo sit.

PRIMA CONCLVSIO:

Obiectum scientiæ debet esse necessarium.

OBIECTVM cognitionis certæ, & euidentis est necessarium; atqui scientia est cognitio certa, & euidens: ergo obiectum scientiæ debet esse necessarium.

Maior pr. Non habemus certitudinem simul, & euidentiam nisi de necessarijs: ergo cognitio certa, & euidens habet obiectum necessarium.

Antec dens pr. Non potest haberi certitudo de contingentibus: ergo habemus tantùm certitudinem de necessarijs.

Antecedens pr. Non possumus habere certitudinem, de his, quæ aliter se habere possunt; atqui contingentia se aliter habere possunt; ergo non potest haberi certitudo de contingentibus.

Obijcies. Obiectum conclusionis demonstratiuæ est obiectum scientiæ: atqui obiectum conclusionis demonstratiuæ, non est semper necessarium: ergo obiectum scientiæ non debet esse necessarium.

Minor pr. Obiectum contingens non est necessarium; atqui obiectum conclusionis demonstratiuæ est aliquando contingens: ergo obiectum conclusionis demonstratiuæ non est semper necessarium.

Minor pr. Ista conclusio est demonstratiua: ergo Petrus mouetur, quia currit, & omne currens mouetur; atqui eius obiectum est contingens: ergo obiectum conclusionis demonstratiuæ est aliquando contingens.

Solutio: *Atqui eius obiectum est contingens absolutè*, Concedo. *Ex suppositione, scilicet, quod ego illum videam currere, seu quod sit eius cursus*, Nego. *verùm quidem est Petrum posse non currere; ex suppositione tamen, quod ego illum videam currere non potest non esse illius cursus, quia mea visio supponit existentiam illius cursus: ex suppositione autem quod sit illa existentia non potest non esse: Iam ad consequens: ergo obiectum conclusionis demonstratiua est aliquando contingens absolutè*, Concedo. *ex suppositione quod sit, aut quod sit aliud, quod ipsum necessariò supponat esse, & euidenter probet eius existentiam vt est visio, auditio, &c.* Nego. *quare satis est ab obiectum scien-*

tia, vt sit alterutro ex allatis modis necessarium. De primò nullum est dubium, & de secundo inde patet, quòd syllogismus allatus verè sit demonstratiuus; cùm enim sit euidens, neque topicus, neque sophisticus, aut pseudographus dici potest, & consequenter ne manca sit diuisio Aristotelica, ad vltimum membrum, scilicet, demonstrationem reuocari debet.

CONCLVSIO SECVNDA:

Medium est obiectum formale conclusionis.

ILLVD est obiectum formale conclusionis, quod est ratio cognoscendi materiale; atqui medium est ratio cognoscendi obiectum materiale conclusionis: ergo medium est eius obiectum formale.

Minor pr. Illud, propter quod assentimur conclusioni est ratio cognoscendi obiectum materiale conclusionis; atqui propter medium assentimur obiecto conclusionis: ergo medium est ratio cognoscendi obiectum materiale conclusionis.

Minor pr. Obiectum conclusionis est identitas extremorum inter se; atqui illi non assentimur, nisi propter medium, cum quo sunt idem: ergo propter medium assentimur obiecto conclusionis.

CONCLVSIO TERTIA:

Obiectum formale, & materiale scientiæ non distinguuntur realiter.

OBIECTVM formale scientiæ est obiectum præmissarum,& materiale obiectum conclusionis; atqui obiectum præmissarum non distinguitur realiter ab obiecto conclusionis : ergo obiectum formale scientiæ, & materiale non distinguuntur realiter.

Minor pr. Obiectum præmissarum est identitas extremorum cum medio, & conclusionis eorum identitas inter se; atqui identitas extremorum cum medio, & inter se non distinguuntur realiter : ergo obiectum præmissarum, & conclusionis non distinguuntur realiter.

Minor pr. Non magis identitas extremorum cum medio, & inter se distinguuntur realiter, quàm quæ sunt eadem vni tertio, & quæ sunt idem inter se; atqui quæ sunt idem inter se non distinguuntur ab his, quæ sunt eadem vni tertio; ergo identitas extremorum cum medio, & inter se non distinguuntur realiter.

Minor pr. Quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se : ergo quæ sunt eadem vni tertio, & quæ sunt idē inter se nō distinguūtur realiter.

Obijcies. Obiectum formale, & materiale scientiæ debent distingui inter se realiter, vel formaliter; atqui non distinguuntur formaliter : ergo debent distingui realiter.

Minor pr. Distinctio formalis obiecti mate-

rialis ſcientiæ,& eius obiecti formalis prouenire debet, & peti à cognitione; atqui non poteſt peti à cognitione: ergo obiectum formale, & materiale ſcientiæ non diſtinguuntur formaliter.

Minor pr. Cognitio,à qua peti poteſt illa diſtinctio formalis, debet eſſe vel ipſæ præmiſſæ, vel aliqua alia cognitio; atqui non eſt neque præmiſſæ, neque alia cognitio: ergo diſtinctio illa formalis non poteſt peti à cognitione.

Reſpondeo *peti à præmiſſis,*

Contrà. Diſtinctio illa peti debet ab ea cognitione, quæ conſtituit illa in ratione obiecti formalis,& materialis;atqui præmiſſę non conſtituunt illa in ratione obiecti materialis,& formalis: ergo præmiſſæ non ſunt cognitio, à qua petitur illa dictinctio.

Minor.pr. Præmiſſæ non conſtituunt, ſeu non ſunt pars ſui obiecti;atqui obiectum formale eſt obiectum præmiſſarum:ergo præmiſſæ non conſtituunt obiectum formale.

Solutio: *Atqui obiectum formale ſecundum id quod dicit in recto eſt obiectum præmiſſarum,* Concedo. *ſecundum id, quod dicit in recto, & in obliquo,* Nego. *Obiectum formale dicit duo. Primum, & in recto eſt res repræſentata: Secundum & in obliquo eſt cognitio in illam tendens per ſe, & non per aliud, neque propter aliud. Ex quo claré patet obiectum formale ſecundum id totum, quod dicit non eſſe obiectum præmiſſarum, ſeu id, quod repræſentatur à præmiſſis. Iam ad conſequens: ergo præmiſſa non conſtituunt obiectum formale ſecundum id, quod dicit in recto,* Concedo. *ſecundum id, quod dicit in recto, & in obliquo,* Nego. *Senſus eſt, præ-*

missa non sunt quidem res repræsentata, sunt tamen talis eius repræsentatio, à qua habet, vt denominetur potiùs obiectum formale, quàm materiale, & consequenter præmissa, sunt pars non quidem obiecti, sed obiecti formalis.

Contrà. Obiectū formale est distinctiuū scientiarum; atqui ex suppositione, quòd constituatur in recto per rem repræsentatam, & in obliquo per cognitionem non potest esse illarum distinctiuum: ergo obiectum formale non est res repræsentata in recto, & in obliquo cognitio.

Minor pr. Quando dicitur obiectum formale esse distinctiuum scientiarum, intelligitur per illud aliquid distinctū ab ipsis scientiis; atqui ex suppositione, quòd obiectū formale sit in recto res repræsentata, & in obliquo cognitio per illud nihil intelligitur distinctū ab ipsis scientiis: ergo ex suppositione quòd constituatur in recto per rem repræsentatam, & in obliquo per cognitionem non potest esse illarum distinctiuum.

Solutio: *Quando dicitur obiectum formale esse distinctiuum scientiarum intelligitur per illud adæquatè sumptum, seu secundum id, quod dicit in recto, & in obliquo aliquid distinctum ab ipsis scientiis,* Concedo. *per illud inadæquatè sumptum, seu secundum id quod dicit tantùm in obliquo,* Nego. *atqui ex suppositione, quòd obiectum formale sit in recto res repræsentata, & in obliquo cognitio nihil intelligitur distinctum adæquatè ab ipsis scientiis,* Concedo. *inadæquatè,* Nego. *Illud inadæquatè est res repræsentata, quæ respectu saltem aliquarum scientiarum, earum scilicet, quæ diuersa repræsentant non est eadem vt patet.*

Contrà. Res repræsentata ex concessis est eadem respectu aliquarum scientiarum: ergo saltem respectu illarum obiectum formale nihil est distinctum ab ipsis scientijs; atqui semper per obiectum formale intelligitur aliquid distinctum ab ipsis scientijs: ergo obiectum formale, etiam secundum id, quod dicit in obliquo non est cognitio.

Solutio: *Concesso primo enthymemate negandum est subsumptum. Ratio est; quia per obiectum formale, nihil aliud intelligi debet, quàm id, quod distinguit vnam scientiam ab alia. Id autem, per quod scientiæ habentes idem obiectum distinguuntur, non potest esse aliud ab ipsismet, seu tali, & tali illius obiecti repræsentatione, & in illud tendentia. Obiectum enim cùm sit idem planè, vt supponimus, distinctio tota esse debet ex parte cognitionum, & in ipsis scientijs.*

CONCLVSIO QVARTA:

Subiectum scientiæ potest esse quodlibet ens.

ILLVD omne potest esse subiectum scientiæ, de quo aliquid demonstrari potest; atqui de omni planè ente potest demonstrari aliquid: ergo subiectum scientiæ potest esse quodlibet ens.

Minor pr. De illo omni demonstrari potest aliquid, de quo probari potest aliquid euidenter; atqui de omni ente probari potest aliquid euidenter: ergo de omni planè ente potest aliquid demonstrari.

Minor pr. De omni ente probari poteſt euidenter, quòd ſit cognoſcibile: ergo de omni ente probari poteſt aliquid euidenter.

Antecedens pr. De illo probari poteſt euidenter, quod ſit cognoſcibile, de quo euidenter probari poteſt, quod cognoſcatur; atqui de omni ente, euidenter probari poteſt, quod cognoſcatur: ergo & quod ſit cognoſcibile.

Minor pr. Probari poteſt euidenter, quod Deus cognoſcat omne ens: ergo de omni ente probari poteſt, quod cognoſcatur.

Antecedens pr. Qui eſt omniſciens cognoſcit omne ens; atqui quod Deus ſit omniſciens probari poteſt euidenter: ergo & quod Deus cognoſcat omne ens.

Minor pr. Probari poteſt euidenter, quidquid melius eſt, Deo conuenire; atqui melius eſt Deum eſſe omniſcientem, quàm non eſſe: ergo probari poteſt euidenter, quod Deus ſit omniſciens.

Obijcies. Illud eſſe non poteſt ſubiectum ſcientiæ, de quo dari non poteſt ſcientia: atqui de quolibet ente dari non poteſt ſcientia: ergo quodlibet ens non poteſt eſſe ſubiectũ ſcientiæ.

Minor pr. De eo dari non poteſt ſcientia, circa quod ſcientia non verſatur, & de eo non agit; atqui ſcientia non verſatur circa quodlibet ens, & de eo non agit: ergo de quolibet ente dari non poteſt ſcientia.

Minor pr. Ens ſingulare eſt aliquod ens; atqui ſcientia ex Ariſtotele paſſim non verſatur circa ſingularia: ergo ſcientia non verſatur circa quodlibet ens.

Solutio : *Atqui scientia ex Aristotele non versatur circa singularia : scientia potissima, & quæ iam communiter traditur, & docetur*, Concedo. *nulla planè scientia*, Nego. *ergo scientia non versatur circa quodlibet ens, scientia, quæ communiter habetur & docetur*. Concedo. *nulla planè scientia*, Nego.

Contrà. Subiectum scientiæ debet esse ex Aristotele æternum, incorruptibile, &c. atqui singularia non sunt æterna, incorruptibilia, &c. ergo singulare non potest esse obiectum vllius scientiæ.

Solutio : *Subiectum scientiæ, qualis nunc docetur communiter debet esse æternum, incorruptibile, &c.* Concedo. *omnis scientiæ*, Nego. *& concessa minori ; ergo singulare non potest esse obiectum vllius scientiæ, qualis nunc docetur communiter*, Concedo. *vllius scientiæ particularis, & quæ de materia peculiari aliqua haberi potest*, Nego. *Aristoteles quando numerat intercondítiones obiecti scientiæ æternitatem, incorruptibilitatem, &c. loquitur tantùm de scientijs communiter tradi solitis, quibus verè hoc conuenit, agunt enim tantùm de rebus in communi, seu vniuersaliter sumptis, quas ipse sic sumptas vocat æternas, & incorruptibiles, quia non attenduntur secundùm existentiam, sed secundùm connexionem suorum prædicatorum, quæ inuariabilis est, & semper durans; non autem de omni cognitione scientifica, cui hoc minimè competere ignorare non potuit tanti ingenij vir.*

Ex dictis inferes primò. Necessitatem requisitam in obiecto scientiæ debere esse vel absolu-

tam, vel hypotheticam. Absoluta est illa, per quam res quæ dicitur necessaria non potest aliter se habere independenter ab omni conditione. Hypothetica verò est illa, per quam res secundùm se potest quidem aliter se habere, non tamen coniuncta cum hac, aut illa conditione, aut spectata in his, aut illis circunstantiis, vel adiunctis.

Secundò, scientiam, sicut & omnem aliam conclusionem cuiuscunque syllogismi habere semper, & necessariò obiectum formale, & materiale. Ei enim cui assentitur, assentitur semper propter aliud.

Tertiò, conclusionem quartam asserentem quodlibet ens posse esse subiectum scientiæ cōplecti nō tantùm entia realia, sed etiàm ficta, & impossibilia. De his enim, sicut & de aliis probari potest euidenter, quòd sint cognoscibilia, & de facto cognoscantur à Deo, quippe qui ad nullam quæstionem, quæ ei proponi possit, aut ipsemet formare respondere non possit, *Nescio*.

SECTIO IV.

De vnitate, & distinctione specifica scientiarum.

SCIENTIA alia est actualis, alia habitualis. Actualis est cognitio quam formant in nobis præmissæ demonstrationis: habitualis verò est vis facilè productiua, & cum inclinatione similium cognitionum. Dubium non est, quin istæ

cognitiones actuales sint diuersæ entitates. Vna enim existente non existunt aliæ, sed difficultas est num facilitas illa, quæ remanet in intellectu post formatas sæpius cognitiones illas multas pertinentes ad eandem scientiam, sit vna simplex, & indiuisibilis entitas, an verò realiter multiplex & vna tantùm vnitate compositionis.

Secunda difficultas est posita multiplicitate habituum conflantium vnam totalem scientiam, à quo peti debeat diuersitas specifica inter ipsos, & eos ex quibus aliæ scientiæ constituuntur. Quid de vtraque statuendum sit aperient sequentes conclusiones.

Prima Conclvsio:

Scientia totalis non est vnus simplex habitus.

Illvd non est vnus simplex habitus, quod est multitudo habituum; atqui scientia totalis est multitudo habituum: ergo non est vnus simplex habitus.

Minor pr. Quod est multitudo cognitionum, est multitudo habituum; atqui scientia totalis actualis, est multitudo cognitionum: ergo habitualis est multitudo habituum.

Maior pr. Vt quod est multitudo cognitionum, sit multitudo habituum sufficit, vt vnicuique cognitioni respondeat suus habitus; atqui vnicuique cognitioni respondet suus habitus: ergo quod est multitudo cognitionum est multitudo habituum.

Minor pr. Vnicuique cognitioni respondet, quod producit; atqui vnaquæque cognitio producit suum habitum: ergo vnicuique cognitioni respondet suus habitus.

Minor pr. Æquales sunt vires in omnibus cognitionibus ad producendum habitum sibi correspondentem; atqui negari non potest multas producere suum: ergo dicendum est vnamquamque etiam suum producere.

Maior pr. Habitus sunt maiores, aut minores, nobiliores, aut ignobiliores pro ratione cognitionum, quibus correspondent: ergo æquales sunt vires in omnibus cognitionibus ad producendum habitum sibi correspondentem.

Obijcies. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; atqui nulla est necessitas admittendi scientiam esse plures habitus: ergo scientia est vnus simplex habitus.

Min. pr. Necessitas plurium habituũ in sciẽtiis est tantùm, vt inclinent ad diuersas cognitiones; atqui vnus simplex habitus inclinare potest ad diuersas cognitiones: ergo nulla est necessitas admittẽdi scientiam esse plures habitus.

Minor pr. Habitus fidei diuinæ est verus habitus; atqui ille non multiplicatur, pro multiplicatione cognitionum, ad quas inclinat: ergo vnus simplex habitus inclinare potest ad diuersas cognitiones.

Solutio: *Habitus fidei diuinæ est verus habitus supernaturalis*, Concedo. *naturalis*, Nego. *& concessa minori distinguendum est eodem modo consequens.*

Contrà. Virtutes morales sunt habitus natu-

rales; atqui illæ non multiplicantur pro multiplicatione actuum: ergo habitus naturales non multiplicantur pro multiplicatione actuum.

Minor pr. Temperantia est virtus moralis; atqui non multiplicatur pro multiplicatione actuum: ergo virtutes morales non multiplicantur pro multiplicatione actuum.

Minor pr. Alius est actus temperantiæ, quo seruat mediocritatem in cibo, alius in potu, alius in carne, &c. atqui ipsa est vnus tantùm simplex habitus: ergo non multiplicatur pro multiplicatione actuum.

Minor pr. Ille habitus est vnus, cuius est tantùm vnum motiuum formale: atqui est vnum tantùm motiuum formale habitus temperantiæ: ergo ipsa est vnus tantùm habitus.

Maior pr. Ille habitus est vnus, qui habet omnia, quæ requiruntur ad eius vnitatem: atqui qui habet vnicum tantùm motiuum formale, habet omnia requisita ad vnitatem: ergo ille habitus est vnus, qui habet vnicum tantùm motiuum formale.

Minor. pr. Nihil aliud ei dici potest deesse, quàm vnitas obiecti materialis; atqui hæc non requiritur ad eius vnitatem: ergo habet omnia requisita, vt sit vnus.

Minor pr. Illud non requiritur ad vnitatem istius habitus, quod ad illam nihil confert; atqui vnitas obiecti materialis nihil ad illam confert: ergo vnitas obiecti materialis non requiritur ad vnitatem istius habitus.

Minor pr. Illud nihil confert ad vnitatem habituum, quod in illis non attenditur, & ad quod

quasi per accidens se habent; atqui in habitibus non attenditur obiectum materiale, & ad illud quasi per accidens se habent: ergo vnitas obiecti materialis nihil confert ad vnitatem habitus.

Solutio: *Neganda est minor. Ratio est facilis; quia illud non potest dici per accidens se habere ad aliquem habitum, quòd ipse respicit essentialiter. Certum autem est, quòd habitus dicat essentialem ordinem non minus ad obiectum materiale, quàm ad formale. Illius enim tam benè, ac istius est virtualis repræsentatio, quemadmodum cognitio est eiusdem expressio formalis, quod est totum fundamentum astruendi in illo ordinem essentialem ad obiectum formale.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Distinctio scientiarum non petitur à diuersitate abstractionis à materia singulari, sensibili, & intelligibili.

DISTINCTIO scientiarum non petitur ab eo quod est commentitium, & quod etiam si reale esset illas sufficienter non distingueret; atqui diuersitas abstractionis à materia singulari, sensibili, & intelligibili est commentitia, & licèt realis esset non distingueret sufficienter scientias: ergo distinctio scientiarum non petitur à diuersitate abstractionis.

Prima pars minoris probatur.

Materia singularis est compositum physicum cum suis accidentibus singularibus; sensibilis idem cum communibus, & tandem intelligibi-

lis, quantitas; atqui abstractio à composito physico cum suis accidentibus singularibus, aut ab eodem cum communibus, sicut & à quantitate, est commentitia: ergo abstractio à materia singulari, sensibili, & intelligibili est cõmentitia.

Minor pr. Abstractio à quantitate est præcisio obiectiua; atqui impossibilis est præcisio obiectiua ex disputatione de Vniuersalibus in communi: ergo abstractio à quantitate est impossibilis.

Minor pr. Abstractio à quantitate est repræsentatio entis non repræsentata quantitate; atqui repræsentatio entis non repræsentata quantitate est præcisio obiectiua: ergo abstractio à quantitate est præcisio obiectiua.

Minor pr. Repræsentatio vnius, & non alterius identificati cum isto est præcisio obiectiua; atqui quantitas, & ens sunt idem: ergo repræsentatio entis non repræsentata quantitate est præcisio obiectiua.

Secunda pars minoris superioris argumenti, abstractionem à materia non distinguere sufficienter scientias, probatur.

Illud non distinguit scientias sufficienter, quod est commune diuersis scientiis; atqui eadem abstractio à materia est communis diuersis scientiis: ergo abstractio à materia non distinguit sufficienter scientias inter se.

Minor pr. Theologia, & Metaphysica sunt diuersæ scientiæ, sicut & quæ institui possent de rebus spiritualibus; atqui illis communis est eadem planè abstractio; ergo eadem abstractio communis est diuersis scientiis.

Minor pr. Abstractio propria Theologiæ, est abstractio à materia re, & ratione; atqui illa communis est Metaphysicæ, qua parte agit de Deo, & scientiis etiam, quæ institui possent de rebus spiritualibus: ergo eadem abstractio communis est Theologiæ, & Metaphysicæ, & scientiis, quæ institui possent de rebus spiritualibus.

Minor pr. Illi scientiæ communis est abstractio re, & ratione, à materia, cuius obiectum nullo modo includit quantitatem, aut formas accidentales sensibiles; atqui Metaphysicæ obiectum qua parte agit de Deo, & Angelis, & illud scientiarum, quæ institui possent de rebus spiritualibus nullo modo includit quantitatem, nec formas accidentales sensibiles: ergo Metaphysicæ, qua parte agit de Deo, communis est abstractio, re, & ratione à materia.

Minor pr. Obiectum illud Metaphysicæ est Deus; atqui Deus nullo modo includit quantitatem, aut vllas formas accidentales sensibiles: ergo obiectum Metaphysicæ, qua parte agit de Deo, & Angelis, & illud scientiarum, quæ institui possent de rebus spiritualibus nullo modo includit quantitatem, aut vllas formas sensibiles accidentales.

Obijcies. Ab eo peti potest distinctio scientiarum, quod sufficiens ponit, aut supponit inter illas discrimen; atqui diuersitas abstractionis sufficiens ponit, aut supponit discrimen inter scientias: ergo distinctio scientiarum peti potest à diuersitate abstractionis.

Minor pr. Illud sufficiens supponit discrimen inter scientias, quod supponit illas esse magis,

aut minus certas; atqui diuersitas abstractionis supponit illas esse magis, aut minus certas: ergo supponit sufficiens discrimen inter scientias.

Minor. pr. Maior, & minor abstractio est diuersitas abstractionis; atqui minor abstractio supponit scientiam in qua est, esse minus certam, & maior abstractio esse magis certam: ergo diuersitas abstractionis supponit scientias esse magis, aut minus certas.

Solutio: *Atqui minor abstractio supponit scientiam in qua est, esse minus certam, & maior magis certam, & reperiuntur semper in diuersis scientijs, & quotiescumque datur in illis diuersitas,* Nego. *& non reperiuntur quotiescumque datur in scientijs diuersitas*, Concedo. *ergo diuersitas abstractionis supponit scientias esse magis, aut minus certas, & conuenit omnibus, quæ sunt diuersa*, Nego. *& non conuenit omnibus*, Concedo. *Sensus responsionis est, maiorem, & minorem abstractionem, vbi reperiuntur inducere quidem posse, aut supponere aliquod discrimen, non esse tamen vbicumque est illud discrimen, & consequenter per illam non assignari adæquatam differentiam scientiarum.*

Contrà. Maior illa, & minor abstractio non potest dici non conuenire alijs scientijs diuersis, quàm Metaphysicæ verbi gratia, & Theologiæ; atqui Theologia non est scientia: ergo falsum est, quod non conueniat omnibus diuersis scientijs.

Solutio: *Neganda est primò maior, quia non conuenit etiam diuersis illis scientijs, quæ instituũ*

possent de rebus spiritalibus. Secundò illa data minor falsa est.

Contrà. Ille assensus non est scientia, cuius medium est reuelatio obscura; atqui medium Theologiæ, seu assensus Theologici, est reuelatio obscura: ergo Theologia non est scientia.

Solutio: *Ille assensus non est scientia, cuius medium est semper, & necessariò reuelatio obscura.* Concedo. *cuius medium tam benè esse potest reuelatio clara, ac obscura*, Nego. *atqui medium Theologiæ est reuelatio obscura necessariò*, Nego. *per accidens, & contingenter*, Concedo. *Certè non minùs cognitio, quam quis haberet de Deo per reuelationem euidentem diceretur assensus Theologicus, quàm quæ iam habetur per reuelationem obscuram.*

Contrà Ille assensus non debet dici Theologicus, qui non est obscurus; atqui assensus, cuius medium est reuelatio euidens, & clara, non est obscurus: ergo medium assensus Theologici non potest esse reuelatio euidens, & clara.

Solutio: *Ille assensus, qui non est obscurus non debet dici Theologicus, prout Theologicus dicit abstractionem à materia re, & ratione*, Nego. *prout dicit assensum, cuius medium est reuelatio obscura*, Concedo. *istud autem nihil confert ad præsens negotium.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Scientiæ ſpecificantur ab obiectomaterali, & formali, ſeu diuerſo modo in illud tendendi.

SCIENTIAE ſpecificantur ab eo, per quod differunt eſſentialiter inter ſe; atqui per obiectum materiale, & formale, ſeu diuerſum modum tendendi in illud, differunt inter ſe eſſentialiter: ergo ſcientiæ ſpecificantur ab obiecto materiali, & formali, ſeu diuerſo modo tendendi in illud.

Minor pr. Per illud ſcientiæ differunt inter ſe eſſentialiter, quod eſt illis eſſentiale, & non conuenit aliis ab illis; atqui ordo ad obiectum materiale, & diuerſus modus in illud tendendi eſt illis eſſentialis, & non conuenit aliis ab illis: ergo per obiectum materiale, & formale, ſeu diuerſum modum in illud tendendi differunt inter ſe eſſentialiter.

Prima pars minoris probatur.

Repræſentatio eſt eſſentialis ſcientiis; atqui ordo ad obiectum materiale, & diuerſus modus in illud tendendi nihil aliud ſunt, quàm talis repræſentatio huius obiecti à tali ſcientia: ergo ordo ad obiectum materiale, & diuerſus modus in illud tendendi eſt eſſentialis ſcientiis.

Secunda pars minoris prioris argumenti probatur.

Repræſentatio obiecti, quæ eſt propria vnius ſcientiæ, non conuenit aliis; atqui ordo ad ob-

iectum materiale, & diuersus modus in illud tendendi nihil aliud sunt, quàm huiusmodi repræsentatio: ergo ordo ad obiectum materiale, & diuersus modus tendendi in illud vnius scientiæ non conuenit aliis.

Ex dictis inferes primò, tot esse habituales scientias partiales conflantes vnam totalem, quot sunt actuales.

Secundò, tum actuales, tum habituales etiam totales habere sæpe idem obiectum materiale, & distingui tantùm per diuersum illum modum, quo in illud tendunt, seu quòd diuersa de illo explicent; Physica. v.g. de actibus intellectus, & voluntatis quòd sint qualitates vitales, Logica verò de primis, quomodo formari debeant ad bene disserendum, & Moralis de secundis, modo honestate sint imbuendi.

SECTIO V.

An actus opinatiuus possit esse scientificus.

ACTVS opinatiuus, seu opinio in eo differt ab actu scientifico, seu scientia, quòd opinio includat formidinē, scientia verò illam excludat. Cùm autem formido illa duplex sit, vna radicalis, altera formalis, prima est fundamentum & causa dubitationis, secunda verò est actualis ipsa dubitatio, quæ quidem iudicio omnium est incompossibilis cum actuali illa certitudine, quàm secum affert scientia, & propterea

verè dici poteſt actum opinatiuum includentem huiuſmodi actualem formidinem non poſſe eſſe ſimul ſcientificum. At an idem dicendum ſit de eo, qui ſolam habet formidinem radicalem, non eſt facile definire, vt patebit ex his, quæ ſubijciemus.

VNICA CONCLVSIO.

Idem actus poteſt eſſe ſimul ſcientificus, & opinatiuus.

CONCLVSIO deducta ex præmiſſis continentibus vnum medium illius probabile, & alterum euidens, eſt actus opinatiuus, & ſcientificus; atqui dari poſſunt multæ concluſiones deductæ ex huiuſmodi præmiſſis: ergo & actus, qui ſit ſimul ſcientificus, & opinatiuus.

Minor pr. Tot dantur huiuſmodi concluſiones, quot dantur veritates, quibus aſſentimur propter duo media, vnum euidens, & alterum probabile; atqui dantur huiuſmodi multæ veritates: ergo dari poſſunt multæ concluſiones deductæ ex præmiſſis continentibus vnum illius medium probabile, & alterum euidens.

Minor pr. Veritatibus nobis propoſitis aſſentimur propter motiua, per quæ nobis ſuadentur; atqui ſuadentur nobis ſæpè duobus motiuis, aut pluribus, quorum alia ſunt probabilia, & alia euidentia: ergo dantur multæ veritates, quibus aſſentimur propter duo media, vnum euidens, & alterum probabile.

Minor pr. Quòd Deus ſit, quòd detur materia

prima, quòd animæ conueniat immortalitas, ſunt veritates; atqui illæ ſuadentur nobis ſimul motiuis euidentibus, & probabilibus: ergo multæ veritates ſuadentur nobis duobus motiuis, altero probabili & altero euidenti.

Prima pars minoris probatur.

Quòd Deus ſit ſuadetur nobis, ex eo quod homines pij, & docti id dicant, & quòd creaturæ ſint; atqui primum motiuum eſt probabile, & ſecundum euidens: ergo quòd Deus ſit ſuadetur nobis per motiuum probabile ſimul & euidens.

Reſpondent *aduerſarij quòd Deus ſit ſuadetur nobis ex eo, quòd homines pij & docti id dicant, & quòd creaturæ ſint, & per vnum, & eumdem actum attingimus vtrumque illud motiuum, Negant per diuerſos, Concedunt, & conceſſa minori: ergo quòd Deus ſit ſuadetur nobis per motiuum probabile ſimul & euidens: ita vt aſſentiamur vtrique per eundem actum, Negant, per diuerſos per vnum ſcilicet probabili, & per alterum euidenti, Concedunt.*

Contrà primò. Actus qui aſſentitur, quòd Deus ſit propter medium probabile eſt opinatiuus, & ille, qui propter medium euidens idem aſſerit eſt ſcientificus; atqui ex conceſſis poteſt quis aſſentiri, & de facto aſſentitur ſimul, quòd Deus ſit per vnum actum propter medium probabile, & per alium propter medium euidens: ergo poteſt quis ſimul habere actum opinatiuum, & ſcientificum de eodem obiecto.

Contrà ſecundò. Suppono illum audito medio probabili de ſe ſufficienti ad ipſum determinan-

dum, suspendere suum assensum, donec accedat, & proponatur medium euidens, & hoc supposito sic argumentor:

In casu posito homo ille assentitur, quòd Deus sit propter medium probabile, & propter medium euidens; atqui hoc facit per eumdem actum: ergo assentimur quòd Deus sit, propter medium probabile, & propter medium euidens per eundem actum.

Maior pr. Ille assentitur verè, quòd Deus sit, propter quod dicit se præbuisse assensum; atqui cùm quæritur ab ipso, propter quid assentiatur Deum esse, respondet propter medium probabile, & propter medium euidens afferendo illa: ergo verè assentitur propter medium probabile, & propter medium euidens simul, quòd Deus sit.

Minor superioris argumenti, quod hoc faciat per eundem actum, probatur.

Non debent asseri in illo homine diuersi actus sine necessitate; atqui nulla est necessitas, neque fundamentum asserendi esse diuersos: ergo assentitur, quòd Deus sit propter medium probabile, & aliud euidens per eumdem actum.

Minor pr. Nullum aliud fundamentum esse potest, quàm aliqua implicantia inde orta; atqui nulla ex eo sequitur implicantia: ergo nullum est fundamentum asserendi in illo homine esse diuersos actus.

Minor pr. Implicantia inde potens oriri non est alia, quàm quod ille actus sit opinatiuus, & non sit opinatiuus; atqui falsum est, quod non sit opinatiuus: ergo ex eo nulla sequitur implicantia.

Minor pr. Ratio, quæ afferri poteſt, quare non ſit opinatiuus eſt, quia non includit formidinem formalem; atqui actus opinatiuus non merè, ſed partim ſcientificus non debet includere huiuſmodi formidinem: ergo falſum eſt quòd ille actus non ſit opinatiuus.

Minor pr. Vt actus aliquis ſit verè opinatiuus ſufficit, vt ſit aſſenſus præſtitus ſuo obiecto propter medium probabile; atqui licèt nullam includat formidinem formalem, eſt aſſenſus præſtitus obiecto propter medium probabile: ergo actus opinatiuus non merè includere non debet formidinem formalem.

Minor pr. Actus elicitus propter duplex motiuum vtrumque ſufficiens ad illius poſitionem; ſed vnum probabile & alterum euidens nullam includit formidinem formalem; atqui ille eſt aſſenſus ſuo obiecto propter medium probabile: ergo licèt nullam includat formidinem aſſenſus præſtitus ſuo obiecto propter medium probabile.

Maior ſuperioris argumenti, quòd vt actus aliquis ſit opinatiuus ſatis ſit, quod ſit aſſenſus propter medium probabile, probatur.

Vt actus aliquis ſit verè opinatiuus ſufficit, vt participet totum id, quod eſt de eſſentia actus opinatiui; atqui actus, qui eſt aſſenſus, propter medium probabile participat id totum, quod eſt de eſſentia actus opinatiui: ergo vt actus aliquis ſit verè opinatiuus, ſufficit vt ſit aſſenſus propter medium probabile.

Minor pr. Aliud, quod poteſt dici eſſe de eſſentia actus opinatiui, præter eſſe aſſenſum præſti-

tum

tum obiecto propter medium probabile, est includere formidinem actualem; atqui inclusio illa formidinis actualis non est de essentia actus opinatiui: ergo actus, qui est assensus propter medium probabile participat id totum, quod est de essentia actus opinatiui.

Minor pr. Illud non est de essentia actus opinatiui, quod non est primum in illo; atqui includere formidinem actualem non est primum in actu opinatiuo: ergo non est de essentia actus opinatiui.

Minor pr. Illud non est primum in actu opinatiuo, quod oritur ex alio præsupposito; atqui includere formidinem actualem oritur in actu opinatiuo ex alio præsupposito: ergo non est primum in illo.

Minor pr. Assensus propter medium probabile est primum in actu opinatiuo; atqui ex eo oritur inclusio formidinis actualis: ergo includere formidinem actualem, oritur in actu opinatiuo ex alio præsupposito.

Alia probatio maioris de qua est præsens quæstio. esse potest.

Vt actus aliquis sit verè opinatiuus, sufficit vt habeat quidquid est de essentia opinionis; atqui actus qui est assensus præstitus suo obiecto propter medium probabile, habet quidquid est de essentia opinionis: ergo vt actus aliquis sit verè opinatiuus, sufficit vt sit assensus præstitus suo obiecto propter medium probabile.

Minor pr. Illud participat quidquid est de essentia actus opinatiui, quod participat eius genus, & differentiam vltimam; atqui actus, qui

est assensus præstitus suo obiecto, propter medium probabile participat genus, & differentiam vltimam opinionis: ergo habet quidquid est de essentia actus opinatiui.

De genere certum est, & probatur minor de differentia.

Quod participat id, per quod opinio distinguitur ab omnibus aliis, participat differentiam vltimam opinionis; atqui actus, qui est assensus propter medium probabile, participat id, per quod opinio distinguitur ab omnibus aliis, quæ non sunt opinio: ergo actus, qui est assensus propter medium probabile participat differentiam vltimam opinionis.

Minor pr. Quod participat id, quod conuenit opinioni, & nulli alteri, quod non sit opinio, participat id, per quod opinio distinguitur ab omnibus aliis; atqui esse assensum præstitum obiecto propter medium probabile conuenit opinioni, & nulli alteri: ego actus, qui est assensus propter medium probabile participat id, per quod opinio distinguitur ab omnibus aliis.

Prima pars minoris clara est, & secunda probatur.

Alia, quibus dici potest conuenire sunt actus erroneus, aut scientificus non simul opinatiuus; atqui illis nō cōuenit: ergo nulli alteri cōuenit.

Minor p. Non conuenit illis quæ sunt assensus præstitus obiecto propter medium euidens, aut falsum; atqui actus scientificus est assensus propter medium euidens, & erroneus, propter falsum: ergo non conuenit actui scientifico, & erroneo.

Respondent aduersarij. *Atqui actus scientificus est assensus propter medium euidens tantùm*, Negant. *euidens vnum, & simul etiam aliud probabile*, Concedunt. *ergo esse assensum propter medium probabile, non conuenit actui scientifico omni*. Concedunt. *alicui, illi scilicet, qui est simul assensus propter medium probabile*, Negant.

Contrà primò. Responsio admittit actum assentientem suo obiecto propter vnum motiuum euidens, & alterum probabile; atqui ille est, quem nos vocamus opinatiuum, & scientificum: ergo responsio admittit dari actum verè opinatiuum, & simul scientificum.

Contrà secundò. Non minùs repugnat actum scientificum esse propter vnum motiuum euidens, & alterum probabile, quàm opinatiuum propter vnum medium probabile, & alterum euidens; atqui primum ex concessis non repugnat: ergo neque secundum.

Maior pr. Ideò repugnat actum opinatiuum esse propter medium euidens, & probabile: quia habere primum proprium est actus scientifici; atqui etiam habere medium probabile est proprium actus opinatiui: ergo non minùs repugnat actum scientificum esse propter medium euidens, & probabile, quàm opinatiuum propter probabile, & euidens.

Obijcies. Tam implicat ad minus eumdem actũ esse simul scientificum, & opinatiuum, quàm esse duos in intellectu, quorũ vnus sit scientificus, & alter opinatiuus; atqui in intellectu non possunt esse duo actus, quorum vnus sit scientificus, & alter opinatiuus: ergo implicat eumdem

actum esse simul scientificum, & opinatiuum.

Minor pr. Intellectus non potest simul, & semel cognoscere euidenter aliquod obiectum, & illud idem cognoscere ineuidenter; atqui intellectus, in quo sunt duo actus, vnus scientificus, & alter opinatiuus de eodem obiecto, cognoscit euidenter illud obiectum, & ineuidenter: ergo non possunt esse duo actus in intellectu, quorum vnus sit scientificus, & alter opinatiuus.

Solutio: *Intellectus non potest simul, & semel cognoscere euidenter aliquod obiectum, & illud cognoscere ineuidenter ineuidentia negatiua*, Concedo. *ineuidentia positiua*, Nego. *atqui intellectus, in quo sunt duo actus, vnus scientificus, & alter opinatiuus, cognoscit illud obiectum ineuidenter ineuidentia positiua*, Concedo. *negatiua*, Nego. *Ineuidentia positiua est assensus praestitus obiecto propter medium obscurum, & per actum obscurum: negatiua verò est absentia, & negatio omni moda euidentiae. prima vt patet verè tribuitur intellectui informato duobus illis actibus: secunda verò minimè.*

Contrà. Intellectus, in quo sunt duo actus, vnus scientificus, & alter opinatiuus de eodem obiecto, cognoscit illud ineuidenter ineuidentia negatiua: ergo nulla solutio.

Antecedens. pr. Intellectus cognoscit ineuidẽter ineuidentia negatiua, quod non cognoscit euidenter; atqui intellectus in casu posito non cognoscit euidenter illud obiectum: ergo cognoscit illud ineuidenter ineuidentia negatiua.

Solutio: *Atqui intellectus in casu posito non cognoscit euidenter illud obiectum per illum actum*

per quem illud cognoſcit ineuidenter, Concedo. *per alium, qui eſt ſcientificus*, Nego.

Contrà. Intellectus ex conceſſis non cognoſcit euidenter obiectum per illum actum, per quem illud cognoſcit ineuidenter; atqui cognitio illa obiecti euidens eſt actus ſcientificus, & cognitio eiuſdem ineuidens actus opinatiuus: ergo non poteſt idem actus eſſe ſimul ſcientificus, & opinatiuus.

Solutio: *Intellectus non cognoſcit euidenter per illum actum, per quem cognoſcit ineuidenter, ſi non ſit duplex medium illius, vt in caſu allato*, Concedo. *ſi ſit duplex medium, vnum probabile, & alterum euidens*, Nego. *& conceſſa minori: ergo non poteſt idem actus eſſe ſimul ſcientificus, & opinatiuus. Si non habet duplex medium, vnum probabile, & alterum euidens*, Concedo. *ſi habeat*, Nego.

Contrà. Vt actus aliquis ſit ſcientificus ſimul, & opinatiuus, debet habere duplex medium, vnum probabile, & alterum euidens ex conceſſis; atqui non poteſt vnus actus habere duplex medium, vnum probabile, & alterum euidens: ergo non poteſt idem actus eſſe ſimul ſcientificus, & opinatiuus.

Minor pr. Non poteſt vnus, & idem actus poſſe non poni, & non poſſe non poni; atqui actus habens duplex motiuum, vnum probabile, alterum euidens, poteſt non poni, & non poteſt non poni: ergo non poteſt vnus, & idem actus habere duplex medium, vnum probabile, & alterum euidens.

Minor pr. Actus, qui eſt ſimul liber, & neceſ-

sarius potest non poni, & non potest non poni; atqui actus habens duplex motiuum vnum probabile, & alterum euidens est liber, & necessarius: ergo actus habens duplex motiuum vnum probabile, & alterum euidens potest non poni, & non potest non poni.

Respondent *primò aliqui esse necessarium. Sed contrà.*

Ille actus est liber, ad quem intellectus non necessitatur; atqui non necessitatur ad actum habentem duplex medium, vnum probabile, & alterum euidens: ergo actus habens duplex medium, vnum probabile, & alterum euidens, est liber.

Minor pr. Intellectus non necessitatur ad illum actum, ad quem ponendum indiget imperio voluntatis; atqui ad ponendum actum habentem duplex motiuum, vnum probabile, alterum euidens, indiget imperio voluntatis: ergo intellectus non necessitatur ad actum habentem duplex motiuum, vnum probabile, & alterum euidens.

Minor pr. Ad ponendum actum habentem motiuum probabile intellectus indiget imperio voluntatis; atqui actus habens duplex motiuum, vnum probabile, & alterum euidens, habet verè motiuum probabile: ergo intellectus ad ponendum actum, habentem motiuum probabile, & alterum euidens, indiget imperio voluntatis.

Respondent: *Ad ponendum actum habentem motiuum probabile tantùm, intellectus indiget imperio voluntatis*, Concedo. *habentem motiuum probabile & simul etiam euidens*, Nego.

atqui actus habens duplex motiuum, vnum probabile, & alterum euidens, habet verè motiuum probabile tantùm. Nego: *probabile, & simul euidens,* Concedo.

Contrà. Intellectus indiget imperio voluntatis ad ponendos actus, quos merè contingenter ponit; atqui merè contingenter ponit actum habentem motiuum probabile simul, & euidens: ergo intellectus ad ponendum actum habentem motiuum probabile simul & euidens, indiget imperio voluntatis.

Minor pr. Intellectus merè contingenter ponit actus, qui sunt merè contingentes; atqui actus habens duplex medium, vnum probabile, alterum euidens, est merè contingens; ergo intellectus merè contingenter ponit actum habentem medium probabile simul & euidens.

Minor pr. Tam actus ille est merè contingens, quàm conclusio deducta ex vna præmissa necessaria, & altera probabili; atqui conclusio deducta ex vna præmissa necessaria, & altera probabili est merè contingens: ergo etiam actus habens duplex medium, vnum probabile, & alterum euidens, est merè contingens.

Maior pr. Ideò conclusio deducta ex vna præmissa necessaria, & altera probabili est contingens, quia vnum eius medium est probabile, licèt aliud sit euidens; atqui etiam actus, de quo est quæstio, habet vnum medium probabile, cum alio euidenti: ergo tam actus ille est merè contingens, quàm conclusio deducta ex altera præmissa probabili, & altera euidenti.

Respondent: *Ideò conclusio deducta ex vna*

præmissa probabili, & altera euidenti est contingens, quia vnum eius medium est probabile, & alterum euidens, & neutrum est sufficiens seorsim ad ipsam ponendam, seu concurrit ad illam tantùm tanquam causa partialis, Concedo. *& vtrumque ex illis seorsim est sufficiens ad ipsam ponendam, & ad illam concurrit, vt causa totalis,* Nego. *Ex eo enim prouenit, quod sequatur debiliorem partem. Cùm enim medium euidens non sit eius causa integra, & adæquata, & non satis sit solùm ad ipsi dandum esse, dare ipsi non potest similem euidentiam suæ propter consortium medij probabilis, quod pares vires non habet. Quapropter in eam minus aliquid refundit, scilicet probabilitatem, & contingentiam, ad quàm simul cum alio impar non est; atqui actus, de quo est quæstio, habet etiam medium probabile cum alio euidenti, & vtrumque seorsim non se habet ad illum tanquam causa totalis, & adæquata,* Nego. *& se habet tanquam causa sufficiens sola ad ipsi dandum esse,* Concedo. *Ex eo siquidem fit vt vtrumque communicet ei, & refundat in ipsum totam suam perfectionem euidentiæ, & probabilitatis; atque ita verè dici possit totus euidens, & totus probabilis, totus scientificus, & totus opinatiuus.*

Contrà. Medium probabile, & euidens non sunt magis seorsim causa totalis actus, de quo disputamus, quàm conclusionis deductæ ex vna præmissa necessaria, & altera probabili: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Ideo medium probabile, & euidens non sunt causa adæquata conclusionis

deductæ ex vna præmissa necessariá, & altera probabili; quia neutrum ex illis seorsim sumptum sufficit ad ipsi dandum esse; atqui non sufficiunt etiam seorsim ad ponendum actum habentem illa pro motiuo: ergo medium probabile, & euidens non sunt causa adæquata actus, de quo disputamus.

Respondent. *Atqui non sufficiunt etiam seorsim ad ponendum actum assentientem ei, quod suadent,* Nego. *vtrumque enim solum, & licet aliud non adesset inclinaret sufficienter intellectum ad huiusmodi assensum: Assentientem ei, quod suadent, & præterea explicantem se suaderi illud propter illa duo media,* Concedo. *verùm hoc non est necessarium, vt media illa censeantur, & verè dici possint causa totalis istius actus. Causalitas enim illorum in istum actum debet attendi non quatenus actus ipsa repræsentat, sic enim compararentur cum se ipsis, & dicerentur causa sui ipsorum, aut certè nullum posset dici causa actus, sicut nihil dici potest causare se ipsum, sed quatenus actus repræsentat id, quod ista media suadent, seu repræsentationem illius obiecti materialis, cuius ipsa sunt formale, quam vnumquodque ex illis seorsim sumptum potest ponere, & poneret si alterum non adesset; ac proinde alterius consortium non potest impedire, quominus vnumquodque ex illis solitariè sumptum dicatur causa totalis illius actus.*

Contrà. In Physicis cùm duæ causæ concurrunt, quarum vnaquæque esset sola sufficiens ad dandum esse effectui, neutra ex illis dicitur, aut est causa totalis illius effectus; atqui par debet

esse ratio de istis intentionalibus;ergo neutrum ex istis medijs est causa totalis illius actus.

Solutio: *neganda est minor. Ratio est; quia in physicis daretur aliquid superfluum, à quo natura abhorret. In istis autem intentionalibus nulla esse potest superfluitas. Pluralitas enim huiusmodi mediorum, aut causarum ostendit maiorem perfectionem, & perfectiores cognitiones, quæ sine dubio valde ornant cognoscentem, quod redundat in maius bonum naturæ, & pulchritudinem vniuersi.*

Contrà Qui admittit superfluitatem in intentionalibus non impedire, quominus duo media sint vnumquodque causa totalis actus, quem suadent, fateri etiam debet, quoties illa simul concurrunt, ponere vnumquodque illorum suum proprium actum; atqui qui admittit vnumquodque illorum ponere suum proprium actum, non habet vnde dicat, eumdem actum esse simul scientificum, & opinatiuum: ergo non est dicendum dari actum, qui sit simul scientificus, & opinatiuus.

Maior pr. Causa necessaria cùm agit facit quidquid potest; atqui media illa sunt causa necessaria, & producere possunt vnumquodque suum proprium actum: ergo cùm simul concurrunt producunt vnumquodque suum proprium actum.

Solutio præcedentis argumenti: *Qui admittit superfluitatem in intentionalibus non impedire, quominus duo media sint vnumquodque causa totalis actus, quem suadent, fateri etiam debet, quoties illa simul concurrunt ponere vnumquod-*

que illorum suum proprium actum per exclusionem alicuius aquiualentis, Nego. *suum proprium actum, aut aliud aquiualentem duobus illis*, Concedo. *Actus autem, qui assentitur simul suo obiecto propter illa duo media aquiualet duobus, quorum unus assentiatur illi propter vnum, & alter propter aliud, ac proinde duo illa media simul concurrentia exigunt determinari à Deo ad vnum communem actum. Sic enim satisfit eorum actiuitati, & pulchritudini vniuersi, & aliunde vitatur multiplicatio entitatum sine causa. Atqui qui admittit illorum vnumquodque ponere suum proprium actum, aut aliquid aliud aquiualens, non habet vnde dicat eundem actum esse simul scientificum, & opinatiuum*, Nego. *Illud enim aquiualens est huiusmodi actus. Ponere suum proprium actum per exclusionem alicuius aquiualentis*, Concedo. *potest etiam aliter responderi argumento permissa maiori distinguendo minorem: atqui qui admittit vnumquodque illorum ponere suum proprium actum, non habet vnde dicat eumdem actum esse simul scientificum, & opinatiuum de facto*, Concedo. *de possibili, seu posse esse*, Nego. *Ad hoc enim nihil aliud requiritur, quàm vt Deus non se accommodet exigentia illorum mediorum; quod ipsi liberum planè est.*

Contrà Actus ille communis æquiualet duobus illis distinctis; atqui neutrum illorum mediorum seorsim potest dici, aut esse causa totalis illorum duorum distinctorum actuum: ergo neque istius communis æquiualentis.

Solutio: *Atqui neutrum illorum mediorum potest dici, aut esse causa totalis illorum duorum*

distinctorum, secundùm quod sunt repræsentatio ipsorum mediorum, Concedo. *secundùm quod sunt repræsentatio eius, quod media illa suadent,* Nego. *verè enim causant illud, aut æquiualens nimirum assensum circa obiectum, eumdem verò, vt est repræsentatio ipsorum mediorum non debent causare. Sic enim haberent causalitatem in se ipsa, & consequenter illud non debet impedire, quominus dicantur causa totalis illius actus: ergo neque illius communis æquiualentis secundùm quod est repræsentatio mediorum,* Concedo. *secundùm quod est repræsentatio obiecti materialis,* Nego.

Modus hic respondendi non videretur reijciendus, si sufficienter explicaret, quomodo intellectus non egeat imperio voluntatis, vt assentiatur motiuo probabili, propterea quòd ei coniungatur motiuum euidens, quod non refundit suam euidentiam in motiuum probabile, sed tātùm in obiectum suum; illud enim tam relinquit ineuidens, ac antè. Vnde sic argumentor:

Intellectus non minùs eget imperio voluntatis, vt assentiatur motiuo probabili in præsentia motiui euidentis, quàm in eius absentia; atqui in eius absentia indiget imperio voluntatis: ergo indiget etiam eodem in præsentia motiui euidentis.

Maior pr. Intellectus tandiu eget imperio voluntatis, vt assentiatur motiuo probabili, quandiu istud non habet vim extorquendi ab ipso assensum; atqui motiuum probabile non habet maiorem vim extorquendi ab intellectu assensum in præsentia & coniunctione motiui eui-

dentis, quàm in eius absentia, & separatione: ergo intellectus non minùs eget imperio voluntatis, vt assentiatur motiuo probabili in præsentia, & coniunctione motiui euidentis, quam in eius absentia, & separatione.

Minor pr. Tandiu motiuum probabile non habet vim extorquendi assensum ab intellectu, quandiu manet tantùm probabile; atqui non minùs manet tantùm probabile in præsentia motiui euidentis, quàm in eius absentia: ergo motiuum probabile nō habet maiorem vim extorquendi ab intellectu assensum in præsentia motiui euidentis, quàm in eius absentia.

Maior probatur primò.

Solum motiuum euidens extorquet assensum ab intellectu: ergo tandiu motiuum probabile non habet vim extorquendi assensum ab intellectu, quandiu manet tantùm probabile.

Probatur secundò minor præcedentis argumenti.

Motiuum euidens coniunctum probabili nullam refundit in istud euidentiam, & si refunderet cessaret difficultas, non enim esset tunc assensus propter medium probabile, sed propter duplex euidens: ergo motiuum probabile non minùs manet tantùm probabile in præsentia motiui euidentis, quàm in eius absentia.

Respondere quis posset ad antecedens præcedentis argumenti. Motiuum euidens solum, hoc est, solitariè sumptum habet vim extorquendi assensum ab intellectu, Concedo. *solum, hoc est, per exclusionem aliorum etiam, tunc quando cum ipso coniunguntur*, Nego. *quod enim motiuo pro-*

babili deest ad extorquendum assensum ab intellectu videtur, ei conferri à motiuo euidenti, cùm coniungitur. Intellectus siquidem prabens assensum isti obligat se quodammodo ad prabendum assensum iis, qua cum eo habent connexionem. De quorum numero conscius est esse motiuum probabile, quippe quod non ignoret tendere in idem obiectum, ac proinde prabens assensum illi determinatur sufficienter propter coniunctionem ad eumdem etiam prabendum isti.

Contrà. Quod determinat intellectum in præsentia motiui euidentis ad assentiendum probabili nihil est aliud, quàm probabilis coniunctio, quam habet cum euidenti, ex eo, quod tendat in idem obiectum; atqui coniunctio illa non potest illum determinare: ergo ex eo quod determinetur ad assentiendum euidenti non determinatur ad assentiendum euidenti non determinatur ad assentiendum probabili.

Minor pr. Quod est tantùm probabile non est sufficiens ad determinandum intellectum; atqui coniunctio illa est tantùm probabilis: ergo non est sufficiens ad determinandum intellectum.

Quare dicendum est primò, requiri ad hanc determinationem imperium voluntatis. Secundò, assensum propter duplex motiuum, vnum probabile, & alterum euidens; neque esse omnino necessarium propter rationem mox explicatam, neque partim liberum, partim necessarium, sic enim non posset non poni seu existere, & posset non poni, seu existere, quod genus contradictoriorum nullus vnquam ausus est tribuere, vel ipsi Deo: sed omnino liberum, quod vt faciliùs intelligatur, aduertendum est intellectum in prima propositione

motiui euidentis, & probabilis non assentiri suo obiecto propter vtrumque, quia medium euidens ipsum rapit, nec patitur expectare motum, seu imperium voluntatis requisitum ad medium probabile: postquam tamen semel assensus est obiecto propter medium euidens, potest iterum applicari à voluntate, ad assentiendum eidem propter vtrumque medium, probabile, scilicet, & euidens, & hunc eius actum esse omnino liberum, vt pote à voluntate plena potestate imperatum negandum non videtur. In contrarium opponi potest.

Voluntas non imperat, quod intellectus facere non potest; atqui intellectus elicere non potest nouum actum circa motiuum euidens: ergo intellectus postquam assensus est primò propter medium euidens, non applicatur à voluntate ad assentiendum propter illud idem motiuum euidens, & aliud probabile.

Minor pr. Cùm intellectus elicuit circa motiuum euidens quidquid potuit, non potest circa illud elicere nouum actum; atqui intellectus cùm elicit primò actum circa motiuum euidens, elicit circa illud quidquid potest: ergo intellectus elicere non potest nouum actum circa motiuum euidens.

Respondent recentiores aliqui. *Atqui intellectus cùm primò elicit actum circa motiuum euidens elicit quidquid potest circa illud solum,* Concedunt. *Circa illud simul, & medium probabile,* Negant. *ergo non potest elicere nouum actum circa medium euidens solùm,* Concedunt: *circa medium euidens & probabile,* Negant. *Sed malè, tantum enim abest, vt medium probabile augeat vires in-*

tellectus ad assentiendum motiuo euidenti, vt potius illas minuat, vendicat enim sibi partem illarum necessariam ad assensum circa se. Quapropter aliter distinguendum censeo argumentum factum.

Cùm intellectus elicuit circa motiuum euidens quidquid potuit viribus naturalibus, & supernaturalibus, non potest circa illud elicere nouum actum, Concedo. *cùm elicuit tantùm quidquid potuit viribus naturalibus, non potest circa illud elicere nouum actum viribus supernaturalibus* Nego. *quæ enim fingi potest implicantia, vt Deus ei has vires concedat, & exhibeat paratas, vt eas exerat cùm imperabit voluntas, quæ ei imperare potest non tantùm quæ potest naturaliter, sed etiam supernaturaliter, vt patet in actibus fidei, & prudentiæ supernaturalibus, quos ponere non potest sine auxilio supernaturali.*

Contrà. Nullis planè viribus intellectus elicere potest actum simul verum, & falsum; atqui actus ab ipso elicitus circa medium euidens, & probabile potest esse simul verus, & falsus: ergo intellectus non potest viribus etiam supernaturalibus elicere circa medium euidens nouum actum, qui tendat in medium probabile.

Vt probetur minor suppono medium illud probabile esse falsum, & sic argumentor:

Actus, qui nititur medio falso, & euidenti est verus, & falsus, atqui actus iste nititur ex suppositione medio falso, & euidenti: ergo est verus, & falsus.

Neganda est maior, & dicendum non esse verum, quia non est omnino conformis suo obiecto prout requiritur ad veritatem.

Contrà. Actus euidens est verus; atqui iste est euidens: ergo & verus.

Solutio: *Actus merè euidens est verus*, Concedo. *qui non est merè euidens, sed partim ineuidens*, Nego. *Actus autem tendens in medium euidens simul & probabile, non est merè euidens: sed ex parte ineuidens ratione scilicet motiui illius ineuidentis falsi.*

Contrà. Actus supernaturalis non potest esse falsus; atqui actus elicitus ab intellectu propter medium euidens probabile falsum, quantumuis non merè euidens est supernaturalis: ergo est verus.

Solutio: *Actus supernaturalis in entitate non potest esse falsus*, Transeat. *supernaturalis tantùm quoad modum*, Nego. *Atqui actus propter medium euidens, & probabile falsum est supernaturalis quoad modum*, Concedo. *in entitate*, Nego.

Contrà. Ille actus est supernaturalis in entitate, qui non potest poni solis naturæ viribus in vllis planè circunstantiis; atqui iste actus non potest poni solis naturæ viribus in vllis plane circunstantiis: ergo est supernaturalis in entitate.

Solutio: *Ille actus est supernaturalis in entitate, qui non potest poni solis naturæ viribus nec formaliter, nec æquiualenter* Concedo. *formaliter tantùm*, Nego. *atqui iste actus non potest poni naturæ viribus in vllis circunstantiis formaliter*, Concedo. *neque formaliter, neque æquiualenter*, Nego. *potest enim intellectus elicere duos distinctos, qui non tantùm istum adæquent, sed etiam superent: vnus enim circa medium euidens, &*

alius circa probabile, nulla in re cedunt isti,

Contrà. Actus, de quo est quæstio, non minus debet dici poni posse naturæ viribus formaliter, quàm æquiualenter; atqui ex concessis poni potest æquiualenter: ergo & formaliter.

Maior pr. Vt ponatur formaliter non potest dici requirere specialem, & extraordinarium Dei concursum: ergo non minus debet dici poni posse naturæ viribus formaliter, quàm æquiualenter.

Antecedens pr. Dedecet Deum præbere specialem, & extraordinarium concursum ad actum falsum; atqui ille actus formaliter sumptus est falsus: ergo vt ponatur non potest dici requirere specialem, & extraordinarium Dei concursum.

Maior pr Dedecet primam, & summam veritatem præbere specialem, & extraordinarium concursum ad actum falsum; atqui Deus est prima, & summa veritas: ergo dedecet Deum præbere specialem, & extraordinarium concursum ab actum falsum.

Solutio: *Neganda est maior, & dicendum nihil dedecere primam veritatem, quàm mendacium, & Deum, quàm defectus in genere moris, qui cùm nulli reperiantur in actu falso, specialis, & extraordinarius concursus ad ipsius productionem nullam refundit in Deum denominationem minus conuenientem.*

Si cui tamen hac minus arrideat responsio: facile ei erit se expedire à difficultate proposita dicendo ad argumentum suprà factum de actu habente medium probabile falsum, & aliud euidens nul-

lum huiusmodi posse dari propter rationem mox explicatam; sed tantùm, qui habeat medium probabile verum, & aliud euidens, in quo locum non habet quod vltimò obijcitur, sufficit tamen ad veritatem conclusionis asserentis posse dari actum opinatiuum, & simul scientificum.

Ex dictis inferes primò, cùm minor sit, vt per se patet, difficultas in eo, quod sint in intellectu duo actus de eodem obiecto, quorum vnus sit scientificus, & alter opinatiuus, quàm vnus solus, qui sit simul scientificus, & opinatiuus: probata possibilitate posterioris. Priores censeri non posse impossibiles, & huiusmodi multos fuisse in Beata Virgine, & Apostolis, inde fit verisimile, quod cùm haberent euidentiam de multis mysterijs vitæ Christi Domini non impediebantur per eam illis assentiri fide diuina propter testimonium scripturarum, quæ ea prædixerant, & forte etiã cũ ea annuntiabant populis propter suum propriũ testimoniũ. Reuelatio enim facta alijs per ipsos poterat ipsismet esse sufficiens motiuũ assensus de mysterio reuelato.

Secundò, illud esse discrimen inter ineuidentiam positiuam, & negatiuam, quòd hæc secunda sit absentia, negatio, & non existentia omnis plane euidentiæ; Prima verò sit tantùm minor claritas, seu repræsentatio obiecti cum aliqua obscuritate vi medij probabilis, seu prout tendit in medium probabile, cùm obiectum cognoscitur simul per medium euidens. Ratione enim istius cognitio nõ habet obscuritatem, sed euidentiam, & claritatem, & per huiusmodi actum habẽtem duplex medium, vnum probabile

prooemialis Logicæ, tum ex conclusionibus, quas ponemus de attributis entis, existentia Dei, & eius aliis perfectionibus, quas esse euidentes, & nullo modo sui obiecti factibiles clarissimum fiet. Obiectum etiam eius esse, & ens in genere, & ens quoque immateriale in particulari, disputationes à nobis de iis instituendæ obscurum esse non patientur.

DISPVTATIO I.

De Ente in Communi.

ENs idem sonat, ac *quod potest existere*. Quia autem, quod potest existere considerari potest, vel vt coniunctum cum existentia actuali, vel ea spoliatum, vel præcise præscindendo ab eo, quod est eam habere, vel ea carere. Ens hoc vltimo modo sumptum dicitur ens in communi, vel in genere, quod etiam appellatur possibile Logicè. Ens sumptum secundo modo, seu spoliatum existentia actuali dicitur merè possibile. Cùm verò coniungitur existentiæ actuali dicitur existens. Forma importata per obliquum possibilis est non inclusio conditionalis esse simul, & non esse. Dixi primò, conditionalis, quia actualis conuenit chimæræ. Cùm enim nihil sit actu, nihil etiã actu includit, & verè de illa dici potest, quod sit non inclusio actualis esse simul, & nõ esse. Explicui secundò possibile per non inclusionem *esse simul*,

& non esse potiùs, quàm *duorum contradictoriorum*, aut appositionem conditionis *si Deus velit*: quia primò *si Deus velit* est aliquid minùs notum, quàm *esse simul & non esse*, & prӕterea volitio libera Dei, non habet quod sit possibilis per aliam volitionem antecedentem, sicut nec hӕc antecedens per aliam ne detur processus in infinitum. Secundò, quia si de contradictoriis ipsis quӕras quid sint? explicantur tanquam per aliquid magis immediatum, & notius, per *esse simul, & non esse*.

Quòd autem declarari debeat possibile, seu esse conditionatè per esse absolutè, inde est, quòd nihil sit nobis notius, quàm, *esse*, vt pote cognitione ex terminis omniũ maximè immediata, & pluribus formata experientiis nobis innotescens. Quo fit, vt cùm volumus explorare de aliquo num possit esse? attendamus statim, *si esset*, in hoc illius, *esse*, deprehenderetur ne aliquid, ex quo colligi posset, *nõ esse*, si nihil aduertamus huiusmodi, dicimus posse esse: si verò aduertamus simile quidpiã fatemur non posse esse. Nec refert hac ratione explicari idẽ per idem, seu per seipsum, possibile scilicet, per existens. Res enim aliqua sũpta sub vno statu potest iuuare ad eandemmet meliùs cognoscendam spectatam sub alio statu. Res siquidem prӕterita, v. g. aut futura, seu sub prӕteritione, aut futuritione non parum conducit ad formandam clariorem cognitionem de eadem prӕsenti. Ita similiter res sub conditione existentiӕ considerata dat nobis maius aliquod lumen eiusdem absolutè sumptӕ.

Cӕterum possibilitas explicata per non inclu-

distinctorum, secundùm quod sunt repræsentatio ipsorum mediorum, Concedo. *secundùm quod sunt repræsentatio eius, quod media illa suadent,* Nego. *verè enim causant illud, aut æquiualens nimirum assensum circa obiectum, eumdem verò, vt est repræsentatio ipsorum mediorum non debent causare. Sic enim haberent causalitatem in se ipsa, & consequenter illud non debet impedire, quominus dicantur causa totalis illius actus: ergo neque illius communis æquiualentis secundùm quod est repræsentatio mediorum,* Concedo. *secundùm quod est repræsentatio obiecti materialis,* Nego.

Modus hic respondendi non videretur reijciendus, si sufficienter explicaret, quomodo intellectus non egeat imperio voluntatis, vt assentiatur motiuo probabili, propterea quòd ei coniungatur motiuum euidens, quod non refundit suam euidentiam in motiuum probabile, sed tãtùm in obiectum suum; illud enim tam relinquit ineuidens, ac antè. Vnde sic argumentor:

Intellectus non minùs eget imperio voluntatis, vt assentiatur motiuo probabili in præsentia motiui euidentis, quàm in eius absentia; atqui in eius absentia indiget imperio voluntatis: ergo indiget etiam eodem in præsentia motiui euidentis.

Maior pr. Intellectus tandiu eget imperio voluntatis, vt assentiatur motiuo probabili, quandiu istud non habet vim extorquendi ab ipso assensum; atqui motiuum probabile non habet maiorem vim extorquendi ab intellectu assensum in præsentia & coniunctione motiui eui-

dentis, quàm in eius absentia, & separatione: ergo intellectus non minùs eget imperio voluntatis, vt assentiatur motiuo probabili in præsentia, & coniunctione motiui euidentis, quam in eius absentia, & separatione.

Minor pr. Tandiu motiuum probabile non habet vim extorquendi assensum ab intellectu, quandiu manet tantùm probabile; atqui non minùs manet tantùm probabile in præsentia motiui euidentis, quàm in eius absentia: ergo motiuum probabile nō habet maiorem vim extorquendi ab intellectu assensum in præsentia motiui euidentis, quàm in eius absentia.

Maior probatur primò.

Solum motiuum euidens extorquet assensum ab intellectu: ergo tandiu motiuum probabile non habet vim extorquendi assensum ab intellectu, quandiu manet tantùm probabile.

Probatur secundò minor præcedentis argumenti.

Motiuum euidens coniunctum probabili nullam refundit in istud euidentiam, & si refunderet cessaret difficultas, non enim esset tunc assensus propter medium probabile, sed propter duplex euidens: ergo motiuum probabile non minùs manet tantùm probabile in præsentia motiui euidentis, quàm in eius absentia.

Respondere quis posset ad antecedens præcedentis argumenti. Motiuum euidens solum, hoc est, solitariè sumptum habet vim extorquendi assensum ab intellectu, Concedo. *solum, hoc est, per exclusionem aliorum etiam, tunc quando cum ipso coniunguntur,* Nego. *quod enim motiuo pro-*

babili deest ad extorquendum assensum ab intellectu videtur, ei conferri à motiuo euidenti, cùm coniungitur. Intellectus siquidem prabens assensum isti obligat se quodammodo ad prabendum assensum iis, qua cum eo habent connexionem. De quorum numero conscius est esse motiuum probabile, quippe quod non ignoret tendere in idem obiectum, ac proinde prabens assensum illi determinatur sufficienter propter coniunctionem ad eumdem etiam prabendum isti.

Contrà. Quod determinat intellectum in præsentia motiui euidentis ad assentiendum probabili nihil est aliud, quàm probabilis coniunctio, quam habet cum euidenti, ex eo, quod tendat in idem obiectum; atqui coniunctio illa non potest illum determinare: ergo ex eo quod determinetur ad assentiendum euidenti non determinatur ad assentiendum euidenti non determinatur ad assentiendum probabili.

Minor pr. Quod est tantùm probabile non est sufficiens ad determinandum intellectum; atqui coniunctio illa est tantùm probabilis: ergo non est sufficiens ad determinandum intellectum.

Quare dicendum est primò, requiri ad hanc determinationem imperium voluntatis. Secundò, assensum propter duplex motiuum, vnum probabile, & alterum euidens; neque esse omnino necessarium propter rationem mox explicatam, neque partim liberum, partim necessarium, sic enim non posset non poni seu existere, & posset non poni, seu existere, quod genus contradictoriorum nullus vnquam ausus est tribuere, vel ipsi Deo: sed omnino liberum, quod vt faciliùs intelligatur, aduertendum est intellectum in prima propositione

motiui euidentis, & probabilis non assentiri suo obiecto propter vtrumque, quia medium euidens ipsum rapit, nec patitur expectare motum, seu imperium voluntatis requisitum ad medium probabile: postquam tamen semel assensus est obiecto propter medium euidens, potest iterum applicari à voluntate, ad assentiendum eidem propter vtrumque medium, probabile, scilicet, & euidens, & hunc eius actum esse omnino liberum, vt pote à voluntate plena potestate imperatum negandum non videtur. In contrarium opponi potest.

Voluntas non imperat, quod intellectus facere non potest; atqui intellectus elicere non potest nouum actum circa motiuum euidens: ergo intellectus postquam assensus est primò propter medium euidens, non applicatur à voluntate ad assentiendum propter illud idem motiuum euidens, & aliud probabile.

Minor pr. Cùm intellectus elicuit circa motiuum euidens quidquid potuit, non potest circa illud elicere nouum actum; atqui intellectus cùm elicit primò actum circa motiuum euidens, elicit circa illud quidquid potest: ergo intellectus elicere non potest nouum actum circa motiuum euidens.

Respondent recentiores aliqui. *Atqui intellectus cùm primò elicit actum circa motiuum euidens elicit quidquid potest circa illud solum,* Concedunt. *Circa illud simul, & medium probabile,* Negant. *ergo non potest elicere nouum actum circa medium euidens solùm,* Concedunt. *circa medium euidens & probabile,* Negant. *Sed malè, tantum enim abest, vt medium probabile augeat vires in-*

tellectus ad assentiendum motiuo euidenti, vt potius illas minuat, vendicat enim sibi partem illarum necessariam ad assensum circa se. Quapropter aliter distinguendum censeo argumentum factum.

Cùm intellectus elicuit circa motiuum euidens quidquid potuit viribus naturalibus, & supernaturalibus, non potest circa illud elicere nouum actum, Concedo. *cùm elicuit tantùm quidquid potuit viribus naturalibus, non potest circa illud elicere nouum actum viribus supernaturalibus,* Nego. *qua enim fingi potest implicantia, vt Deus ei has vires concedat, & exhibeat paratas, vt eas exerat cùm imperabit voluntas, quæ ei imperare potest non tantùm quæ potest naturaliter, sed etiam supernaturaliter, vt patet in actibus fidei, & prudentiæ supernaturalibus, quos ponere non potest sine auxilio supernaturali.*

Contrà. Nullis planè viribus intellectus elicere potest actum simul verum, & falsum; atqui actus ab ipso elicitus circa medium euidens, & probabile potest esse simul verus, & falsus: ergo intellectus non potest viribus etiam supernaturalibus elicere circa medium euidens nouum actum, qui tendat in medium probabile.

Vt probetur minor suppono medium illud probabile esse falsum, & sic argumentor:

Actus, qui nititur medio falso, & euidenti est verus, & falsus, atqui actus iste nititur ex suppositione medio falso, & euidenti: ergo est verus, & falsus.

Neganda est maior, & dicendum non esse verum, quia non est omnino conformis suo obiecto prout requiritur ad veritatem,

Contrà. Actus euidens est verus; atqui iste est euidens: ergo & verus.

Solutio: *Actus merè euidens est verus*, Concedo. *qui non est merè euidens, sed partim ineuidens*, Nego. *Actus autem tendens in medium euidens simul & probabile, non est merè euidens: sed ex parte ineuidens ratione scilicet motiui illius ineuidentis falsi.*

Contrà. Actus supernaturalis non potest esse falsus; atqui actus elicitus ab intellectu propter medium euidens probabile falsum, quantumuis non merè euidens est supernaturalis: ergo est verus.

Solutio: *Actus supernaturalis in entitate non potest esse falsus*, Transeat. *supernaturalis tantùm quoad modum*, Nego. *Atqui actus propter medium euidens, & probabile falsum est supernaturalis quoad modum*, Concedo. *in entitate*, Nego.

Contrà. Ille actus est supernaturalis in entitate, qui non potest poni solis naturæ viribus in vllis planè circunstantiis; atqui iste actus non potest poni solis naturæ viribus in vllis plane circunstantiis: ergo est supernaturalis in entitate.

Solutio: *Ille actus est supernaturalis in entitate, qui non potest poni solis naturæ viribus nec formaliter, nec æquiualenter* Concedo. *formaliter tantùm*, Nego. *atqui iste actus non potest poni naturæ viribus in vllis circunstantiis formaliter*, Concedo. *neque formaliter, neque æquiualenter*, Nego. *potest enim intellectus elicere duos distinctos, qui non tantùm istum adæquent, sed etiam superent: vnus enim circa medium euidens, &*

alius circa probabile, nulla in re cedunt isti,

Contrà. Actus, de quo est quæstio, non minus debet dici poni posse naturæ viribus formaliter, quàm æquiualenter; atqui ex concessis poni potest æquiualenter: ergo & formaliter.

Maior pr. Vt ponatur formaliter non potest dici requirere specialem, & extraordinarium Dei concursum: ergo non minus debet dici poni posse naturæ viribus formaliter, quàm æquiualenter.

Antecedens pr. Dedecet Deum præbere specialem, & extraordinarium concursum ad actum falsum; atqui ille actus formaliter sumptus est falsus: ergo vt ponatur non potest dici requirere specialem, & extraordinarium Dei concursum.

Maior pr Dedecet primam, & summam veritatem præbere specialem, & extraordinarium concursum ad actum falsum; atqui Deus est prima, & summa veritas: ergo dedecet Deum præbere specialem, & extraordinarium concursum ab actum falsum.

Solutio: *Neganda est maior, & dicendum nihil dedecere primam veritatem, quàm mendacium, & Deum, quàm defectus in genere moris, qui cùm nulli reperiantur in actu falso, specialis, & extraordinarius concursus ad ipsius productionem nullam refundit in Deum denominationem minus conuenientem.*

Si cui tamen hæc minus arrideat responsio: facile ei erit se expedire à difficultate propositæ dicendo ad argumentum suprà factum de actu habente medium probabile falsum, & aliud euidens nul-

lum huiusmodi posse dari propter rationem mox explicatam; sed tantùm, qui habeat medium probabile verum, & aliud euidens, in quo locum non habet quod vltimò obijcitur, sufficit tamen ad veritatem conclusionis asserentis posse dari actum opinatiuum, & simul scientificum.

Ex dictis inferes primò, cùm minor sit, vt per se patet, difficultas in eo, quod sint in intellectu duo actus de eodem obiecto, quorum vnus sit scientificus, & alter opinatiuus, quàm vnus solus, qui sit simul scientificus, & opinatiuus: probata possibilitate posterioris. Priores censeri non posse impossibiles, & huiusmodi multos fuisse in Beata Virgine, & Apostolis, inde fit verisimile, quod cùm haberent euidentiam de multis mysterijs vitæ Christi Domini non impediebantur per eam illis assentiri fide diuina propter testimonium scripturarum, quæ ea prædixerant, & forte etiā cū ea annuntiabant populis propter suum propriū testimoniū. Reuelatio enim facta alijs per ipsos poterat ipsismet esse sufficiens motiuū assensus de mysterio reuelato.

Secundò, illud esse discrimen inter ineuidentiam positiuam, & negatiuam, quòd hæc secunda sit absentia, negatio, & non existentia omnis plane euidentiæ; Prima verò sit tantùm minor claritas, seu repræsentatio obiecti cum aliqua obscuritate vi medij probabilis, seu prout tendit in medium probabile, cùm obiectum cognoscitur simul per medium euidens. Ratione enim istius cognitio nō habet obscuritatem, sed euidentiam, & claritatem, & per huiusmodi actum habētem duplex medium, vnum probabile

& alterum euidens ita afficitur intellectus erga obiectum, vt dicat vi medij probabilis, timerem ne obiectum aliter se haberet, si per medium euidens non mihi innotesceret non posse aliter se habere. In eo autem nullam esse repugnantiam inde fit perspicuum, quod primum nihil importet, quod sit negatio secundi; neque secundum inuoluat quidquam, quod destruat primum. Optimè enim stat vi vnius medij obiectum proponi obscurè, & vi alterius clarè, & euidenter. Atque hæc de Logica satis.

FINIS.

TRACTATVS VNICVS METAPHYSICVS.

TRACTATVM hunc Metaphysicum, ideò iungimus tractatibus Logicis, & præponimus Physicis: quia primò maior est connexio eorum, quæ in eo agitantur cum iis, quæ in Logicis disputata sunt, & secundò quia conceptus vniuersales de Ente, de Substantia, de Accidente, &c. qui in eo declarantur plurimùm iuuant ad ea faciliùs capienda, quæ in Physicis deinde docebimus.

Cæterùm Metaphysicam nobilissimam totius Philosophiæ partem iure censeri ex eo desumitur, quòd Deus, & Angeli, qui sunt eius obiectum partiale, præstent longè omnibus ijs, de quibus Logica & Physica agunt.

Eam autem esse scientiam, & quidem speculatiuam colligi facilè poteſt tum ex ijs, quæ diximus ſectione prima, & ſecunda diſput.

procemialis Logicæ, tum ex conclusionibus, quas ponemus de attributis entis, existentia Dei, & eius aliis perfectionibus, quas esse euidentes, & nullo modo sui obiecti factibiles clarissimum fiet. Obiectum etiam eius esse, & ens in genere, & ens quoque immateriale in particulari, disputationes à nobis de iis instituendæ obscurum esse non patientur.

DISPVTATIO I.

De Ente in Communi.

ENs idem sonat, ac *quod potest existere*. Quia autem, quod potest existere considerari potest, vel vt coniunctum cum existentia actuali, vel ea spoliatum, vel præcise præscindendo ab eo, quod est eam habere, vel ea carere. Ens hoc vltimo modo sumptum dicitur ens in communi, vel in genere, quod *etiam* appellatur possibile Logicè. Ens sumptum secundo modo, seu spoliatum existentia actuali dicitur merè possibile. Cùm verò coniungitur existentiæ actuali dicitur existens. Forma importata per obliquum possibilis est non inclusio conditionalis esse simul, & non esse. Dixi primò, conditionalis, quia actualis conuenit chimæræ. Cùm enim nihil sit actu, nihil etiã actu includit, & verè de illa dici potest, quod sit non inclusio actualis esse simul, & nõ esse. Explicui secundò possibile per non inclusionem *esse simul,*

& non esse potiùs, quàm *duorum contradictoriorum*, aut appositionem conditionis *si Deus velit*: quia primò *si Deus velit* est aliquid minùs notum, quàm *esse simul & non esse*, & præterea volitio libera Dei, non habet quod sit possibilis per aliam volitionem antecedentem, sicut nec hæc antecedens per aliam ne detur processus in infinitum. Secundò, quia si de contradictoriis ipsis quæras quid sint? explicantur tanquam per aliquid magis immediatum, & notius, per *esse simul, & non esse*.

Quòd autem declarari debeat possibile, seu esse conditionatè per esse absolutè, inde est, quòd nihil sit nobis notius, quàm, *esse*, vt pote cognitione ex terminis omniũ maximè immediata, & pluribus formata experientiis nobis innotescens. Quo fit, vt cùm volumus explorare de aliquo num possit esse? attendamus statim, *si esset*, in hoc illius, *esse*, deprehenderetur ne aliquid, ex quo colligi possit, *nõ esse*, si nihil aduertamus huiusmodi, dicimus posse esse: si verò aduertamus simile quidpiã fatemur non posse esse. Nec refert hac ratione explicari idẽ per idem, seu per seipsum, possibile scilicet, per existens. Res enim aliqua sũpta sub vno statu potest iuuare ad eandemmet meliùs cognoscendam spectatam sub alio statu. Res siquidem præterita, v.g. aut futura, seu sub præteritione, aut futuritione non parum conducit ad formandam clariorem cognitionem de eadem præsenti. Ita similiter res sub conditione existentiæ considerata dat nobis maius aliquod lumen eiusdem absolutè sumptæ.

Cæterum possibilitas explicata per non inclu-

sionem conditionalem, *esse simul, & non esse*, est tantùm possibilitas remota. Præter hanc enim, vt res aliqua (si sit quid creatum) possit habere esse, requiritur alia, scilicet vis productiua *illius* completa; quæ est aut sola diuina omnipotentia, aut simul cum ipsa aliquod agens productum, cùm Deus in consortium suæ actionis vult admittere creaturas. Quod in hac materia non caret difficultate est quomodo tam rectum possibilis, & existens, quam essentia, & existentia distinguantur. Quidam enim volunt realem intercedere inter ea distinctionem. Alij verò non aliam admittunt, quàm formalem, & per mentem.

SECTIO PRIMA.

Quomodo Rectum Possibilis, & Existens, Essentia, & Existentia distinguantur.

PRIMA CONCLVSIO:

Rectum possibilis, & existens sunt idem realiter.

POSSIBILE est illud, in quod cadit possibilitas, atqui illud, in quod cadit possibilitas est idem cum ente: ergo rectum possibilis, & ens sunt idem realiter.

Minor pr. Illud, in quod cadit possibilitas est termi-

terminus diuinæ omnipotentiæ, aut ipsa omnipotentia; atqui terminus diuinæ omnipotentiæ, & ipsa omnipotentia sunt idem cum ente: ergo illud in quod cadit possibilitas est idem cum ente.

Minor pr. Illud est idem cum ente, quod existit; atqui terminus diuinæ omnipotentiæ, & ipsa omnipotentia existunt: ergo sunt idem cum ente.

Obijcies. Possibili, & existenti conueniunt prædicata contradictoria: ergo distinguuntur realiter.

Minor pr. Esse quid chimæricum, & non esse quid chimæricum sunt prædicata contradictoria; atqui primum conuenit possibili, & secundum existenti: ergo possibili, & existenti conueniunt prædicata contradictoria.

Minoris prima pars probatur.

Illi conuenit esse quid chimæricum, quod est impossibile; atqui possibile est impossibile: ergo esse quid chimæricum conuenit possibili.

Minor pr. Illud concretum est impossibile, cuius obliquum est negatio recti; atqui obliquum possibilis est negatio recti: ergo possibile est impossibile.

Solutio. *Illud concretum est impossibile, cuius obliquum est negatio recti pro eodem tempore,* Concedo. *pro diuerso,* Nego. *atqui obliquum possibilis est negatio recti pro eodem tempore,* Nego. *pro diuerso,* Concedo.

Contrà. Recto possibilis conuenit aliquid, quod non conuenit existenti: ergo obliquum possibilis est negatio recti pro eodem tempore.

Antecedens pr. Recto possibilis conuenit non habere esse simpliciter; atqui hoc non conuenit existenti: ergo recto possibilis conuenit aliquid, quod non conuenit existenti.

Solutio: *Recto possibilis conuenit non habere esse simpliciter pro tempore, pro quo identificatur cum ente*, Nego. *pro alio*, Concedo. *& concessa minori: ergo recto possibilis pro tempore, pro quo identificatur cum ente conuenit aliquid, quod non conuenit existenti*, Nego. *pro tempore, pro quo non identificatur*, Concedo.

Contrà Non ens pro nullo tempore identificari potest cum ente; atqui possibile est non ens: ergo pro nullo tempore identificari potest cum ente.

Solutio: *Atqui possibile est non ens pro tempore, pro quo non est*, Concedo. *pro tempore, pro quo est*, Nego. *ergo pro nullo tempore identificari potest cum ente, si nunquam sit*, Concedo. *si aliquando sit & fiat existens*, Nego.

Contrà. Quod aliquando non est ens, non potest identificari pro vllo tempore cum existente; atqui quod est possibile, pro aliquo tempore non est ens: ergo non potest pro vllo tempore identificari cum existente.

Maior pr Quod est negatio non potest pro vllo tempore identificari cũ ente; atqui quod pro aliquo tempore non est ens est negatio: ergo non potest identificari cũ existente pro vllo tẽpore.

Solutio: *Quod est negatio, hoc est, nihil in rerum natura modò, non potest identificari cum ente pro vllo tempore*, Nego. *quod est negatio, seu nihil in rerum natura non tantùm modò, sed etiam semper non potest identificari cum ente pro vllo tem-*

pore, Concedo. *atqui quod pro aliquo tempore non est ens est negatio pro illo tempore*, Concedo. *pro alio etiam illo, quo fiet existens*, Nego.

Contrà. Quod est negatio, seu modò nihil non potest identificari cum ente pro vllo tempore: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non ens non potest identificari cum ente; atqui quod modò nihil est, est non ens: ergo non potest identificari cum ente vllomodo.

Solutio: *Non ens pro eo tempore, quo est non ens non potest identificari cum ente*, Concedo. *pro tempore, quo non est non ens, sed incipit esse ens cùm antea non esset, seu non existeret*, Nego. *& concessa minori: ergo quod modò nihil est, non potest vllo modo identificari cum ente pro tempore, pro quo manet non ens, & nihil*, Concedo. *pro tempore, pro quo desinit esse non ens, & incipit esse ens*, Nego. *Certum enim est id omne, quod fit de nouo desinere esse non ens, & incipere esse ens, cùm antea esset non ens, & non existens, seu nihil.*

Contrà. Non potest quod modò est non ens identificari cum ente pro alio tempore, quin verum sit de existente, identificari cum ipso; atqui de existente non est verum, quod identificetur cum ipso: ergo non potest quod modò est non ens identificari cum ente pro vllo alio tempore quocumque tandem.

Solutio: *Non potest quod modò est non ens identificari cum ente pro vllo alio tempore quocumque tandem, quin verum sit de existente identificari cum ipso, seu non ente, hoc est cum sui negatione*, Nego. *hoc est, quin efficiat, vt desinat sui ne-*

gatio, Concedo. *atqui de existente non est verum, quod identificetur cum ipso, seu non ente, hoc est cũ sui negatione*, Concedo. *hoc est quin efficiat, vt desinat sui negatio*, Nego.

Contrà Existens efficere, vt non sit sui negatio est ipsum habere identitatem cum eo, quod obijcitur nostro intellectui, quando de eo cogitamus præscindendo ab eius existentia; atqui non habet identitatem cum eo, quod obiicitur nostro intellectui, cùm de eo cogitamus præscindendo ab eius existentia: ergo non efficit, vt non sit sui negatio.

Minor. pr. Quod habet identitatem cum alio, est, cùm illud est; atqui existens non est, cùm est id, quod obiicitur nostro intellectui: ergo non habet identitatem cum eo, quod obiicitur nostro intellectui.

Minor pr. Quod obiicitur nostro intellectui est connexio prædicatorum illius rei; atqui existens non est, cùm est illa connexio: ergo neque cùm est id, quod obiicitur nostro intellectui.

Minor pr. Connexio prædicatorum illius rei est ab æterno; atqui existens non est ab æterno: ergo existens non est cùm est illa connexio.

Maior pr Illa connexio est ab æterno, quæ est obiectum propositionis affirmatiuæ veræ ab æterno; atqui connexio prædicatorum rei, est obiectum propositionis affirmatiuæ veræ ab æterno: ergo connexio prædicatorum illius rei est ab æterno.

Minor pr. Connexio animalis cum rationali est connexio prædicatorum rei; atqui illa est obiectum propositionis affirmatiuæ veræ ab æter-

nio: ergo connexio prædicatorum rei, est obiectum propositionis affirmatiuæ veræ ab æterno.

Solutio: *Atqui illa est obiectum propositionis affirmatiua vera afferentis identitatem absolutam animalis cum rationali*, Nego. *Identitatem conditionatam*, Concedo. *eadem applicanda est distinctio consequenti.*

Contrà. Connexio illa est obiectum istius propositionis (homo est animal rationale;) atqui ista propositio asserit absolutè suum obiectum esse: ergo est obiectum propositionis asserentis identitatem absolutam sui obiecti.

Minor pr. Non minùs ista propositio asserit absolutè prædicatum conuenire subiecto, quàm hæc, Petrus est existẽs; atqui ista asserit absolutè prædicatum conuenire suo subiecto: ergo ista propositio (homo est animal rationale) asserit etiam absolutè suum obiectum esse.

Solutio: *Negatur maior. Ratio negati est, quia alia est significatio verbi, est, in prima propositione, alia in secunda ex beneplacito hominum, qui voluere, vt in prima verbum, est, habeat significationem conditionatam, hoc est, si sit subiectum, illi necessariò conuenire prædicatum: in secunda verò habere absolutam, hoc est, prædicatum conuenire subiecto nulla apposita conditione.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Essentia, & existentia non distinguuntur realiter.

ESSENTIA est illud, quod de non existente fit

existens, & existentia, quod facit formaliter seipso existens aliud; atqui illud, quod de non existente fit existens, non distinguitur realiter ab eo, per quod fit actu existens: ergo essentia, & existentia non distinguuntur realiter.

Minor pr. Nihil distinguitur realiter ab eo, per quod fit formaliter existens: ergo illud, quod de non existente fit existens, non distinguitur realiter ab eo, per quod fit actu existens.

Antecedens pr. Non existens illud distinctum ab eo, per quod fit formaliter existens, debet esse necessariò ens, aut non ens; atqui neutrum dici potest: ergo nihil distinguitur realiter ab eo, per quod fit formaliter existens.

Prima pars minoris probatur.

Quod est ens non distinguitur realiter ab existente; atqui non existens illud distinctum ab eo, per quod fit actu existens est ens ex concessis: ergo non distinguitur realiter ab existente.

Maior pr. Existens est verè, & propriissimè ens: ergo quod est ens non distinguitur realiter ab existente.

Secunda pars minoris praecedentis argumenti, non existens illud distinctum non esse non ens, pr.

Existens coniungi non potest cum eo, quod non est ens; atqui coniungi debet cum eo, quod facit formaliter existens: ergo non existens illud distinctum, quod fit ab existente formaliter existens non potest esse non ens.

Maior pr. Coniunctio est tantùm existentium; atqui quod non est ens, non est existens: ergo existens coniungi non potest cum eo, quod non est ens.

Obijcies. Illud distinguitur realiter ab alio, quod illi contingenter aduenit; atqui existentia aduenit contingenter essentiæ: ergo distinguitur ab illa realiter.

Solutio: *Illud distinguitur realiter ab alio, quod illi realiter aduenit*, Concedo. *formaliter tantùm, & secundùm nostrum modum concipiendi,* Nego. *atqui existentia aduenit contingenter essentia realiter*, Nego. *secundùm modum nostrum concipiendi* Concedo.

Contrà. Existentia aduenit contingenter realiter essentiæ: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illud aduenit realiter alteri, quod verè ei aduenit ; & est quid ei realiter superadditum: atqui existentia verè aduenit essentiæ, & est quid ei realiter superadditum: ergo aduenit illi realiter.

Secunda pars minoris probatur.

Illud est realiter superadditum alteri, quod ab eo separari potest; atqui existentia separari potest ab essentia: ergo est illi realiter superaddita.

Minor pr. Illud separari potest ab alio, quod de facto separatur ab illo; atqui de facto existentia separatur ab essentia: ergo ab ea separari potest.

Minor pr. Illud separatur ab alio, quod destruitur alio non destructo; atqui existentia destruitur non destructa essentia: ergo separatur ab essentia.

Minor pr. Cùm destruitur homo, destruitur eius existentia; atqui nõ destruitur eius essentia: ergo existentia destruitur nõ destructa essentia.

Solutio: *Atqui non destruitur eius essentia conditionata,* Concedo. *absoluta, & actualis,* Nego. *Essentia conditionata est, si esset illa connexio prædicatorum, non includeret duo contradictoria, seu esse, & simul non esse; Absoluta verò hæc connexio de facto non includit duo contradictoria, seu esse simul, & non esse. Prima, vt patet, semper manet: secunda verò, tunc non est, aut tunc destruitur, cùm actu non existunt illa prædicata, seu cùm eorum existentia non est, ac proinde destrui non potest existentia, non destructa essentia actuali, & absoluta.*

Contrà. Non minùs destrui potest existentia, non destructa essentia actuali, & absoluta, quàm produci non producta essentia; atqui existentia produci potest non producta essentia: ergo existentia potest etiam destrui, non destructa essentia.

Minor pr. Existentia hominis producitur de nouo singulis diebus; atqui non producitur eius essentia singulis diebus de nouo: ergo producitur existentia non producta essentia.

Minor pr. Quod est ab æterno non producitur de nouo; atqui essentia hominis est ab æterno: ergo non producitur de nouo.

Solutio: *Atqui essentia hominis est ab æterno sumpta conditionatè,* Concedo. *absolutè sumpta,* Nego. *ergo non producitur de nouo conditionatè sumpta,* Concedo. *sumpta absolutè,* Nego.

Contrà. Non minùs essentia hominis est absolutè ab æterno, non existente eius existentia, quàm essentia ignis, non existente eius existentia; atqui essentia ignis est absolutè ab æterno,

non existente eius existentia: ergo & essentia hominis.

Minor pr. Tam esse potest absolutè essentia ignis ab æterno, non existente eius existentia, quàm esse iam terminus alicuius relationis, quam eius existentia non terminet; atqui essentia ignis est iam terminus, alicuius relationis, quam eius existentia non terminat: ergo essentia ignis est absolutè ab æterno, non existente eius existentia.

Minor pr. Essentia ignis est terminus relationis transcendentalis caloris; atqui eius existentia non est terminus illius relationis: ergo essentia ignis est iam terminus alicuius relationis, cuius eius existentia non est terminus.

Solutio: *Essentia ignis est terminus relationis transcendentalis caloris, essentia absoluta*, Nego. *Conditionata*, Concedo. *ergo essentia ignis absoluta est terminus alicuius relationis, quam non terminat eiusdem existentia*, Nego. *essentia ignis conditionata*, Concedo. *Sensus est calorem dicere ordinem transcendentalem, non ad ignem de facto existentem, & qui aliquid sit; licet enim ille non ponatur, non desinit relatio caloris ad illum, sed ad ignem possibilem, hoc est, qui esset si poneretur, si enim esset ignis impossibilis nulla esset relatio caloris ad illum; in tantum enim calor habet ad illum relationem, in quantum ab illo potest produci, quod certè non posset si esset impossibilis.*

Ex dictis facile est statuere primò, esse distinctionem formalem inter possibile, & existens, & inter essentiã, & existentiam. Alius est enim cõceptus, qui exprimit si res hæc esset non include-

ret esse simul, & non esse, ab eo, qui repræsentat eandem ea absolutè non includentem. Quãuis enim hæ duæ cognitiones repræsentent idẽ realiter, diuerso tamen modo in illud tendunt, simili ratione, qua duæ imagines eiusdem rei sub vario situ, vna, v. g. Cæsaris stantis, & altera eiusdem decumbentis, licèt repræsentent eundem Cæsarem, quia tamen diuersimodè illum efformant sunt verè diuersæ.

Colligi etiam potest secundò, quando dicimus possibile, & existens, essentiam, & existentiam non distingui realiter, non esse mentem nostram si nomine existentis, & existentiæ comprehendantur actio, per quam res fit existens, & accipit existentiam, aut duratio, & vbicatio per quas eadem est in hoc loco, & tempore, potiùs quàm in alio esse inter illa identitatem realem, actio enim, duratio, & vbicatio cùm distinguantur realiter ab ipsa re existente, hæc etiam per illas entitates modales non potest non distingui realiter à se ipsa non existente.

Cùm ergo asserimus essentiam, & existentiam, non distingui realiter, sensus est nihil planè afficere, terminari, aut conuenire reipsa illi entitati quæ dicitur existentia, quod non conueniat illi, quæ dicitur essentia, quæ cùm fit existens de non existente vocatur existentia, cùm antea appellaretur essentia.

SECTIO II.

De vno primo Entis attributo.

AD entis essentiam, sicut & ad aliam quamlibet consequuntur quædam, quæ eius attributa dicuntur. Præcipua sunt, vnum, verum, bonum; de quibus hac sectione, & sequentibus nonnulla disputabimus.

CONCLVSIO PRIMA:

Attributa Entis non distinguuntur realiter ab illo.

QVOD distinguitur ab ente realiter non debet esse ens; atqui attributa entis sunt verè ens: ergo non distinguuntur ab illo realiter.

Minor pr. Illud est ens, quod verè existit; atqui attributa entis verè existunt: ergo sunt verè ens.

Minor pr. Attributa entis sunt vnum, verum, bonum; atqui ista verè existunt: ergo attributa entis verè existunt.

CONCLVSIO SECVNDA:

Vnitas transcendentalis non consistit in vnione.

VNITAS non consistit in eo, sine quo haberi

potest; atqui haberi potest sine vnione: ergo non consistit in vnione.

Minor pr. Vnitas Dei est transcendentalis; sed illa haberi potest sine vnione: ergo & vnitas.

Minor pr. Illud haberi potest sine vnione, quod habetur, ipsa non existente; atqui vnitas Dei habetur non existente vnione: ergo haberi potest sine vnione.

Minor pr. In Deo, & Angelis non est vnio; atqui est vnitas: ergo vnitas Dei habetur non existente vnione.

Obijcies. Illud est vnitas transcendentalis, quod constituit vnum; atqui vnio constituit vnum: ergo vnitas transcendentalis est vnio.

Minor pr. Illud constituit vnum, quod facit hominem, v. g. esse vnum; atqui vnio facit hominem esse vnum: ergo constituit vnum.

Solutio: *Illud constituit vnum vnitate compositionis, quod facit hominem esse vnum,* Concedo. *vnitate transcendentali,* Nego. *atqui vnio facit hominem esse vnum vnitate compositionis,* Concedo. *vnitate transcendentali,* Nego. *vnitas compositionis est illa, per quam, quæ sunt multa concurrunt ad constituendum vnum ex omnibus illis resultans: vnitas verò transcendentalis dicitur, per quam aliquid non est multa: vnio autem, vt patet, non facit, vt homo non sit multi homines, sed tantùm, vt materia, & forma coniunctæ dicantur homo.*

Contrà. Vnio constituit vnum, vnitate transcendentali: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illud constituit vnum vnitate

transcendentali, quod constituit indiuisum; atqui vnio constituit indiuisum : ergo & vnum vnitate transcendentali.

Minor pr Indiuisum est habens vnionē; atqui vnio cōstituit habēs vnionē: ergo & indiuisum.

Maior pr. Indiuisum est illud quod opponitur contradictoriè diuiso; atqui illud, quod opponitur contradictoriè diuiso est habens vnionem : ergo indiuisum est habens vnionem.

Maior pr. Indiuisum est idem, ac non diuisum; atqui non diuisum opponitur contradictoriè diuiso : ergo indiuisum est illud, quod opponitur contradictoriè diuiso.

Maior pr. Indiuisum est idem cùm diuiso, vel cum non diuiso; atqui non est idem cum diuiso : ergo debet esse idem cum non diuiso.

Solutio : *Indiuisum est idem cum diuiso, vel cum non diuiso secundum id totum, quod istud dicit,* Nego. *ex parte, & secundum aliquid, quod importat,* Concedo. *& concessa minori : ergo est idem cum non diuiso secundum id totum, quod istud dicit,* Nego. *ex parte, & secundum aliquid, quod importat,* Concedo. *Ratio est, quia cùm non diuisum importet, vel non habere partes propterea quod sit quid indiuisibile, aut quia est, quid chimaricum cui non conuenit habere partes, sicut necessitatem : vel habere quidem partes, sed coniunctas, opponitur siquidem diuiso, de cuius ratione sunt duo : Primum est habere partes, & secundum esse inter illas separationem, seu non coniunctionem. Clarum est indiuisum non esse idem omnino, & adequatè cum non diuiso, sed tantùm ex parte, illa nimirum per quam est idem, ac non habens partes.*

Contrà. Indiuisum non est idem cum non diuiso, secundùm id, secundùm quod istud dicit non habens partes : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quodlibet corpus est indiuisum ; atqui habet partes : ergo indiuisum non est idem cum non diuiso secundùm id, secundùm quod istud dicit non habens partes.

Maior pr. Quodlibet corpus est vnum vnitate transcendentali : ergo & indiuisum.

Antecedens pr. Ens est vnum vnitate transcendentali ; atqui quodlibet corpus est ens: ergo & vnum vnitate transcendentali.

Solutio : *Ens simplex est vnum vnitate transcendentali*, Concedo. *Ens compositum*, Nego. *atqui quodlibet corpus est ens simplex*, Nego. *compositum*, Concedo. *Potest etiam alio modo distingui argumentum. Ens est vnum vnitate transcendentali simplici, vel per aggregationem plurium*. Concedo. *simplici tantùm*, Nego. *&* *concessa minori : ergo corpus est vnum vnitate transcendentali simplici*, Nego. *per aggregationem plurium*, Concedo. *habet enim plures vnitates transcendentales, tot scilicet, quot sunt eius partes, & hoc sensu verum etiam est esse indiuisum, non quidem in plures partes absolutè, sed in plures partes, quæ sint æquales toti.*

CONCLVSIO TERTIA:
Vnitas est negatio multitudinis.

VNITAS est id, quod opponitur contradictoriè multiplicitati ; atqui quod opponitur contradictoriè multiplicitati est illius negatio: ergo vnitas est negatio multitudinis.

Minor pr. Illud opponitur contradictoriè multiplicitati, quod negat, & tollit quod illa ponit; atqui negatio multitudinis negat, & tollit quod illa ponit: ergo quod opponitur contradictoriè multiplicitati est illius negatio.

Minor pr. Multiplicitas ponit multitudinem vnitatum; atqui negatio multitudinis illam tollit: ergo negat, & tollit, quod illa ponit.

Obijcies. Ea, quibus constat numerus, sunt vnitates; atqui illæ non sunt negatio multitudinis: ergo vnitas non est negatio multitudinis.

Solutio: *Atqui illa vnitates secundùm id, quod dicunt in recto non sunt negatio,* Concedo. *secundùm id, quod dicunt in obliquo, & si seorsim sumantur,* Nego. *ergo vnitas non est negatio multitudinis secundùm id, quod dicit in recto,* Concedo. *secundùm id, quod dicit in obliquo,* Nego. *Id quod vnitates dicunt in recto, est entitas rei constantis numerum, in obliquo verò negatio identitatis cum aliis, quæ, vt patet, est aliquid negatiuum.*

Contrà. Vnitas Dei est vera, & propria vnitas; atqui illa non est quid negatiuum etiam in obliquo: ergo vnitas non est negatio secundum id, quod dicit in obliquo.

Minor pr. Quod est perfectio summa Dei, non est quid negatiuum etiam in obliquo; atqui vnitas est summa perfectio Dei: ergo non est quid negatiuum etiam in obliquo.

Solutio: *Atqui vnitas transcendentalis, aut etiam secundùm id, quod dicit in obliquo est summa perfectio Dei,* Nego. *vnitas excludens consortium aliorum Deorum, aut secundùm id, quod dicit in recto,* Concedo. *& eodem modo distinguendum est consequens.*

Contrà. Vnitas transcendentalis, siue Dei, siue alterius cuiuscumque entis, non est quid negatiuum, seu negatio mu titudinis secundum obliquum: ergo nulla solutio.

Minor pr. Vnitas transcendentalis non debet dici id, per quod non distinguitur vnitas entis realis, ab vnitate entis chimærici; atqui negatio multitudinis nō distinguit vnitatē entis realis ab vnitate entis chimærici: ergo negatiuū in obliquo importatum per vnitatem transcendentalem, non est negatio multitudinis.

Minor. pr. Illud non distinguit vnitatem entis realis ab vnitate entis chimærici, quod est idem in vtroque: atqui negatio multitudinis est eadē in vtroque: ergo negatio multitudinis non distinguit vnitatem entis realis ab vnitate entis chimærici.

Minor pr. Illa negatio multitudinis est eadē, per quam negantur eadem entia; atqui per negationem multitudinis entis realis, & chimærici negantur eadem entia: ergo negatio multitudinis est eadem in vtroque.

Solutio: *Illa negatio multitudinis est eadem, per quam negantur eadem entia, & in eodem subiecto*, Concedo. *in diuerso*, Nego. *atqui per negationem entis realis, & chimærici negantur eadem entia, & in eodem subiecto* Nego. *in diuerso*, Cōcedo. *Negatio multitudinis entis realis, negat multitudinem in ente reali; & alia in ente ficto: quo fit, vt tam ipsa differant inter se, quàm ens reale, & fictum.*

Contrà. Negatio multitudinis diuersa in ente reali, & ficto propter diuersum subiectū, in quo

illam supponit, non explicat sufficientem veram rationem vnius: ergo solutio data nulla est,

Antecedens pr. Illud non explicat sufficienter rationem vnius, quod non conuenit omni ei, quod est vnum; atqui illa negatio multitudinis explicata, non conuenit omni ei, quod est vnum: ergo non explicat sufficienter rationem vnius.

Minor pr. Aceruus lapidum, & ternarius hominum sunt quid vnum; atqui negatio multitudinis explicata non conuenit illis: ergo neque omni ei, quod est vnum.

Solutio: *Aceruus lapidum, & ternarius hominum sunt quid vnum in ratione collectionis.* Concedo. *in ratione entitatis,* Nego. *atqui negatio multitudinis non conuenit illis in ratione collectionis,* Nego. *in ratione entitatis,* Concedo. *hoc est, ternarius hominum non est vna sola entitas, sed tres; est tamen vna collectio trium hominum, hoc est, non multa collectiones, atque ita in ratione collectionis conuenit illi ratio vnius, vt à nobis explicatur.*

Ex dictis inferes primò, vnitatem esse duplicem. Prima, quæ dicitur vnitas simplicitatis, est illa, quæ conuenit rei simplici, & excludit omnem omnino multitudinem. Secunda vocatur vnitas compositionis, quæ conuenit rebus compositis, seu conflatis ex multis entitatibus, quarum proinde non important negationem, sed tantùm similium, aut diuersarum huiusmodi collectionum. Cùm enim negatio multitudinis sit vnitas ea ratione, qua aliquid est negatio multitudinis, eadẽ etiam est vnitas, & vnum. Si sit negatio omnino multitudinis est

vnum quid simplex, & habet veram, & propriam vnitatem simplicitatis; si verò excludat tantùm multitudinem collectionum est tantùm vnum compositione. Contingit autem sæpissimè, vt illæ duæ vnitates eidem rei conueniant, sed sub diuersa ratione. Materia siquidem, v. g. est vna vnitate simplicitatis, si spectetur vt subiectum formæ; eadem verò si consideretur vt conflata ex suis partibus integrantibus est tantùm vna compositione.

Inferes secundò, vnitatem compositionis tribui totis non solùm constantibus vera, & propria vnione, qualis est inter partes compositi physici, sed etiam aliis quibuscunque, siue ea, ex quibus constant habeant habitudinem inter se, siue non habeant, modò sumantur simul.

SECTIO III.

De distinctione, & entitate modali.

CONCLVSIO PRIMA:

Distingui est vnum non esse aliud.

DISTINGVI est vnum non habere identitatem cum alio; atqui vnum non esse aliud, est non habere identitatem cum alio: ergo distingui est vnum non esse aliud.

Obijcies. Illud non est definitio distinctionis, quod conuenit alteri ab ipsa; atqui vnum non esse aliud conuenit alteri à distinctione: ergo non est definitio distinctionis.

Minor pr. Vnitas est aliud à distinctione; at-

qui conuenit vnitati: ergo conuenit alteri à diſtinctione.

Minor pr. Conuenit omni ei, quod non eſt aliud: atqui vnitas non eſt aliud: ergo conuenit vnitati.

Minor pr. Illud non eſt aliud, quod non eſt multa; atqui vnitas non eſt multa: ergo vnitas non eſt aliud.

Solutio; *Illud non eſt aliud realiter, quod non eſt multa,* Concedo. *formaliter,* Nego. *& conceſſa minori ſimili modo conſequens diſtinguendũ eſt.*

CONCLVSIO SECVNDA:
Diſtinctio nihil reale poſitiuum ſuperaddit rebus diſtinctis.

DISTINCTIO non eſt aliquod ens reale poſitiuum diſtinctum à rebus diſtinctis: ergo nihil reale poſitiuum ſuperaddit rebus diſtinctis.

Antecedens pr. Diſtinctio non dici debet eſſe id, ſine quo ſufficienter intelliguntur diſtingui ea, inter quæ eſt diſtinctio; atqui ſine ente reali poſitiuo ſuperaddito intelliguntur ſufficienter diſtingui ea, inter quæ eſt diſtinctio: ergo diſtinctio non eſt aliquod ens reale poſitiuum ſuperadditum rebus diſtinctis.

Minor pr Sine eo ſufficienter intelliguntur diſtingui ea, inter quæ eſt diſtinctio, ſine quo intelligitur, vnum, non eſſe aliud; atqui ſine ente reali ſuperaddito intelligitur facilè vnum, non eſſe aliud: ergo & ſine eodem intelliguntur facilè diſtingui ea, inter quæ eſt diſtinctio.

Maior pr. Res diſtinctæ habent per ſe ipſas, vt

vna ex ipsis non sit alia: ergo sine ente reali superaddito intelligitur facilè vnũ non esse aliud.

Antecedens pr. Res distinctæ habent per illud, vt vna ex ipsis non sit alia, per quod non identificantur cum alijs; atqui per seipsas habent, vt non identificentur cum alijs: ergo etiam per se ipsas habent, vt vna non sit alia.

Minor pr. Res distinctæ per illud habent, vt non identificentur cum alijs, per quod entitas vnius non est entitas alterius; atqui per seipsas habent, vt entitas vnius non sit entitas alterius: ergo per seipsas habent, vt non identificentur cum alijs.

CONCLVSIO TERTIA:

Modus rectè dicitur esse actualis informatio sui subiecti, seu modificati.

MODVS rectè dicitur esse id, quod illum distinguit ab omni eo, quod non est modus; atqui actualis informatio sui subiecti distinguit eum ab omni eo, quod non est modus: ergo modus est actualis informatio sui subiecti.

Minor pr. Quod distinguit modum à re, distinguit eum ab omni eo, quod non est modus; atqui actualis informatio subiecti distinguit modum à re: ergo distinguit eum ab omni eo, quod non est modus.

Minor pr. Illud distinguit modum à re, quod conuenit omni modo, & nulli planè rei; atqui actualis informatio subiecti cõuenit omni modo, & nulli planè rei: ergo distinguit modũ à re.

Minor pr. Illi non conuenit actualis informatio subiecti, quod non est illius actus, aut est ab

eo diuinitus ſeparabile; atqui res, aut non eſt actus alterius, aut eſt ab eo diuinitus ſeparabilis ergo actualis informatio ſubiecti nō cōuenit rei.

Obijcies. Actio eſt modus, & agens ipſius modificatum; atqui actio non eſt actualis informatio agentis: ergo modus non eſt actualis informatio ſui modificati.

Minor pr. Quod non eſt actus agentis, non eſt informatio agentis; atqui actio non eſt actus agentis: ergo non eſt illius informatio.

Minor pr. Quod diſtat ab agente, non eſt illius actus; atqui actio diſtat ſæpè ab agente: ergo non eſt illius actus.

Solutio: *Quod diſtat ab agente non eſt actus illius intrinſecus*, Concedo. *extrinſecus*, Nego. *& conceſſa minori: ergo non eſt illius actus intrinſecus*, Concedo. *extrinſecus*, Nego. *Actus intrinſecus, eſt ille, qui eſt indiſtans, & immediatè afficit ſuum ſubiectum: extrinſecus verò eſt ille, qui illud non immediatè afficit, illud tamen præſupponit, & ſe habet per modum formæ, ſeu aduenientis reſpectu illius. Ita autem ſe habet actio reſpectu agentis.*

Contrà Actio nullo modo eſt actus ſui modificati: ergo nulla ſolutio.

Minor pr Modificatum eſt actionis effectus: ſed actio nullo modo eſt actus effectus: ergo nec ſui modificati.

Minor pr. Actus præſupponit id, cuius eſt actus; atqui actio non præſupponit effectum: ergo non eſt illius actus.

Solutio: *Actus præſupponit id, cuius eſt actus, aut ſe habet reſpectu illius tanquam aliquid reſtri;*

ctius, Concedo. *præsupponit necessariò*, Nego. *atqui actio non præsupponit effectum*, Concedo. *&* *non se habet respectu illius tanquam aliquid restrictius*, Nego. *Effectus enim fieri potest diuersis non tantùm numero actionibus; sed etiam differentibus specie. Actio autem, quæ est ad vnum effectum, non potest esse ad alium, & consequenter habet se tanquam aliquid restrictius respectu illius; vnde & meritò actus illius dici potest.*

Contrà. Vnio humanitatis Christi cum Verbo habet se tanquam aliquid restrictius respectu Verbi; atqui non est actus illius: ergo non sufficit ad hoc, vt aliquid sit actus alterius, vt se habeat respectu illius tanquam actus.

Minor pr. Vnio humanitatis Christi cum Verbo non potest esse illius actus nisi intrinsecus, vel extrinsecus: sed non est actus Verbi, neque intrinsecus, neque extrinsecus: ergo non est illius actus.

Prima pars minoris probatur.

Actus intrinsecus debet immediatè afficere suum subiectum; atqui vnio hypostatica non afficit immediatè Verbum: ergo non est actus illius intrinsecus.

Solutio: *Actus intrinsecus debet afficere immediatè suum subiectum ei, vel adhærendo, vel inhærendo*, Concedo. *tantùm inhærendo*, Nego. *atqui vnio hypostatica non afficit immediatè Verbum ei inhærendo*, Concedo. *sic enim non esset immutabile, ei adhærendo*, Nego. *huiusmodi enim adhæsio cùm illud non immutet nullo modo dici potest ei repugnare. In eo autem differt adhæsio ab inhæsione, quòd hæc dicat receptionem in eo, cui*

dicitur inhærere, & ab eodem dependentiam: Adhæsio autem nihil aliud importet, quàm esse id, per quod sine receptione aliquid affixum est alteri, & cum eo connexum.

SECTIO IV.

De vero & bono transcendentali.

VERVM aliud est in essendo, aliud in repræsentando. Istud vltimum vocatur formale, seu cognitionis, nihilque aliud est quàm conformitas repræsentationis cum re repræsentata: falsitas verò illi opposita est difformitas repræsentationis cum re repræsentata: Verum in essendo dicitur verum transcendentale, propterea quod non minus latè pateat ente, & de huiusmodi vero quid sit? inquirimus hac sectione.

PRIMA CONCLVSIO.

Verum transcendentale idem est, ac non apparens.

VERVM transcendentale debet esse idem, quod non apparens, aut quod est cognoscibile; atqui verum transcendentale non est idem, ac cognoscibile: ergo verum transcendentale est idem, ac non apparens.

Minor pr. Illud non est idem, ac cognoscibile, cuius forma constitutiua, non est forma constitutiua cognoscibilis; atqui forma cōstitutiua

veri, non est forma constitutiua cognoscibilis: ergo verum non est idem, ac cognoscibile.

Minor pr. Forma constitutiua cognoscibilis est cognitio; atqui cognitio non est forma constitutiua veri: ergo non est eadem forma constitutiua veri, & cognoscibilis.

Minor pr Illud non est forma constitutiua veri, quo sublato per possibile, vel impossibile manet tota ratio veri; atqui per possibile, vel impossibile sublata cognitione manet tota ratio veri: ergo cognitio non est forma constitutiua veri.

Minor pr. Ratio veri in eo consistit, quod aurum v. g. sit reipsa, & non fictè aurum, seu principium suarum proprietatum, & effectuum, qui ab ipso produci solent; atqui sublata cognitione, aut etiam eius possibilitate per possibile, vel impossibile, Aurum non desinit esse reipsa, & non fictè aurum: seu principium suarum proprietatum, & effectuum, qui ab ipso produci solent: ergo sublata cognitione per possibile vel impossibile manet tota ratio veri.

Minor pr. Illo sublato aurum non desinit esse reipsa, & non fictè aurum seu principium suarum proprietatum, & effectuum, qui ab ipso produci solent, quod neque confert illi vim, & virtutem ad huiusmodi productionem, neque etiã eam illi aufert; atqui cognitio non confert auro illam vim, & virtutem, neque etiam eam illi aufert: ergo sublata cognitione, aut etiam eius possibilitate aurum nõ desinit esse reipsa; & non fictè aurum, seu principiũ suarum proprietatum, & effectuum, qui ab ipso produci solent.

Ob-

Obijcies. Verum transcendentale non est illud, per quod non distinguitur ab ente; atqui non distinguitur ab ente per hoc, quod est non esse apparens: ergo verum transcendentale non est idem, ac non apparens.

Solutio: *Verum transcendentale non est illud, per quod non distinguitur ab ente realiter*, Nego. *formaliter*, Concedo. *atqui non distinguitur ab ente realiter per hoc, quod est non esse apparens*, Concedo. *non distinguitur formaliter*, Nego.

Contrà. Ens est idem formaliter, ac non apparens tantùm: ergo verum transcendentale non distinguitur formaliter ab ente per hoc, quod est non esse apparens tantùm.

Antecedens pr. Ens formaliter est negatio chimæræ; atqui negatio chimæræ est idē formaliter, ac non apparens tantùm: ergo ens etiam est idem formaliter, ac non apparens tantùm.

Minor pr. Non apparens est negatio; atqui non est alterius negatio, quàm chimæræ: ergo negatio chimæræ est idem formaliter, ac non apparens.

Solutio: *Neganda est minor. Ratio est, quia non apparens est negatio non entis ficti, sed alterius entis, habentis affinitatem; & conuenientiam cum alio in quibusdam accidentibus citra identitatem. Aurum v. g. esse non apparens, est esse negationem aurichalchi habentis affinitatem, & aliqua accidentia similia iis, quæ sunt in auro.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Bonum tranſcendentale idem eſt, ac perfectum in ſuo genere.

BONVM tranſcendentale in eo conſiſtit, quo poſito ſeclusis aliis quibuſcunque intelligimus ens eſſe bonum; atqui poſito quòd ſit perfectum in ſuo genere, & nihil illi deſit ad eam rationem quam habet, ſeclusis aliis quibuſcumque, intelligimus hoc ipſo ens eſſe bonum: ergo bonum tranſcendentale idem eſt, ac perfectum in ſuo genere.

Minor pr. Intelligimus ens eſſe bonum, vel per hoc, quòd ſit perfectum in ſuo genere, vel quòd ſit conueniens, & amabile; atqui non intelligimus ens eſſe bonum, per hoc, quòd ſit conueniens, & amabile: ergo intelligimus ens eſſe bonum, per hoc, quòd ſit perfectũ in ſuo genere.

Minor pr. Per hoc non intelligimus ens eſſe bonum, quod non eſt ratio conſtitutiua boni; atqui eſſe conueniens, & amabile nõ eſt ratio conſtitutiua boni: ergo non intelligimus ens eſſe bonum per hoc, quòd ſit conueniens, & amabile.

Minor pr. Illud non eſt forma conſtitutiua boni, quod ſupponit aliud prius, cui hoc conueniat; atqui eſſe cõueniens, & amabile ſupponit huiuſmodi aliquid prius: ergo non eſt ratio conſtitutiua boni.

Minor pr. Eſſe conueniens, & amabile ſupponit illud, quod eſt ratio conuenientiæ, & amabilitatis; atqui perfectũ eſt ratio illius conuenientiæ, & amabilitatis: ergo eſſe conueniens, &

amabile ſupponit huiuſmodi aliquid prius.

Minor pr. Ideo amamus res, quas amamus, quia ſunt in ſuo genere perfectæ : ergo perfectum in ſuo genere eſt ratio illius conuenientiæ, & amabilitatis.

Antecedens pr. Non amamus res illas, quia ſunt imperfectæ : ergo illas amamus, quia ſunt perfectæ in ſuo genere.

Obijcies. Illud non eſt bonum tranſcendentale, quod non diſtinguitur ab ente; atqui perfectum in ſuo genere, non diſtinguitur ab ente: ergo bonum tranſcendentale non eſt perfectum in ſuo genere.

Solutio : *Illud non eſt bonum tranſcendentale quod non diſtinguitur formaliter ab ente*, Concedo. *realiter*, Nego. *atqui perfectum in ſuo genere non diſtinguitur ab ente realiter*, Concedo. *formaliter*, Nego.

Contrà. Ad hoc, vt perfectum ſit bonum tranſcendentale, non ſufficit, quod diſtinguatur formaliter ab ente : ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Bonum tranſcendentale eſt attributum entis ; atqui non ſufficit, vt aliquid ſit attributum entis, quod diſtinguatur ab illo formaliter : ergo non ſufficit vt perfectum ſit bonum tranſcendentale, quod diſtinguatur ab ente formaliter.

Minor pr. Non magis ſufficit, vt aliquid ſit attributum entis, quod diſtinguatur ab illo formaliter, quàm vt ſit attributũ alicuius alterius rei; atqui vt aliquid ſit attributum alterius rei, non ſufficit vt diſtinguatur ab illa formaliter: ergo nõ ſufficit, vt aliquid ſit attributum entis.

quod distinguatur ab illo formaliter.

Minor pr. Illud non sufficit, vt aliquid sit attributum alterius rei, quo posito verum est non esse illius attributum; atqui posito, quod aliquid distinguatur ab homine v. g. formaliter, verum est, non esse eius attributum: ergo vt aliquid sit attributum alterius rei non sufficit vt distinguatur ab illa formaliter.

Minor pr. Definitio hominis distinguitur formaliter ab homine; atqui non est eius attributum: ergo posito quod aliquid distinguatur formaliter ab homine non est eius attributum.

Solutio: *Definitio hominis distinguitur formaliter ab homine, & est aliquid consecutum ad eius essentiam*, Nego. *& non est aliquid consecutum ad eius essentiam*, Concedo. *& concessa minori: ergo vt aliquid sit attributum alterius rei, non sufficit vt distinguatur ab illa formaliter si non sit aliquid consequens ad eius essentiam*, Concedo. *si consequatur ad essentiam*, Nego. *Ad hoc, vt aliquid sit attributum alterius, duo requiruntur: primum est, vt sit aliquid consecutum ad eius essentiam: secundum, vt ab eo distinguatur saltem formaliter, quæ duo, vt patet conueniunt perfecto in suo genere respectu entis, & consequenter verè dicimus esse eius attributum. Negamus verò de definitione respectu hominis, quia secundum, quod est consequi ad essentiam, ei non conuenit, vt per se clarum est.*

Contrà. Perfectum in suo genere non consequitur ad essentiam entis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod est ens non consequitur ad essentiam entis; atqui perfectum in suo gene-

re est ens : ergo nõ consequitur ad essentiã entis.

Solutio : *Quod est ens non tantùm realiter, sed etiam formaliter non consequitur ad essentiam entis.* Concedo. *quod est tantùm realiter ens, & non formaliter non consequitur ad illius essentiam formaliter*, Nego. *atqui perfectum in suo genere est ens realiter*, Concedo. *formaliter*, Nego. *alius est enim conceptus repræsentans id, quod est posse existere, vt facit ille, qui est proprius entis; alius qui exprimit nihil alicui deesse ad eam rationem quam habet; quod præstatur ab eo, qui est proprius perfecti in suo genere.*

Contrà Conceptus ille exprimit perfectum esse carentiam, aut negationem; atqui non est carentia, & negatio : ergo conceptus exprimens nihil alicui deesse ad eam rationem quam habet non est proprius perfecti in suo genere.

Solutio : *Conceptus ille exprimit perfectum esse carentiam, & negationem in recto*, Nego. *in obliquo*, Concedo. *atqui non est carentia, & negatio in recto*, Concedo. *in obliquo*, Nego. *In recto est illa res cui nihil dicitur deesse, & in obliquo negatio illius defectus.*

Contrà Perfectum in suo genere in recto non est quid positiuum : ergo in recto, & non tantùm in obliquo est negatio.

Antecedens pr. Omne positiuum est formaliter ens; atqui ex concessis perfectum in suo genere non est formaliter ens : ergo in recto non est quid positiuum.

Maior pr. Omne positiuum debet esse formaliter ens, vel non ens; atqui non est non ens: ergo est formaliter ens.

Solutio: *Neganda est maior, & dicendum positiuum formaliter sumptum esse conceptum per quem repraesentatur, qui cùm sit diuersus ab illis, per quos exprimitur ens, & non ens, clarum est positiuum non debere esse formaliter ens, & non ens, seu repraesentationem ipsius diuersam esse à repraesentationibus entis, & non entis. Quaenam autem sit ea perfecti in suo genere, superius diximus. Responderi etiam potest ad antecedens antepenultimi argumenti, perfectum in suo genere non est quid positiuum realiter*, Nego. *formaliter*, Concedo. *conceptus enim vtriusque sunt diuersi, quod sufficit ad distinctionem formalem.*

Ex dictis inferes, cùm bonum sit idem, ac perfectum, & magna sit diuersitas perfectionum in diuersis rebus, scilicet substantialium, accidentalium, naturalium, supernaturalium, &c. varia etiam esse bonorum genera, quaedam dici substantialia, alia accidentalia, multa naturalia, & non pauca supernaturalia. Haec autem omnia censentur bona absolute, & in se, non autem per respectum ad aliud, quae enim dicuntur bona per ordinem ad aliud, sunt idem ac conueniens, & dicuntur bona relatiua, contingitque saepe vt eadem dicantur mala, seu disconuenientia. Quod enim vni rei est conueniens potest esse disconueniens alteri.

SECTIO V.

De Diuisione Entis.

PRIMA CONCLVSIO:

Ens benè diuiditur in ens à se, & ab alio, seu quod idem est in ens creatum, & increatum, ens per essentiam, & per participationem, necessarium & contingens.

Ens à se, & ens ab alio sunt distincta, & exhauriunt ens: ergo ens bene diuiditur in illa.

Prima pars minoris probatur.

Illa sunt distincta, quorum vno existente non existit aliud; atqui existente ente à se, non existit ens ab alio: ergo sunt distincta.

Minor pr. Ens à se existit ab æterno, sed ab æterno non existebat ens ab alio: ergo existente ente à se non existit ens ab alio.

Secunda pars minoris superioris argumenti, exhaurire ens, probatur.

Ens à se, & ens ab alio continent quidquid ens: ergo exhauriunt ens.

Minor pr. Ens est id, quod potest existere; atqui ens à se, & ens ab alio continent id omne, quod potest existere: ergo & quidquid ens.

Minor pr. Quod potest existere debet habere illud esse & existere, vel à se, vel ab alio, sed ens à se, continet illud quod habet esse à se, & ens ab alio continet illud, quod habet esse ab alio: ergo ens à se & ab alio continent id omne, quod potest existere.

veri, non est forma constitutiua cognoscibilis: ergo verum non est idem, ac cognoscibile.

Minor pr. Forma constitutiua cognoscibilis est cognitio; atqui cognitio non est forma constitutiua veri: ergo non est eadem forma constitutiua veri, & cognoscibilis.

Minor pr Illud non est forma constitutiua veri, quo sublato per possibile, vel impossibile manet tota ratio veri; atqui per possibile, vel impossibile sublata cognitione manet tota ratio veri: ergo cognitio non est forma constitutiua veri.

Minor pr. Ratio veri in eo consistit, quod aurum v. g. sit reipsa, & non fictè aurum, seu principium suarum proprietatum, & effectuum, qui ab ipso produci solent; atqui sublata cognitione, aut etiam eius possibilitate per possibile, vel impossibile, Aurum non desinit esse reipsa, & non fictè aurum: seu principium suarum proprietatum, & effectuum, qui ab ipso produci solent: ergo sublata cognitione per possibile vel impossibile manet tota ratio veri.

Minor pr. Illo sublato aurum non desinit esse reipsa, & non fictè aurum seu principium suarum proprietatum, & effectuum, qui ab ipso produci solent, quod neque confert illi vim, & virtutem ad huiusmodi productionem, neque etiã eam illi aufert; atqui cognitio non confert auro illam vim, & virtutem, neque etiam eam illi aufert: ergo sublata cognitione, aut etiam eius possibilitate aurum nõ desinit esse reipsa; & non fictè aurum, seu principiũ suarum proprietatum, & effectuum, qui ab ipso produci solent.

Ob-

Obijcies. Verum tranſcendentale non eſt illud, per quod non diſtinguitur ab ente; atqui non diſtinguitur ab ente per hoc, quod eſt non eſſe apparens: ergo verum tranſcendentale non eſt idem, ac non apparens.

Solutio: *Verum tranſcendentale non eſt illud, per quod non diſtinguitur ab ente realiter*, Nego. *formaliter*, Concedo. *atqui non diſtinguitur ab ente realiter per hoc, quod eſt non eſſe apparens*, Concedo. *non diſtinguitur formaliter*, Nego.

Contrà. Ens eſt idem formaliter, ac non apparens tantùm: ergo verum tranſcendentale non diſtinguitur formaliter ab ente per hoc, quod eſt non eſſe apparens tantùm.

Antecedens pr. Ens formaliter eſt negatio chimæræ; atqui negatio chimæræ eſt idē formaliter, ac non apparens tantùm: ergo ens etiam eſt idem formaliter, ac non apparens tantùm.

Minor pr. Non apparens eſt negatio; atqui non eſt alterius negatio, quàm chimæræ: ergo negatio chimæræ eſt idem formaliter, ac non apparens.

Solutio: *Neganda eſt minor. Ratio eſt, quia non apparens eſt negatio non entis ficti, ſed alterius entis, habentis affinitatem; & conuenientiam cum alio in quibuſdam accidentibus citra identitatem. Aurum v. g. eſſe non apparens, eſt eſſe negationem aurichalchi habentis affinitatem, & aliqua accidentia ſimilia iis, quæ ſunt in auro.*

CONCLVSIO SECVNDA:

Bonum transcendentale idem est, ac perfectum in suo genere.

BONVM transcendentale in eo consistit, quo posito seclusis aliis quibuscunque intelligimus ens esse bonum; atqui posito quòd sit perfectum in suo genere, & nihil illi desit ad eam rationem quam habet, seclusis aliis quibuscumque, intelligimus hoc ipso ens esse bonum: ergo bonum transcendentale idem est, ac perfectum in suo genere.

Minor pr. Intelligimus ens esse bonum, vel per hoc, quòd sit perfectum in suo genere, vel quòd sit conueniens, & amabile; atqui non intelligimus ens esse bonum, per hoc, quòd sit conueniens, & amabile: ergo intelligimus ens esse bonum, per hoc, quòd sit perfectũ in suo genere.

Minor pr. Per hoc non intelligimus ens esse bonum, quod non est ratio constitutiua boni; atqui esse conueniens, & amabile nõ est ratio constitutiua boni: ergo non intelligimus ens esse bonum per hoc, quòd sit conueniens, & amabile.

Minor pr. Illud non est forma constitutiua boni, quod supponit aliud prius, cui hoc conueniat; atqui esse cõueniens, & amabile supponit huiusmodi aliquid prius: ergo non est ratio constitutiua boni.

Minor pr. Esse conueniens, & amabile supponit illud, quod est ratio conuenientiæ, & amabilitatis; atqui perfectũ est ratio illius conuenientiæ, & amabilitatis: ergo esse conueniens, &c.

amabile supponit huiusmodi aliquid prius.

Minor pr. Ideo amamus res, quas amamus, quia sunt in suo genere perfectæ : ergo perfectum in suo genere est ratio illius conuenientiæ, & amabilitatis.

Antecedens pr. Non amamus res illas, quia sunt imperfectæ : ergo illas amamus, quia sunt perfectæ in suo genere.

Obijcies. Illud non est bonum transcendentale, quod non distinguitur ab ente; atqui perfectum in suo genere, non distinguitur ab ente: ergo bonum transcendentale non est perfectum in suo genere.

Solutio : *Illud non est bonum transcendentale quod non distinguitur formaliter ab ente*, Concedo. *realiter*, Nego. *atqui perfectum in suo genere non distinguitur ab ente realiter*, Concedo. *formaliter*, Nego.

Contrà. Ad hoc, vt perfectum sit bonum transcendentale, non sufficit, quod distinguatur formaliter ab ente : ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Bonum transcendentale est attributum entis; atqui non sufficit, vt aliquid sit attributum entis, quod distinguatur ab illo formaliter : ergo non sufficit vt perfectum sit bonum transcendentale, quod distinguatur ab ente formaliter.

Minor pr. Non magis sufficit, vt aliquid sit attributum entis, quod distinguatur ab illo formaliter, quàm vt sit attributũ alicuius alterius rei; atqui vt aliquid sit attributum alterius rei, non sufficit vt distinguatur ab illa formaliter: ergo nõ sufficit, vt aliquid sit attributum entis.

quod distinguatur ab illo formaliter.

Minor pr. Illud non sufficit, vt aliquid sit attributum alterius rei, quo posito verum est non esse illius attributum; atqui posito, quod aliquid distinguatur ab homine v. g. formaliter, verum est, non esse eius attributum: ergo vt aliquid sit attributum alterius rei non sufficit vt distinguatur ab illa formaliter.

Minor pr. Definitio hominis distinguitur formaliter ab homine; atqui non est eius attributum: ergo posito quod aliquid distinguatur formaliter ab homine non est eius attributum.

Solutio: *Definitio hominis distinguitur formaliter ab homine, & est aliquid consecutum ad eius essentiam*, Nego. *& non est aliquid consecutum ad eius essentiam*, Concedo. *& concessa minori: ergo vt aliquid sit attributum alterius rei, non sufficit vt distinguatur ab illa formaliter si non sit aliquid consequens ad eius essentiam*, Concedo. *si consequatur ad essentiam*, Nego. *Ad hoc, vt aliquid sit attributum alterius, duo requiruntur: primum est, vt sit aliquid consecutum ad eius essentiam: secundum, vt ab eo distinguatur saltem formaliter, quæ duo, vt patet conueniunt perfecto in suo genere respectu entis, & consequenter verè dicimus esse eius attributum. Negamus verò de definitione respectu hominis, quia secundum, quod est consequi ad essentiam, ei non conuenit, vt per se clarum est.*

Contrà. Perfectum in suo genere non consequitur ad essentiam entis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod est ens non consequitur ad essentiam entis; atqui perfectum in suo gene-

re est ens : ergo nō consequitur ad essentiā entis.

Solutio : *Quod est ens non tantùm realiter, sed etiam formaliter non consequitur ad essentiam entis.* Concedo. *quod est tantùm realiter ens, & non formaliter non consequitur ad illius essentiam formaliter*, Nego. *atqui perfectum in suo genere est ens realiter*, Concedo. *formaliter*, Nego. *alius est enim conceptus repræsentans id, quod est posse existere, vt facit ille, qui est proprius entis; alius qui exprimit nihil alicui deesse ad eam rationem quam habet; quod præstatur ab eo, qui est proprius perfecti in suo genere.*

Contrà Conceptus ille exprimit perfectum esse carentiam, aut negationem ; atqui non est carentia, & negatio : ergo conceptus exprimens nihil alicui deesse ad eam rationem quam habet non est proprius perfecti in suo genere.

Solutio : *Conceptus ille exprimit perfectum esse carentiam, & negationem in recto*, Nego. *in obliquo*, Concedo. *atqui non est carentia, & negatio in recto*, Concedo. *in obliquo*, Nego. *In recto est illa res cui nihil dicitur deesse, & in obliquo negatio illius defectus.*

Contrà Perfectum in suo genere in recto non est quid positiuum : ergo in recto, & non tantùm in obliquo est negatio.

Antecedens pr. Omne positiuum est formaliter ens ; atqui ex concessis perfectum in suo genere non est formaliter ens : ergo in recto non est quid positiuum.

Maior pr. Omne positiuum debet esse formaliter ens, vel non ens ; atqui non est non ens : ergo est formaliter ens.

Solutio: *Neganda est maior, & dicendum positiuum formaliter sumptum esse conceptum per quem repræsentatur, qui cùm sit diuersus ab illis, per quos exprimitur ens, & non ens, clarum est positiuum non debere esse formaliter ens, & non ens, seu repræsentationem ipsius diuersam esse à repræsentationibus entis, & non entis. Quanam autem sit ea perfecti in suo genere, superius diximus. Responderi etiam potest ad antecedens antepenultimi argumenti, perfectum in suo genere non est quid positiuum realiter*, Nego. *formaliter*, Concedo. *conceptus enim vtriusque sunt diuersi, quod sufficit ad distinctionem formalem.*

Ex dictis inferes, cùm bonum sit idem, ac perfectum, & magna sit diuersitas perfectionum in diuersis rebus, scilicet substantialium, accidentalium, naturalium, supernaturalium, &c. varia etiam esse bonorum genera, quædam dici substantialia, alia accidentalia, multa naturalia, & non pauca supernaturalia. Hæc autem omnia censentur bona absolute, & in se, non autem per respectum ad aliud, quæ enim dicuntur bona per ordinem ad aliud, sunt idem ac conueniens, & dicuntur bona relatiua, contingitque sæpe vt eadem dicantur mala, seu disconuenientia. Quod enim vni rei est conueniens potest esse disconueniens alteri.

Sectio V.

De Diuisione Entis.

Prima Conclvsio:

Ens benè diuiditur in ens à se, & ab alio, seu quod idem est in ens creatum, & increatum, ens per essentiam, & per participationem, necessarium & contingens.

ENs à se, & ens ab alio sunt distincta, & exhauriunt ens: ergo ens bene diuiditur in illa.

Prima pars minoris probatur.

Illa sunt distincta, quorum vno existente non existit aliud; atqui existente ente à se, non existit ens ab alio: ergo sunt distincta.

Minor pr. Ens à se existit ab æterno, sed ab æterno non existebat ens ab alio: ergo existente ente à se non existit ens ab alio.

Secunda pars minoris superioris argumenti, exhaurire ens, probatur.

Ens à se, & ens ab alio continent quidquid ens: ergo exhauriunt ens.

Minor pr. Ens est id, quod potest existere; atqui ens à se, & ens ab alio continent id omne, quod potest existere: ergo & quidquid ens.

Minor pr. Quod potest existere debet habere illud esse & existere, vel à se, vel ab alio, sed ens à se, continet illud quod habet esse à se, & ens ab alio continet illud, quod habet esse ab alio: ergo ens à se & ab alio continent id omne, quod potest existere.

SECVNDA CONCLVSIO:

Ens diuiditur etiam in Substantiam & Accidens, & in decem Prædicamenta.

VERITAS huius conclusionisnon eget alia probatione quàm breui declaratione harum duarum diuisionum.

In prima per substantiam intelligendum est primum in re, & per accidens illud quod non est primum in re, seu quod habet priorem sui radicem intrinsecam in eo in quo est, vt accuratiùs explicabitur sectione sequenti. Primum autem in re distingui ab eo, quod non est primum in re, & ambo complecti id omne, quod est ens p: c vt requiritur ad bonam diuisionem, per se patet.

In secunda diuisione non sunt tantùm duo membra vt in prima,sed omnino decem, scilicet,Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio Actio, Passio, Vbi, Situs, Duratio, & Habitus. Substantiam, & relationem explicuimus in Logica, de aliis septem agemus in Physica, & de vltima in fine huius tractatus. Cæterum sicut ista diuisio in pauciora membra contrahi poterat,ita & in magis immediata enti,inter quod, & ipsa mediant alia prædicata superiora, scilicet respectu primi membri substantia in genere, & in communi,& respectu reliquorum accidens etiam in communi: quia tamen membra assignata distinguuntur inter se saltem formaliter,& id omne, quod est ens potest ad illa reduci, & reuocari, non videtur reiicienda.

DISPVTATIO II.

De Substantia.

PRAECIPVVM membrum diuisionis primæ entis explicatæ conclusione secunda sectione vltima præcedentis disputationis, cùm sit Substantia, æquum est vt priùs de ea, quàm de Accidente, quod est alterum membrum disputemus. Quapropter iis non repetitis, quæ de ea diximus in Logica disputatione de Prædicamento substantiæ, nonnulla alia hic de eadem inquiremus.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Substantia, & quotuplex?

VERA notio rerum, quæ sunt valdè vniuersales, & habent magnam amplitudinem, longè difficiliùs haberi, & formari potest, quàm earum, quæ sunt minùs vniuersales, & ad pauciora se extendunt. Id quàm verum sit ostendet facilè difficultas definiendi, quinam sit germanus conceptus substantiæ? cuius amplitudo, & extensio ad innumera propè omnibus notissima est.

Prima Conclusio:

Substantia est primum in re.

Substantia rectè dicitur esse illud, quod distinguit illam ab accidente.

Atqui τὸ independens à subiecto, id per quod respondemus ad quæstionem, quid est hoc? constitutiuum totius per se, aut totũ per se non distinguunt substantiam ab accidente, bene verò primum in re: ergo substantia est primum in re.

Duæ primæ partes minoris probantur.

Illud non distinguit substantiam ab accidente, quod non conuenit omni substantiæ; atqui esse independens à subiecto, aut id, per quod respondemus ad quæstionem quid est hoc? non conuenit omni substantiæ: ergo esse independens à subiecto, & id per quod respondemus ad quæstionem quid est hoc? non distinguunt substantiam ab accidente.

Prima pars minoris probatur

Forma substantialis materialis est verè substantia; atqui non conuenit ei esse independentem à subiecto: ergo non conuenit omni substantiæ esse independentem à subiecto.

Minor pr. Illi non conuenit esse independens à subiecto, quod dependet à materia tanquam à subiecto; atqui forma substantialis materialis dependet à materia tanquam à subiecto: ergo non conuenit ei esse independentem à subiecto.

Secunda pars minoris superioris argumenti, non

conuenire omni substantiæ per illam respondere ad quæstionem quid est hoc? probatur.

Illi non conuenit esse id, per quod respondemus ad quæstionem quid est hoc? per quod respondemus ad quæstionem quale est hoc? atqui per substantiam aliquam respondemus ad quæstionem quale est hoc? ergo esse id per quod respondemus ad quæstionem quid est hoc? non conuenit omni substantiæ.

Minor pr. Pinguedo equi v. g. est substantia, sed per illam respondemus ad quæstionem qualis est equus: ergo per substantiam aliquam respondemus ad quęstionem quale est hoc?

Minor pr. Ille respondet per pinguedinem qualis sit equus, qui respondet eum esse pinguem; atqui respondemus ad quæstionem qualis est equus? eũ esse pinguem: ergo per pinguedinem respondemus ad quæstionem qualis est equus?

Tertia pars primi argumenti, totum per se non distinguere substantiam ab accidente probatur.

Totum per se, secundùm auctores illius sententiæ est illud, quod constituitur ex incompletis; atqui quod constituitur ex incompletis non distinguit substantiam ab accidente: ergo totum per se non distinguit substantiam ab accidente.

Minor pr. Illud non distinguit substantiam ab accidente, quod non est substantia; atqui quod constituitur ex incompletis non est substantia: ergo quod constituitur ex incompletis non distinguit substantiam ab accidente.

Minor pr. Album constituitur ex incompletis; atqui album non est substantia: ergo quod constituitur ex incompletis non est substantia.

Maior pr. Album conſtituitur ex materia, & albedine; atqui materia, & albedo ſunt quid incompletum: ergo album conſtituitur ex incompletis.

Prima pars minoris patet, & ſecunda pr.

Non minùs albedo eſt incompleta, quàm forma ſubſtantialis; atqui forma ſubſtantialis eſt incompleta: ergo & albedo.

Maior pr. Ideo forma ſubſtantialis eſt incompleta, quia eſt actus materiæ ei natura ſua vnibilis; atqui etiam albedo eſt actus materiæ, ei natura ſua vnibilis: ergo non minùs albedo eſt incompleta, quàm forma ſubſtantialis.

Minor pr. Illud eſt actus materiæ, ei natura ſua vnibilis, quod illã præſupponit, & ei vnitur, ſine violentia ab agentibus naturalibus; atqui albedo præſupponit materiam, & ſine violentia vnitur ei ab agentibus naturalibus: ergo etiam albedo eſt actus materiæ ei natura ſua vnibilis.

Quarta pars minoris primi argumenti, primum in re diſtinguere ſubſtantiam ab accidente, pr.

Primum in re eſt quid poſitiuum, non habens in eo in quo eſt ſui priorem radicem; atqui eſſe quid poſitiuum, non habens in eo in quo eſt ſui priorem radicem, diſtinguit ſubſtantiam ab accidente: ergo primum in re diſtinguit ſubſtantiam ab accidente.

Minor pr. Illud diſtinguit ſubſtantiam ab accidente, quod conuenit omni ſubſtantiæ, & nulli accidenti; atqui eſſe quid poſitiuum non habens in eo in quo eſt priorem ſui radicem, conuenit omni ſubſtantiæ, & nulli accidenti: ergo diſtinguit ſubſtantiam ab accidente.

Prima pars minoris probatur.

Substantia est creata, vel increata; atqui neutra habet sui priorem radicem intrinsecam: ergo conuenit omni substantiæ non habere in eo, in quo est, priorem sui radicem.

Secunda pars minoris de increata probatur.

Illud nullam habet sui priorem radicem intrinsecam, quod nihil habet se prius neque intra neque extra; atqui substantia increata nihil habet se prius, neque intra, neque extra: ergo nullam habet priorem sui radicem intrinsecam.

Minor pr. Ens à se nihil habet se prius neque intra, neque extra; atqui substantia increata, seu diuina est ens à se: ergo nihil habet se prius neque intra, neque extra.

Prima pars superioris argumenti de Substantia creata probatur.

Substantia creata vel est simplex, vel composita; atqui neque simplex, neque composita habet priorem sui radicem intrinsecam: ergo substantia creata non habet priorem sui radicem intrinsecam.

Prima pars minoris de simplice probatur.

In substantia simplice nihil est ipsi intrinsecum, quàm ipsamet; atqui ipsa non est sui radix: ergo substantia simplex non habet sui priorem radicem intrinsecam.

Secunda pars minoris superioris argumenti de substantia composita probatur.

Substantia composita est materia simul cum forma; atqui neque materia, neque forma habent sui priorem radicem intrinsecam: ergo substantia composita non habet sui priorem radicem intrinsecam.

Prima pars minoris probatur.

Quod est primum subiectum non habet sui priorem radicem intrinsecam; atqui materia est primum subiectum; ergo non habet sui priorem radicem intrinsecam.

Secunda pars minoris prioris argumenti probatur.

Forma non potest dici habere aliam radicem intrinsecam, quàm materiam; atqui materia non est radix formæ: ergo forma non habet sui priorem radicem intrinsecam.

Minor pr. Quod est ignobilius forma, non est eius radix; atqui materia est ignobilior forma: ergo non est eius radix

Maior pr. Radix sonat aliquid perfectius aut saltem æquè perfectum, ac est illud cuius dicitur esse radix: ergo quod est ignobilius; & minùs perfectum quam forma, non est eius radix.

Minor pr. Radix continet eminenter, aut saltem formaliter id, cuius dicitur radix; atqui id, quod continet aliud eminenter, aut formaliter est perfectius illo, aut æquè perfectum: ergo radix sonat aliquid perfectius, aut æquè perfectum, ac est illud, cuius dicitur radix.

Obijcies. Substantia non rectè dicitur esse illud, quod non conuenit omni substantiæ; atqui esse primum in re non conuenit omni substantiæ: ergo substantia non rectè dicitur primum in re.

Minor pr. Primum in re est, quod non habet sui prioremradicem; atqui substantia aliqua habet sui priorem radicem: ergo non conuenit omni substantiæ esse primum in re.

Maior pr. Forma substantialis materialis est

substantia; atqui habet priorem sui radicem: ergo aliqua subitãtia habet sui priorem radicem.

Minor pr. Materia est eius radix : ergo forma substantialis materialis habet priorem sui radicem.

Antecedens pr. Quod est causa formæ substantialis materialis, est verè eius radix ; atqui materia est causa formæ substantialis materialis : ergo est verè radix formæ.

Solutio : *Quod est causa formæ substantialis materialis, & quidem ea nobilius, est verè eius radix*, Concedo. *si sit ignobilius*, Nego. *atqui materia est causa formæ substantialis materialis, & quid ea nobilius*, Nego. *& quid ea ignobilius*, Concedo.

Contrà. Quod habet causam se nobiliorem ex responsione data habet sui priorem radicem, & non est substantia; atqui materia habet causam se nobiliorem, Deum scilicet : ergo habet sui priorem radicem, & non est substantia.

Solutio : *Quod habet causam se nobiliorem intrinsecam, seu in eo, & intra illud, in quo est, & cuius est; habet sui priorem radicem, & non est substantia*, Concedo. *quod habet tantùm extrinsecam*, Nego. *Radix enim sonat aliquid intrinsecum; atqui materia habet causam se nobiliorem intrinsecam*, Nego. *extrinsecam*, Concedo.

Contrà. Quod habet causam se nobiliorem intrinsecam habet priorem sui radicem, & non est substantia ex concessis; atqui subsistentia habet causam se nobiliorem intrinsecam, scilicet formam, & materiam : ergo non est substantia.

Solutio : *Quod habet causam se nobiliorem in-*

trinsecam, habet priorem sui radicem, & non est substantia, si non sit vltimum complementum illius sua radicis, Concedo. *si sit eius vltimum complementum*, Nego. *atqui subsistentia habet causam se nobiliorem intrinsecam, materiam scilicet, & formam substantialem, & non est illarum complementum*, Nego. *& est illarum vltimum complementum*, Concedo.

Contrà. Ex concessis, quod habet priorem sui radicem, & non est vltimum eius complementum non est substantia; atqui vnio habet priorem sui radicem, materiam scilicet, & formam, quas vnit, & non est vltimum illarum complementum: ergo vnio non est substantia.

Solutio: *Quod habet priorem sui radicem, & non est vltimum eius complementum, nec id, quo constituitur formaliter in ratione prima radicis non est substantia*, Concedo. *si sit id, quo constituitur in ratione prima radicis*, Nego. *atqui vnio habet priorem sui radicem, materiam scilicet, & formam, quas vnit, & non est vltimum illarum complementum, neque id, quo constituuntur in ratione prima radicis*, Nego. *sine enim vnione, neque materia, neque forma essent radix accidentium, qua toti competunt, & est id, quo constituuntur formaliter in ratione prima radicis*, Concedo. *hoc autem sufficit vt dicatur substantia. Constitutiuum enim prima radicis, seu substantia, haud dubiè substantia dici debet.*

Conclusio Secunda:

Variæ sunt diuisiones substantiæ.

Veritas huius assertionis patebit facilè ex breui declaratione duarum, aut trium huiusmodi diuisionum.

Prima est illa, per quam substantia diuiditur in increatam, & creatam. Substantia increata est solus Deus, creata verò, seu producta, cæteræ omnes, quæcunque tandem sint. Nulla enim est quæ sit à se.

Secunda diuisio est in completam, & incompletam, seu in eam, quæ est prima res, & aliam, quæ est tantùm pars istius, seu eius constitutiua.

Tertia est in materialem, siue eam, quæ est impenetrabilis, aut habet aliquam dependentiam à re impenetrabili; & spiritalem, quæ est penetrabilis, & nullam habet dependentiam à re impenetrabili, vt fusiùs dicemus in Physica. Has autem diuisiones legitimas esse ex eo patet, quòd membra vniuscuiusque sint distincta inter se, & contineant quidquid substantia, hæc siquidem est necessariò creata, vel increata, completa, vel incompleta, materialis, vel spiritalis; & impossibile est reperire vllam, quæ non sit alterum ex membris trium illarum diuisionum.

Sectio Secunda.

De Subsistentia.

Qvod diximus superiori sectione in responsione ad obiectionem, vnionem, & subsistentiam esse partium substantialium vinculum, aut vltimum complementum sufficiens tribueret illis ius, vt de vtraque hìc ageremus, nisi commodior videretur agendi locus de prima (propterea quod conueniat soli composito physico) cùm de hoc toto naturali in Physica disputabimus. Secunda autem, scilicet subsistentia, cùm sit propria non tantùm substantiæ compositæ, & materialis, sed prætereа immaterialis etiam diuinæ, iure sibi vendicat, vt explanatio quorumdam, quæ ad ipsam pertinent præmittatur iis, quæ de Deo, & Angelis dicturi sumus sectionibus sequentibus.

Conclvsio Prima:

Subsistentia est aliquid positiuum superadditum naturæ creatæ.

Svbsistentia debet esse aliquid positiuum superadditum naturæ creatæ, aut aliquid negatiuum; atqui non est aliquid negatiuum: ergo subsistentia est aliquid positiuum superadditum naturæ creatæ.

Minor pr. Non magis subsistentia aliarum rerum creatarum, est aliquid negatiuum, quam

humana; atqui ſubſiſtentia humana non eſt aliquid negatiuum: ergo ſubſiſtentia non eſt aliquid negatiuum.

Minor pr. Subſiſtentia humana eſt id, quod SanctiPatres defendebant contra Neſtorium relictum eſſe à Verbo, Neſtorius verò dicebat non eſſe relictum; ſed Sãcti Patres non defendebant, neque Neſtorius dicebat non eſſe relictum aliquid negatiuum: ergo ſubſiſtentia humana, non eſt aliquid negatiuum.

Minor pr. Negatiuum illud non poteſt eſſe niſi negatio vnionis cum natura humana; atqui Patres non defendebant, nec Neſtorius aſſerebat non eſſe relictam illam negationem: ergo Sancti Patres non defendebant, neque Neſtorius dicebat non eſſe relictum aliquid negatiuum.

Minor pr. Neſtorius non aſſerebat id, quod eſt euidens, non eſſe cuilibet etiam ignaro; atqui euidens eſt cuilibet etiam ignaro falſum eſſe, non relictam eſſe à Verbo negationem vnionis cum natura humana: ergo Patres non defendebant, nec Neſtorius aſſerebat, non eſſe relictam illam negationem.

Minor pr. Euidens eſt relictum eſſe ab eo, quod ſupponitur vnitum naturæ humanæ, negationem vnionis cum natura humana; atqui Verbum ſupponebatur à Patribus, & Neſtorio eſſe vnitũ naturæ humanæ: ergo euidens eſt culibet etiam ignaro falſum eſſe, nõ relictam eſſe à Verbo negationem vnionis cum natura humana.

Obijcies. Subſiſtentia humana eſt ſubſiſtentia creata; atqui illa non eſt quid poſitiuum: ergo ſubſiſtentia non eſt aliquid poſitiuum.

Minor pr. Subsistentia debita naturæ creatæ Christi est subsistentia humana; atqui illa non est aliquid positiuum: ergo subsistentia humana, non est aliquid positiuum.

Minor pr. Natura humana Christi caret subsistentia humana; atqui non caret aliquo positiuo: ergo subsistentia debita naturæ humanæ Christi, non est aliquid positiuum.

Minor pr. Natura creata Christi non caret aliquo, quod exigit; atqui ex suppositione, quòd illius subsistentia sit quid positiuum, caret aliquo, quod exigit: ergo nō caret aliquo positiuo.

Minor pr Natura creata Christi, exigit suam subsistentiam positiuam; atqui illa caret: ergo ex suppositione, quòd illa sit quid positiuum caret aliquo, quod exigit.

Solutio: *Natura creata Christi exigit suam subsistentiam positiuam, cùm non habet aliam,* Concedo. *cùm habet aliam, scilicet subsistentiam Verbi*, Nego. *& concessa minori; ergo ex suppositione, quòd illa sit quid positiuum, & non habeat aliam, illam nimirum Verbi, caret aliquo quod exigit*, Concedo. *si hanc habeat loco suæ, caret aliquo, quod exigit*, Nego.

Contrà. Natura creata Christi exigit suam subsistentiam positiuam, etiam cùm habet subsistentiam Verbi: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Natura creata Christi exigit, quod assumptum est à Verbo; atqui ipsius subsistentia, si sit positiua, assumpta est à Verbo: ergo exigit suam subsistentiam positiuam, etiam cùm habet subsistentiam Verbi.

Minor pr. Verbum assumpsit quidquid consti-

tuit hominem; atqui subsistentia, si sit positiua, constituit hominem: ergo ipsius subsistentia, si sit positiua assumpta est à Verbo.

Solutio: *Verbum assumpsit quidquid constituit hominem in ratione naturæ*, Concedo. *in ratione suppositi, & personæ*, Nego. *atqui subsistentia, si sit positiua constituit hominem in ratione naturæ*, Nego. *in ratione suppositi*, Concedo. *Ea, quæ hominem constituunt in ratione naturæ, sunt materia, forma, & vnio; in ratione verò personæ, seu suppositi eius subsistentia propria, aut aliena.*

Conclvsio Secvnda:

Materia, & forma etiam coniuncta habent distinctas subsistentias.

Non minùs materia, & forma etiam coniunctæ habent distinctas subsistentias, quàm separatæ; atqui separatæ habent distinctas subsistentias: ergo etiam coniunctæ illas habent.

Maior pr. Ratio, cur non tam habeant distinctam subsistentiam coniunctæ, ac separatæ, est vel quia nõ sunt illius capaces, vel quia sic multiplicantur entia; atqui verè etiam coniunctæ sunt illius capaces, & non multiplicantur entia: ergo non minùs materia & forma, etiã coniunctæ habẽt distinctas subsistentias, quã separatæ.

Prima pars minoris probatur.

Materia, & forma eædem sunt coniunctæ, ac separatæ: ergo tam sunt illius capaces coniunctæ, ac separatæ.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti pr.

Per illud non multiplicantur entia, per quod potiùs vitatur illorum multiplicatio; atqui qui concedit materiæ, & formæ coniunctis propriā subsistentiam, vitat multiplicationem entium: ergo propterea quòd coniunctæ habeant propriam subsistentiam non multiplicantur entia.

Minor pr. Ille vitat multiplicationem entium, qui non cogitur admittere aliquod ens, quod contrarium sentientes tenentur admittere; atqui qui concedit materiæ, & formæ coniunctis propriam subsistentiam, non cogitur admittere aliquod ens, quod contrarium sentientes tenentur admittere: ergo qui concedit materiæ, & formæ coniunctis propriam subsistentiam, vitat multiplicationem entium.

Minor pr. Qui concedit propriam subsistentiam materiæ, & formæ coniunctis, non cogitur admittere vnam illis communem; atqui aduersarij tenentur admittere vnam illis communem, & præterea propriam: ergo qui concedit materiæ, & formæ coniunctis propriam subsistentiam, non cogitur admittere aliquod ens, quod contrarium sentiētes tenentur admittere.

Prima pars minoris clara est, & secunda probatur.

Cùm materia, & forma sunt separatæ aduersarij tenentur concedere illis subsistentiam propriam; atqui sæpe sunt separatæ: ergo aduersarij tenentur sæpè admittere habere propriam subsistentiam.

Maior pr. Cùm materia, & forma sunt separatæ, nō possunt habere vnam communem subsistentiam; atqui cùm non possunt habere vnam

communem, tenentur admittere habere propriam: ergò cùm materia, & forma ſunt ſeparatæ, aduerſarij tenentur concedere illis ſubſiſtentiam propriam.

Minor pr. Vt materia, & forma poſſint habere ſeparatæ vnam ſubſiſtentiam communem, debet illa poni in duobus locis; atqui non poteſt poni in duobus locis: ergo cùm non poſſunt habere vnam communem, tenentur admittere habere propriam.

Minor pr. Ens creatum poni non poteſt naturaliter in duobus locis; atqui ſubſiſtentia eſt ens creatum: ergo poni non poteſt naturaliter in pluribus locis.

CONCLVSIO TERTIA:

Subſtantia creata carere poteſt diuinitus omni ſubſiſtentia.

NON implicat ſubſtantiam carere omni ſubſiſtentia: ergo ſubſtantia creata carere poteſt diuinitus omni ſubſiſtentia.

Minor pr. Vt ſubſtantia creata careat omni ſubſiſtentia, nihil aliud requiritur, quàm vt Deus non concurrat ad illius productionem; atqui hoc non implicat: ergo non implicat etiam ſubſtantiam creatam carere omni ſubſiſtentia.

Minor pr. Non implicat, vt Deus non faciat, quod liberè facit; atqui Deus omnino liberè cōcurrit cum ſubſtantia creata, ad productionem ſubſiſtentiæ ipſius: ergo non implicat, vt Deus non concurrat cum ſubſtantia creata ad produ-

ctionem subsistentiæ ipsius.

Minor pr. Ad illud Deus omnino liberè concurrit, ad quod est liber absolutè, & ex suppositione; atqui Deus vtroque modo est liber in productione subsistentiæ creatæ: ergo Deus omnino liberè concurrit cum substantia, ad productionem subsistentiæ ipsius.

Minor pr. Illud ex suppositione, quod dici potest necessitare Deum, ad præbendum concursum substantiæ creatæ ad producendam suam subsistentiam, non est aliud, quam productio substantiæ creatæ; atqui productio substantiæ creatæ non necessitat Deum, ad præbendum ipsi concursum ad producendam suam subsistentiam: ergo Deus est liber, etiam ex suppositione in productione subsistentiæ creatæ.

Minor pr. Productio vnius entis, non necessitat Deum ad producendum aliud, nisi cùm ex non productione posterioris, sequitur non existentia prioris; atqui ex non productione subsistentiæ creatæ, non sequitur ipsam substantiam creatam non esse: ergo productio substantiæ creatæ non necessitat Deum, ad præbendum ipsi concursum, ad producendam suam subsistentiam.

Minor pr. Sequitur tantùm substantiam, carere suo vltimo complemento; atqui hoc non est ipsam non esse: ergo ex non productione subsistentiæ creatæ, non sequitur ipsam substantiam creatam non esse.

Obijcies Implicat substantiam carere omni subsistentia: ergo etiam diuinitus ea carere non potest.

Minor

Minor pr. Substantia carens omni subsistentia inhæret; atqui implicat substantiam creatam inhærere: ergo implicat illam carere omni subsistentia.

Maior pr. Tam substantia creata carens omni subsistentia inhæret; quàm accidens non inhærens habet modum perseitatis; atqui accidens non inhærens habet modum perseitatis: ergo substantia carens subsistentia inhæret.

Respondeo: *Negando maiorem. Ratio est, quia inhærere est vniri alteri præsupposito, & non esse constitutiuum primæ rei; hoc ipso autem, quod substantia caret omni subsistentia, vniri non debet alteri præsupposito: potest enim nullum huiusmodi habere: cùm autem habere modum perseitatis, nihil aliud sit, quàm non vniri alteri præsupposito, euidens est accidens hoc ipso, quod non inhæret, seu non vnitur alteri præsupposito habere illum modum.*

CONCLVSIO QVARTA:

Substantia creata habere potest duplicem subsistentiam propriam.

AD hoc vt substantia creata habere possit duplicem subsistentiam propriam, non aliud requiritur, quàm, vt cùm noua producitur, antiqua non destruatur; atqui cùm noua producitur, antiqua potest non destrui: ergo substantia creata habere potest duplicem subsistentiam propriam.

Minor pr. Illud fieri potest, ex quo non sequi-

tur esse, & non esse simul, vllius planè rei; atqui ex eo, quod antiqua non destruatur, ad præsentiam nouæ, non sequitur esse, & non esse vllius planè rei: ergo cùm noua producitur, antiqua potest non destrui.

Maior pr. Ex eo, quòd antiqua subsistentia non destruatur ad præsentiam nouæ, non potest sequi esse, & non esse vllius alterius rei, quàm subsistentiæ antiquæ, aut nouæ; atqui non sequitur esse, & non esse, neque antiquæ, neque nouæ: ergo non sequitur esse, & nõ esse vllius planè rei.

Minor pr. Ex eo, quòd subsistentia antiqua non destruatur ad præsentiam nouæ, sequitur tantùm vtriusque esse habere existentiam, tunc cùm vna ex illis illam habere non deberet naturaliter: ergo non sequitur esse, & non esse, neque antiquæ, neque nouæ.

QVINTA CONCLVSIO:

Substantia creata habere potest duplicem subsistentiam, vnam propriam, & alteram alienam.

VT substantia creata habeat duas subsistentias vnam propriam, & alteram alienam, nihil aliud requiritur, quàm vt, cùm ponitur aliena, ipsa effundat propriam; atqui ipsa effundere potest propriam, cùm ponitur aliena: ergo substantia creata habere potest duplicem subsistentiam, vnam propriam, & alteram alienam.

Minor pr. Substantia creata effundere potest id, ad quod habere potest concursum Dei para-

tum ; atqui habere poteſt concurſum Dei paratum ad effundendum propriam, cùm ponitur aliena : ergo effundere poteſt propriam cùm ponitur aliena.

Minor pr. Nihil eſt aliud,quod impedire poſſit Deum,ne præbeat ipſi ſuum concurſum ad effundendã propriam, cùm ponitur aliena, quàm eius ſuperfluitas;atqui illa ſuperfluitas impedire non poteſt Deum ab hoc concurſu præſtando: ergo habere poteſt concurſum Dei paratum ad effundendam propriam,cùm ponitur aliena.

Minor pr. Deus velle poteſt , & operari ſuperflua naturaliter: ergo illa ſuperfluitas impedire non poteſt Deum ab hoc concurſu præſtando.

Antecedens pr. Superfluum eſt naturaliter,vt effectus aliquis fiat duplici actione totali;atqui Deus poteſt illum producere duplici actione totali,vt probabimus in tractatu de cauſis : ergo De⁹ poteſt velle,& operari ſuperflua naturaliter.

Obijcies. Homo eſt ſubſtantia creata ; atqui homo non poteſt habere vnam propriam ſubſiſtentiam , alteram alienam : ergo ſubſtantia creata habere non poteſt duplicem ſubſiſtentiam , vnam propriam , & alteram alienam.

Minor pr Subſiſtentia propria hominis eſt humana , & aliena diuina ; atqui homo non poteſt habere ſubſiſtentiam humanam,& diuinam:ergo non poteſt habere vnam propriam , alteram alienam.

Minor pr. Chriſtus eſt homo ; atqui Chriſtus non potuit habere ſubſiſtentiam humanam ſimul cum diuina : ergo homo habere non poteſt ſubſiſtentiam humanam , & diuinam.

Minor pr. Illam subsistentiam Christus habere non potuit, quam non habuit, nec habet iam; atqui Christus non habuit vnquam, nec habet iam humanam: ergo Christus non potuit habere subsistentiam diuinam simul cum humana.

Maior pr. Ex suppositione, quod Christus habere potuerit subsistentiam humanam cum diuina, debet esse aliqua ratio, cur habeat tantùm diuinam; atqui nulla est ratio cur habeat tantùm diuinam: ergo habere non potuit illam subsistentiam, quam non habet iam.

Minor pr. Ratio illa non potest esse alia, quàm quia non exigit duplicem; atqui hæc ratio nulla est: ergo nulla est ratio, cur habeat tantùm diuinam.

Minor pr. Vt hæc ratio bona sit debet exigentia illa præualere ei, quam habet habendi propriam; atqui non præualet illi exigentiæ: ergo hæc ratio nulla est.

Minor pr. Tam exigit habere propriam, quàm non habere duplicem: ergo non præualet illi exigentiæ.

Solutio: *Respondeo negando antecedens. Ratio est; quia exigentia habendi propriam est tantùm conditionata, ex suppositione scilicet, quòd non habeat alienam: alia verò non habendi duplicem est absoluta, ac proinde maior.*

Conclvsio Sexta:

Cauſa materialis, & efficiens ſubſiſtentiæ, eſt ſubſtántia creata.

Illvd eſt cauſa efficiens, & materialis ſuæ ſubſiſtentiæ, quod eã efficit, & recipit; atqui ſubſtantia creata efficit, & recipit ſuam ſubſiſtentiam: ergo eſt illius cauſa efficiens, & materialis.

Prima pars minoris probatur.

Non minùs ſubſtantia creata efficit ſuam ſubſiſtentiam, quàm paſſiones; atqui ſubſtantia creata efficit ſuas paſſiones: ergo & ſubſiſtentiam.

Maior pr. Ideò efficit ſuas paſſiones, quia ei ſunt debitæ; atqui etiam ei eſt debita ſubſiſtentia: ergo non minùs efficit ſuam ſubſiſtentiam quàm paſſiones.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti probatur.

Illud recipit ſubſiſtentiam, cui illa communicat ſuum effectum formalem; atqui ſubſiſtentia communicat ſuum effectum formalem ſubſtantiæ: ergo ſubſtantia illam recipit.

Minor pr. Subſiſtentia communicat ſuum effectum formalem illi, quod facit ſubſiſtens, atqui ſubſiſtentia facit ſubſiſtentem ſubſtantiam: ergo communicat illi ſuum effectum formalem.

Ex dictis inferes primò, ſubſiſtentiam eſſe complementum ſubſtantiæ, ſiue creatæ, ſiue

increatæ, siue simplicis, siue compositæ, non in ratione naturæ, à qua realiter distinguitur, sed suppositi, & subsistentis completè, & vltimo.

Secundò, sortiri varia nomina, pro diuersitate substantiarum, quas vltimò complet. Cùm enim hoc munus exercet in substantiis intellectualibus, appellatur personalitas; cùm verò est vltimus terminus aliarum substantiarum, quæ non sunt intellectuales, dicitur communi nomine subsistentia, & constitutum per illam suppositum, quod quidem nomen tribui etiam potest toti conflato ex natura intellectuali, & eius personalitate, sicut & persona; sed hæc non dicitur similiter de totis inanimatis, aut irrationalibus. Quò fit vt suppositum latiùs pateat persona: illud siquidem conuenit omnibus, quibus ista, & prætereà aliis, nimirum compositis non intellectualibus.

DISPVTATIO III.

De Deo, & Angelis.

CVM Metaphysici sit agere non tantùm de ente, substantia, & accidente in genere; sed præterea de substantia immateriali in particulari: duabus præcipuis istius speciebus, quæ sunt Deus, & Angeli hanc tribuimus disputationem.

SECTIO PRIMA.

De Existentia Dei.

EX pluribus, quæ afferri solent firmissimis rationibus ad demonstrandam euidentiam diuinæ existentiæ, vnicam tantùm nostro more proponemus: facile est videre alias apud Theologos in primam partem.

VNICA CONCLVSIO:

Euidens est dari Deum.

DEVS est ens, quo nullum melius, aut perfectius excogitari potest; atqui euidens est dari ens quo nullum melius, aut perfectius excogitari potest: ergo euidens est dari Deum.

Minor pr. Ens, quo nullum melius, aut perfectius excogitari potest, est illud, quod à nullo est, & ab ipso sunt cætera omnia; atqui euidens est dari ens, quod à nullo est, & ab ipso sunt cætera omnia: ergo euidens est dari ens, quo nullum melius, aut perfectius potest excogitari.

Minor pr. Ens illud à nullo est, & ab ipso sunt cætera omnia, quod est à se; atqui euidens est dari ens à se: ergo euidens est dari ens, quod à nullo est, & ab ipso sunt cætera omnia.

Minor pr. Tam euidens est dari ens à se, quàm ens ab alio; atqui euidens est dari ens ab alio: ergo euidens etiam est dari ens à se.

Maior pr. Tam euidens est dari, id, quod est necessarium, vt sit ens ab alio, quàm ipsum ens

ab alio; atqui ens à se, est quid necessarium, vt sit ens ab alio: ergo tam euidens est dari ens ab alio, quàm ens à se.

Minor pr. Illud est necessarium, vt sit ens ab alio, à quo ens ab alio mutuari debet suum esse; atqui ens ab alio mutuari debet suum esse ab ente à se: ergo ens à se est quid necessarium, vt sit ens ab alio.

Minor pr. Ens ab alio mutuari debet suum esse ab aliquo; atqui non potest illud mutuari ab alio, quàm ab ente à se: ergo ens ab alio mutuari debet suum esse ab ente à se.

Minor pr. Ens ab alio non potest mutuari suum esse ab vllo alio, quàm ab ente à se, vel ab alio ente ab alio; atqui non potest illud mutuari ab altero ente ab alio: ergo non potest illud mutuari ab alio, quàm ab ente à se.

Maior pr. Ens illud ab alio debet necessariò iam, & hoc instanti, quo illud aliud ab ipso mutuatur esse, mutuari ipsummet suum esse, vel ab ente à se, vel ab ente ab alio; atqui dici non potest, quod illud mutuetur ab ente ab alio: ergo ens ab alio non potest mutuari suum esse ab altero ente ab alio.

Probatur primò maior.

Non sufficit vt illud quod dat esse alteri, & à quo istud accipit esse, ipsum mutuatum sit ab alio antea esse, si iam etiam illud non mutuetur: ergo ens illud ab alio debet necessariò iam, & hoc instanti, quo illud aliud ab ipso mutuatur esse, mutuari ipsummet suum esse vel ab ente à se, vel ab ente ab alio.

Antecedens pr. Quod aliquo tempore non mu-

tuatur esse ab alio est à se; atqui ens quod antea mutuatum est suum esse ab alio nõ est à se: ergo nõ sufficit, vt illud, quod dat esse alteri,& à quo istud accipit esse ipsummet antea,sit mutuatum suũ esse ab alio, si iam illud etiã non mutuetur.

Respondent aliqui: *Quòd aliquo tempore non mutuatur esse ab alio, est à se pro illo tempore,* Concedo. *pro alio, eo scilitet, quo antea est mutuatum suum esse ab alio*, Nego. *Atqui ens, quod antea mutuatum est suum esse ab alio, non est à se, pro tempore, pro quo mutuatum est illud*, Concedo. *pro quo iam non mutuatur illud*, Nego.

Contrà. Quod aliquando est à se æternum debet durare; atqui quæ videmus dare esse alijs rebus, non durant æternum: ergo non sunt à se etiam cùm illis illud communicant.

Maior pr. Quod non destruitur per positionem contrarij, defectum subiecti, aut causæ conseruantis, æternum debet durare; atqui quod aliquando est à se, non destruitur per positionem contrarij, defectum subiecti, aut causæ conseruantis: ergo quod aliquando est à se, debet durare æternum.

Probatur primò maior.

Non admittitur alius modus destructionis, quàm per positionem contrarij,defectum subiecti; aut causæ conseruantis: ergo quod non destruitur per positionem cõtrarij, defectũ subiecti, aut causæ cõseruantis,debet durare æternũ.

Probatur secundò minor præcedentis argumenti.

Quod non habet nec contrariũ,nec subiectum, & est ipsummet sibi causa cõseruans,nõ destruitur per positionem contrarij,defectum subiecti,

aut causæ conseruantis; atqui homo, brutum, planta, lapis, ignis, &c. non habent contrarium, nec subiectum, & ex suppositione quòd sint à se, sunt causa conseruatiua sui ipsorum: ergo quod aliquando est à se, non destruitur per positionem contrarij defectum subiecti, aut causæ conseruantis.

Maioris duæ primæ partes claræ sunt, & probatur tertia.

Quamdiu causa conseruans non cessat à conseruatione effectus, hic non destruitur per defectum causæ conseruantis; atqui quod est causa conseruatiua sui ipsius, nó cessat à sui conseruatione: ergo quod est causa conseruatiua sui, non destruitur per defectum causæ conseruantis.

Minor pr. Causa conseruans non habet contrarium, quod ipsam cogat cessare à sui conseruatione, & ipsa tantùm abest vt feratur se ipsa, & sponte ad huiusmodi cessationem, vt ab ea maximè abhorreat: ergo quod est causa conseruatiua sui ipsius, non cessat à sui conseruatione.

Probatur secundò minor argumenti superiùs facti. Ens ab alio, à quo illud dicitur mutuari suum esse, non mutuari ipsummet iam, & hoc instanti suum esse ab alio ente ab alio.

Tertium illud Ens ab alio, à quo secundum mutuatur esse vt det primo allato, vel ipsummet mutuatur suum esse à quarto alio ente ab alio, & illud quartum à quinto, quintum à sexto, & sic in infinitum, vel non; atqui neutrum dici potest: ergo dici non potest ens ab alio, à quo illud primò allatum dicitur mutuari esse, mutuari ipsummet iam, & hoc instanti suum esse ab alio.

Secunda pars minoris non eget probatione, qui enim illam admittit, dat nobis illud ens à se, quod asserimus, & prima probatur.

Tertium ens ab alio mutuari suũ esse à quarto ente ab alio, quartum istud à quinto, quintum verò à sexto, & sic in infinitum est quodcunque ens ab alio iam existens, pendere iam, & hoc instanti ab infinitis actu causis; atqui euidens est ens ab alio iam existens non pendere iam, & hoc instanti ab infinitis actu causis: ergo tertium ens ab alio, à quo secundum mutuatur esse, vt det primo allato, non mutuatur suũ esse à quarto ente ab alio, neque istud quartum à quinto, aut quintum à sexto, & sic in infinitum.

Minor pr. Ens ab alio iam existens non potest pendere, & fieri ab iis causis, quæ non existunt; atqui euidens est non esse iam infinitas causas actu existentes: ergo euidens est ens ab alio iam existens non pendere iam, & hoc instanti ab infinitis actu causis.

Minor pr. Infinitæ causæ hominum, v.g. aut animalium iam existentium sunt infiniti homines, aut animalia; atqui euidens est non existere de facto infinitos homines, aut animalia: ergo euidens est non esse infinitas causas actu existentes hominum, v. g. aut animalium.

Minor pr. Euidens est non esse alios homines, causas Petri, v. g. quàm eos, qui sunt in mundo; atqui euidens est, eos qui sunt in hoc mundo non esse infinitos: ergo euidens est non existere de facto infinitos homines.

Minor pr. Infiniti homines occupant spatium infinitum; atqui qui sunt in hoc mundo, non oc-

cupant ſpatium infinitum: ergo non ſunt infiniti.

Minor pr. Occupant tantùm ſpatium huius mundi; atqui illud non eſt infinitum: ergo non occupant ſpatium infinitum.

SECTIO II.

De quibuſdam diuinis perfectionibus.

PERFECTIONES dicuntur eſſe à Sanctis Patribus, & Theologis, duplicis generis. Primæ ſunt illæ, quæ in ſuo conceptu nullam inuoluunt imperfectionem, meliúſque eas eſt habere, quàm oppoſitas, vocantúrque perfectiones ſimpliciter ſimplices; huiuſmodi ſunt viuere, intelligere, velle, &c. Secundæ dicuntur perfectiones ſecũdùm quid, quia in ſuo cõceptu obiectiuo inuoluunt imperfectionem aliquam, v. g. dependentiam ab alio, limitationem, potentiam ad non eſſe, aut ſimile quidpiam, & huius rationis ſunt omnes perfectiones creatæ, quæ propterea non poſſunt dici perfectiones abſolutè; & ſimpliciter, ſed ſecundùm quid.

Perfectiones iſtæ poſteriores non ſunt in Deo formaliter, cùm enim vehant ſecum ſuam illã imperfectionẽ, quam inuoluunt, eã Deo tribuerẽt: quod eſt impoſſibile. Dixi formaliter, quia non repugnat dici eſſe in Deo eminenter, quatenus ſcilicet Deus illas poteſt producere, aut præſtare nobiliori modo quidquid illæ præſtãt.

PRIMA CONCLVSIO:

Deus est infinitus in essentia, & perfectione.

ILLVD est infinitum in perfectione, quod continet omnem omninò perfectionem possibilem; atqui Deus continet omnem omninò perfectionem possibilem: ergo est infinitus in essentia,& perfectione.

Minor pr. Illud continet omnem perfectionem possibilem, quod est ens à se; atqui Deus est ens à se: ergo continet omnem perfectionem possibilem.

Maior pr. Perfectio quæcumque possibilis est, vel à se vel ab alio; atqui ens à se continet omnem perfectionem à se, & ab alio: ergo & omnem possibilem.

Prima pars minoris patet, & secunda probatur. Quod dat esse perfectioni ab alio, illam continet; atqui ens à se dat esse perfectioni ab alio: ergo illam continet.

Minor pr. Ens à se dat esse omni enti ab alio; atqui perfectio ab alio est ens ab alio: ergo ens à se dat esse perfectioni ab alio.

Obijcies. Essentia Dei, & perfectiones ipsius sunt finitæ; ergo Deus non est infinitus in perfectione.

Antecedens pr. Quod est determinatum, est finitum; atqui perfectiones Dei sunt determinatæ: ergo & finitæ.

Solutio: *Quod est determinatum, seu hoc, &*

non aliud, est finitum, Nego. *per hoc enim quod sit infinitum potest habere; quod non sit aliud, quod sit finitum. Quod est determinatum, hoc est, limitatum, est finitum*, Concedo. *atqui perfectiones Dei sunt determinata, hoc est ha, & non alia*, Concedo. *hoc est limitata*. Nego.

Contrà. Perfectiones illimitatæ sunt omnes perfectiones possibiles; atqui perfectiones Dei non sunt omnes perfectiones possibiles: ergo perfectiones Dei non sunt illimitatæ.

Solutio: *Perfectiones illimitata formaliter sunt omnes perfectiones possibiles*, Concedo. *virtualiter tantùm*, Nego. *atqui perfectiones Dei non sunt omnes perfectiones possibiles formaliter*, Concedo. *eminenter*. Nego. *est enim causa omnium*. *Quod sufficit ad infinitatem in perfectione*.

Contrà Infinitum in perfectione debet esse omnes perfectiones possibiles formaliter, & non tantum eminenter: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non minùs infinitum in perfectione debet esse omnes perfectiones possibiles formaliter, quàm infinitum in magnitudine in omnem dimensionẽ omnis moles possibilis formaliter; atqui infinitum in magnitudine in omnem dimensionem est omnis moles possibilis formaliter: ergo infinitum in perfectione debet esse omnes perfectiones possibiles formaliter.

Minor pr. Infinitum in magnitudine in omnem dimensionem, continet in se molem finitam omnium maximam: ergò & omnem possibilem formaliter.

Antecedens pr. Moles non continens in se finitam aliquam molem omniũ maximam, non est

infinita; atqui moles infinita in omnem dimensionem non potest dici non esse infinita: ergo infinitum in magnitudine in omnem dimensionem continet in se molem finitam omnium maximam.

Maior pr. Quod non superat finitum omnium maximum, non est infinitum; atqui moles non continens & non habens in se molem omnium maximam, non superat finitam omnium maximam: ergo non est infinita.

Maior pr Quod non excedit omne finitum non est infinitum; atqui quod non superat finitum omnium maximum, non excedit omne finitum, ergo non est infinitum.

Solutio: *Quod non excedit omne finitum, quod dari potest, non est infinitum*, Concedo. *quod non excedit aliquod finitũ, quod dari non potest, & est impossibile*, Nego. *atqui illud non excedit omne finitum, quod non superat finitum omnium maximum. & hoc dari non potest*, Concedo. *& dari potest*, Nego. *Ratio est quia tantillulum quod adderetur illi maximo finito, vel faceret illud infinitũ, & sic duo finita certa, & determinata facerent infinitum, quod implicat, vel relinqueret finitum tantùm, quod etiam dici non potest: sequeretur enim illud, quod supponebatur esse finitum omnium maximum, non esse tale: quippe quod per additionem tantillulũ illius ipsi factam fiat maius.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Deus est vnicus.

Illvd est vnicum, quod non habet alia se-

[illegible] & [illegible] atqui Deus
[illegible] rationis, &
[illegible]

[illegible] rationis, & spe-
[illegible] est alius
[illegible] eiusdem
[illegible]

[illegible] esse necessariò
[illegible] perfectus,
[illegible] neque perfe-
[illegible] ac noster:
[illegible] Deus.

[illegible]

[illegible] nostrum non esse
[illegible] Deus: ergo ille a-
[illegible] nostro.

[illegible] non esse Deum,
[illegible] omnem omninò
[illegible] Deus perfectior
[illegible] eandem omni-
[illegible] facit nostrum
[illegible]

[illegible] non habere ex-
[illegible] facit non habere
[illegible] atqui Deus per-
[illegible] non habere exces-
[illegible] facit non habere
[illegible] possibilem.

[illegible] nostrum non ha-
[illegible] , quam habet
[illegible] nostrum non habere exces-
[illegible] atqui Deus perfectior
[illegible] non habere maiorem illā

perfectionem : ergo facit non habere excessum aliquem perfectionis.

Secunda pars minoris superioris argumenti, illum alium Deum non posse dici minus perfectum nostro, probatur.

Deus minùs perfectus nostro, non est Deus: ergo ille alius Deus non est minùs perfectus nostro.

Antecedens pr. Deus minùs perfectus nostro, non habet omnem omninò perfectionem possibilem; atqui quod non habet omnem omninò perfectionem possibilem non est Deus : ergo Deus minùs perfectus nostro, non est Deus.

Tertia pars minoris superioris argumenti, illum alium Deum non posse etiam dici æquè perfectum ac nostrum, probatur.

Deus æquè perfectus, ac noster, facit, & se, & nostrum, non esse Deum : ergo ille alius non est æquè perfectus, ac noster.

Antecedens pr Illud facit nostrum non esse Deum, quod facit illum non esse perfectè Dominum creaturarum; atqui Deus æquè perfectus ac noster, facit illum non esse perfectè Dominum creaturarum : ergo facit illum non esse Deum.

Minor pr. Illud facit nostrum non esse perfectè Dominum creaturarum, quod facit, ne disponere possit ad libitũ de creaturis; atqui Deus æquè perfectus, ac noster, facit, ne possit disponere ad libitum de creaturis:ergo facit nostrum non esse perfectè Dominum creaturarum.

Minor pr. Illud facit, ne noster disponere possit de creaturis ad libitum,quod opponere se po-

test eius voluntati; atqui Deus æquè perfectus, ac noster, opponere se potest eius voluntati: ergo Deus æquè perfectus, ac noster, facit ne possit disponere ad libitum de creaturis.

Minor pr. Quod habet distinctam voluntatem ab alio, opponere se potest eius voluntati; atqui Deus æquè perfectus, ac noster, habet distinctam voluntatem à nostro: ergo opponere se potest eius voluntati.

Maior pr. Quod habere potest diuersum velle ab alio, opponere se potest eius voluntati; atqui quod habet distinctam voluntatem ab alio, habere potest diuersum velle ab ipso: ergo quod habet distinctam voluntatem ab alio opponere se potest eius voluntati.

TERTIA CONCLVSIO:

Deus est omnipotens.

ILLE est omnipotens, qui est productiuus omnis eius, quod est factibile; atqui Deus est productiuus omnis eius, quod est factibile: ergo Deus est omnipotens.

Minor pr Quidquid est factibile, & potest causari, est ens ab alio; atqui Deus est productiuus omnis entis ab alio: ergo & omnis eius, quod est factibile.

Minor pr. Ens à se est productiuum omnis entis ab alio ex prima conclusione, & ex eadem Deus est ens à se: ergo Deus est productiuus omnis entis ab alio.

QVARTA CONCLVSIO:

Omnipotentia diuina refertur relatione transcendentali ad creaturas possibiles.

RELATIO transcendentalis est respectus intrinsecus vnius rei ad aliam; atqui omnipotentia diuina est respectus intrinsecus ad creaturas possibiles: ergo omnipotētia diuina refertur relatione transcendentali ad creaturas possibiles.

Minor pr. Potentia productiua alicuius est respectus intrinsecus ad illud; atqui omnipotentia est potentia productiua creaturarum possibilium: ergo omnipotentia est respectus intrinsecus ad creaturas possibiles.

Maior pr. Quod importat habitudinem intrinsecam ad aliud, est respectus intrinsecus ad illud; atqui potentia productiua alicuius importat habitudinem intrinsecam ad illud: ergo potentia productiua alicuius est respectus intrinsecus ad illud.

Respondent. *Quod importat habitudinem intrinsecam ad aliud realem est respectus etiam intrinsecus realis ad illud*, Concedo. *habitudinem tantùm intrinsecam secundùm dici, est respectus intrinsecus realis ad illud*, Nego. *atqui potentia productiua alicuius importat habitudinem realem ad illud, vel secundùm dici*, Concedo. *realem tantùm*, Nego. *Ea autem quam dicit omnipotentia est tantùm, inquiunt, secundùm dici.*

Contrà. Illa habitudo est realis, & nō tantùm secundùm dici, quæ est independenter ab omni

cognitione; atqui habitudo potentiæ productiuæ alicuius ad illud aliquid est independenter ab omni cognitione: ergo habitudo illa est verè realis, & non tantùm secundum dici.

Minor pr Habitudo illa nihil est aliud, quàm vis actiua rei illius, in qua dicitur esse potentia actiua; atqui vis actiua rei illius est independenter ab omni cognitione: ergo habitudo illa est independenter ab omni cognitione.

Minor pr. Vis illa actiua est idem cum entitate illius rei; atqui res illa est independenter ab omni cognitione: ergo & vis actiua illius rei.

Solutio: *Atqui res illa est independenter ab omni cognitione, hoc est non concipitur per species rei relatiuæ,* Nego. *repræsentatur per species rei relatiuæ,* Concedo. *ergo & vis actiua illius rei est independenter ab omni cognitione, hoc est, non repræsentatur per species rei relatiuæ,* Nego. *repræsentatur per huiusmodi species (in quo consistit relatio secundùm dici) sine vllo vero, & reali respectu,* Concedo.

Contrà. Cognitio diuina, quæ habet pro obiecto vim actiuam alicuius repræsentat in illa veram, & realem habitudinem ad illud: ergo habitudo vis actiuæ alicuius ad illud est in illa verè, & realiter, & non tantùm, quia repræsentatur per species rei relatiuæ.

Antecedens pr. Cognitio diuina repræsentat, quod illa vis actiua verè est; atqui verè, & reipsa est habitudo, & ordo ad aliud: ergo cognitio diuina quæ habet pro obiecto vim actiuam alicuius, repræsentat veram, & realem habitudinem ad illud.

Minor pr. Tam vis actiua alicuius est verè, & reipsa habitudo ad illud, quàm visio ad id, quod potest videri, & auditio ad id, quod potest audiri; atqui visio & auditio sunt vera, & realis habitudo, seu repræsentatio eius, quod potest videri, & audiri: ergo vis actiua alicuius est verè & reipsa habitudo, & ordo ad aliud.

Minor pr. Ideo visio est verè, & reipsa habitudo ad id, quod potest videri, quia intelligi nõ potest, non intellecto eo, quod potest per illam videri; atqui etiã vis actiua intelligi non potest, non intellecto eo, cuius est vis actiua: ergo tam vis actiua alicuius est verè, & reipsa habitudo ad illud, quàm visio ad id, quod potest videri.

Obijcies. Omnipotentia diuina non est respectus intrinsecus Dei ad creaturas possibiles: ergo omnipotentia diuina non refertur relatione transcendentali ad creaturas possibiles.

Antecedens pr. Quod est respectus intrinsecus ad creaturas possibiles, vna ex ipsis facta impossibili, fit & ipsum impossibile; atqui facta impossibili aliqua ex creaturis possibilibus omnipotentia diuina, seu Deus non fit impossibilis: ergo omnipotentia diuina non est respectus intrinsecus ad creaturas possibiles.

Vt probetur minor, suppono illam creaturam, quæ ex possibili fit impossibilis esse formicam, aut granum millij, & hoc posito, sic argumentor:

Non est probabile Deum, & ipsius omnipotentiam fieri impossibilem formica, & grano millij factis impossibilibus: ergo facta impossibili aliqua ex creaturis possibilibus, Deus non est impossibilis.

Antecedens pr. Illius possibilitas non est minor possibilitate Dei, cuius impossibilitas inducit impossibilitatem Dei; atqui non est probabile possibilitatem formicæ, aut grani milij non esse minorem possibilitate Dei: ergo Deus non fit impossibilis factis impossibilibus formica, aut grano milij.

Solutio: *Illius possibilitas non est minor possibilitate Dei, hoc est minus immutabilis, cuius impossibilitas inducit impossibilitatem Dei,* Concedo. *minus excellens & nobilis*, Nego. *atqui possibilitas formicæ debet dici minor possibilitate Dei, hoc est minus immutabilis*, Nego. *tamenim est inuariabile formicam semel possibilem non posse fieri impossibilem, ac Deum: hoc est minus nobilis,* Concedo. *Diuina siquidem est infinities perfectior quacumque creata*

Contrà. Æquè possibilitas formicæ, & cuiuscunque alterius rei creatæ non est tam inuariabilis ac diuina, quàm creaturæ terminus necessarius respectus intrinseci Dei ad ipsas; atqui creaturæ non sunt terminus necessarius respectus intrinseci Dei ad ipsas: ergo possibilitas formicæ, & cuiuscunque alterius rei creatæ non est tam inuariabilis, ac possibilitas Dei.

Minor pr. Res quælibet pendet ab eo, quod est terminus necessarius respectus intrinseci, quem ad illud dicit; atqui Deus non pendet à creaturis: ergo creaturæ non sunt terminus necessarius respectus intrinseci Dei ad ipsas.

Solutio: *Res qualibet pendet causaliter ab eo, quod est terminus necessarius respectus intrinseci, quem ad illud dicit*, Nego. *pendet terminatiuè,*

Concedo. *atqui Deus non pendet à creaturis causaliter, seu non accipit esse ab illis*, Concedo. *terminatiuè seu ipsa non accipiunt esse à Deo, & non sunt id, ad quod terminatur efficientia diuina*, Nego. *Ex hoc autem tantùm abest vt argui possit vlla imperfectio in Deo, vt potiùs ostendi possit maxima perfectio. Tanta scilicet, quanta est in eo, quod est esse id, à quo catera omnia emendicare, & mutuari debent suum esse.*

Atque ex his colligi potest, primò eodem modo philosophandum esse de scientia simplicis intelligentiæ, seu repræsentatione rerum possibilium, & amore necessario earundem; habent enim similiter connexionem necessariam cum creaturis possibilibus.

Colligi potest secundò; omnipotentiam subordinari intellectui & voluntati Dei, illi quidem vt dirigenti, isti verò vt applicanti. Deus enim non operatur nisi sciens, & volens. Iuxta hunc sensum explicanda sunt tum ea scripturæ loca, quæ tribuunt voluntati diuinæ effectionem omnium rerum, tum ij auctores intelligendi, qui dicunt scientiam & liberum Dei decretum esse causam rerum; scientia enim est causa dirigens, & voluntas applicans omnipotentiam exequentem, quæ ista iubet, & illa proponit.

non aliud, est finitum, Nego. *per hoc enim quod sit infinitum potest habere; quod non sit aliud, quod sit finitum. Quod est determinatum, hoc est, limitatum, est finitum*, Concedo. *atqui perfectiones Dei sunt determinata, hoc est hæ, & non aliæ*, Concedo. *hoc est limitata*, Nego.

Contrà. Perfectiones illimitatæ sunt omnes perfectiones possibiles; atqui perfectiones Dei non sunt omnes perfectiones possibiles: ergo perfectiones Dei non sunt illimitatæ.

Solutio: *Perfectiones illimitata formaliter sunt omnes perfectiones possibiles*, Concedo. *virtualiter tantùm*, Nego. *atqui perfectiones Dei non sunt omnes perfectiones possibiles formaliter*, Concedo. *eminenter*, Nego. *est enim causa omnium. Quod sufficit ad infinitatem in perfectione.*

Contrà Infinitum in perfectione debet esse omnes perfectiones possibiles formaliter, & non tantum eminenter: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non minùs infinitum in perfectione debet esse omnes perfectiones possibiles formaliter, quàm infinitum in magnitudine in omnem dimensionẽ omnis moles possibilis formaliter; atqui infinitum in magnitudine in omnem dimensionem est omnis moles possibilis formaliter: ergo infinitum in perfectione debet esse omnes perfectiones possibiles formaliter.

Minor pr. Infinitum in magnitudine in omnem dimensionem, continet in se molem finitam omnium maximam: ergo & omnem possibilem formaliter.

Antecedens pr. Moles non continens in se finitam aliquam molem omniũ maximam, non est

infinita; atqui moles infinita in omnem dimensionem non potest dici non esse infinita: ergo infinitum in magnitudine in omnem dimensionem continet in se molem finitam omnium maximam.

Maior pr. Quod non superat finitum omnium maximum, non est infinitum; atqui moles non continens & non habens in se molem omnium maximam, non superat finitam omnium maximam: ergo non est infinita.

Maior pr Quod non excedit omne finitum non est infinitum; atqui quod non superat finitum omnium maximum, non excedit omne finitum, ergo non est infinitum.

Solutio: *Quod non excedit omne finitum, quod dari potest, non est infinitum*, Concedo. *quod non excedit aliquod finitũ, quod dari non potest, & est impossibile,* Nego. *atqui illud non excedit omne finitum, quod non superat finitum omnium maximum. & hoc dari non potest,* Concedo. *& dari potest,* Nego. *Ratio est quia tantillulum quod adderetur illi maximo finito, vel faceret illud infinitũ, & sic duo finita certa, & determinata facerent infinitum, quod implicat, vel relinqueret finitum tantùm, quod etiam dici non potest: sequeretur enim illud, quod supponebatur esse finitum omnium maximum, non esse tale: quippe quod per additionem tantilluli illius ipsi factam fiat maius.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Deus est vnicus.

ILLVD est vnicum, quod non habet alia se-

cum eiusdem rationis, & speciei; atqui Deus non habet alia entia secum eiusdem rationis, & speciei: ergo Deus est vnicus.

Maior pr. Alia entia eiusdem rationis, & speciei cum Deo, sunt alij Dij, sed nullus est alius Deus: ergo Deus non habet alia entia eiusdem rationis, & speciei secum.

Minor pr. Ille alius Deus debet esse necessariò perfectior, minùs perfectus, aut æquè perfectus, ac noster; atqui non potest dici neque perfectior, neque minùs, aut æquè perfectus ac noster: ergo nullus est alius Deus.

Prima pars minoris probatur.

Deus perfectior nostro facit nostrum non esse Deum; atqui noster verè est Deus: ergo ille alius Deus non potest dici perfectior nostro.

Maior pr. Illud facit nostrum non esse Deum, quod facit illum non habere omnem omninò perfectionem possibilem; atqui Deus perfectior nostro facit nostrum non habere omnem omninò perfectionem possibilem: ergo facit nostrum non esse Deum.

Maior pr. Quod facit nostrum non habere excessum aliquem perfectionis, facit non habere omnem omnino perfectionem; atqui Deus perfectior nostro, facit nostrum non habere excessum aliquem perfectionis: ergo facit non habere omnem omninò perfectionem possibilem.

Minor pr. Quod facit Deum nostrum non habere maiorem illam perfectionem, quam habet ille perfectior, facit nostrum non habere excessum aliquem perfectionis; atqui Deus perfectior nostro, facit nostrum non habere maiorem illã

perfectionem : ergo facit non habere excessum aliquem perfectionis.

Secunda pars minoris superioris argumenti, illum alium Deum non posse dici minus perfectum nostro, probatur.

Deus minùs perfectus nostro, non est Deus: ergo ille alius Deus non est minùs perfectus nostro.

Antecedens pr. Deus minùs perfectus nostro, non habet omnem omninò perfectionem possibilem; atqui quod non habet omnem omninò perfectionem possibilem non est Deus : ergo Deus minùs perfectus nostro, non est Deus.

Tertia pars minoris superioris argumenti, illum alium Deum non posse etiam dici æquè perfectum ac nostrum, probatur.

Deus æquè perfectus, ac noster, facit, & se, & nostrum, non esse Deum : ergo ille alius non est æquè perfectus, ac noster.

Antecedens pr Illud facit nostrum non esse Deum, quod facit illum non esse perfectè Dominum creaturarum; atqui Deus æquè perfectus ac noster, facit illum non esse perfectè Dominum creaturarum : ergo facit illum non esse Deum.

Minor pr. Illud facit nostrum non esse perfectè Dominum creaturarum, quod facit, ne disponere possit ad libitũ de creaturis; atqui Deus æquè perfectus, ac noster, facit, ne possit disponere ad libitum de creaturis: ergo facit nostrum non esse perfectè Dominum creaturarum.

Minor pr. Illud facit, ne noster disponere possit de creaturis ad libitum, quod opponere se po-

test eius voluntati; atqui Deus æquè perfectus, ac noster, opponere se potest eius voluntati: ergo Deus æquè perfectus, ac noster, facit ne possit disponere ad libitum de creaturis.

Minor pr. Quod habet distinctam voluntatem ab alio, opponere se potest eius voluntati; atqui Deus æquè perfectus, ac noster, habet distinctam voluntatem à nostro: ergo opponere se potest eius voluntati.

Maior pr. Quod habere potest diuersum velle ab alio, opponere se potest eius voluntati; atqui quod habet distinctam voluntatem ab alio, habere potest diuersum velle ab ipso: ergo quod habet distinctam voluntatem ab alio opponere se potest eius voluntati.

TERTIA CONCLVSIO:

Deus est omnipotens.

ILLE est omnipotens, qui est productiuus omnis eius, quod est factibile; atqui Deus est productiuus omnis eius, quod est factibile: ergo Deus est omnipotens.

Minor pr. Quidquid est factibile, & potest causari, est ens ab alio; atqui Deus est productiuus omnis entis ab alio: ergo & omnis eius, quod est factibile.

Minor pr. Ens à se est productiuum omnis entis ab alio ex prima conclusione, & ex eadem Deus est ens à se: ergo Deus est productiuus omnis entis ab alio.

QVARTA CONCLVSIO:

Omnipotentia diuina refertur relatione transcendentali ad creaturas possibiles.

RELATIO transcendentalis est respectus intrinsecus vnius rei ad aliam; atqui omnipotentia diuina est respectus intrinsecus ad creaturas possibiles: ergo omnipotētia diuina refertur relatione transcendentali ad creaturas possibiles.

Minor pr. Potentia productiua alicuius est respectus intrinsecus ad illud; atqui omnipotentia est potentia productiua creaturarum possibilium: ergo omnipotentia est respectus intrinsecus ad creaturas possibiles.

Maior pr. Quod importat habitudinem intrinsecam ad aliud, est respectus intrinsecus ad illud; atqui potentia productiua alicuius importat habitudinem intrinsecam ad illud: ergo potentia productiua alicuius est respectus intrinsecus ad illud.

Respondent. *Quod importat habitudinem intrinsecam ad aliud realem est respectus etiam intrinsecus realis ad illud,* Concedo. *habitudinem tantùm intrinsecam secundùm dici, est respectus intrinsecus realis ad illud,* Nego. *atqui potentia productiua alicuius importat habitudinem realem ad illud, vel secundùm dici,* Concedo. *realem tantùm,* Nego. *Ea autem quam dicit omnipotentia est tantùm, inquiunt, secundùm dici.*

Contrà. Illa habitudo est realis, & nō tantùm secundùm dici, quæ est independenter ab omni

cognitione; atqui habitudo potentiæ productiuæ alicuius ad illud aliquid est independenter ab omni cognitione: ergo habitudo illa est verè realis, & non tantùm secundum dici.

Minor pr Habitudo illa nihil est aliud, quàm vis actiua rei illius, in qua dicitur esse potentia actiua; atqui vis actiua rei illius est independenter ab omni cognitione: ergo habitudo illa est independenter ab omni cognitione.

Minor pr. Vis illa actiua est idem cum entitate illius rei; atqui res illa est independenter ab omni cognitione: ergo & vis actiua illius rei.

Solutio: *Atqui res illa est independenter ab omni cognitione, hoc est non concipitur per species rei relatiua*, Nego. *repræsentatur per species rei relatiua*, Concedo. *ergo & vis actiua illius rei est independenter ab omni cognitione, hoc est, non repræsentatur per species rei relatiua*, Nego. *repræsentatur per huiusmodi species* (*in quo consistit relatio secundùm dici*) *sine vllo vero, & reali respectu*, Concedo.

Contrà. Cognitio diuina, quæ habet pro obiecto vim actiuam alicuius repræsentat in illa veram, & realem habitudinem ad illud: ergo habitudo vis actiuæ alicuius ad illud est in illa verè, & realiter, & non tantùm, quia repræsentatur per species rei relatiuæ.

Antecedens pr. Cognitio diuina repræsentat, quod illa vis actiua verè est; atqui verè, & reipsa est habitudo, & ordo ad aliud: ergo cognitio diuina quæ habet pro obiecto vim actiuam alicuius, repræsentat veram, & realem habitudinem ad illud.

Minor pr. Tam vis actiua alicuius est verè,& reipsa habitudo ad illud,quàm visio ad id,quod potest videri, & auditio ad id, quod potest audiri; atqui visio & auditio sunt vera, & realis habitudo, seu repræsentatio eius, quod potest videri, & audiri: ergo vis actiua alicuius est verè & reipsa habitudo, & ordo ad aliud.

Minor pr. Ideo visio est verè, & reipsa habitudo ad id, quod potest videri, quia intelligi nō potest, non intellecto eo, quod potest per illam videri;atqui etiā vis actiua intelligi non potest, non intellecto eo,cuius est vis actiua: ergo tam vis actiua alicuius est verè, & reipsa habitudo ad illud, quàm visio ad id, quod potest videri.

Obijcies. Omnipotentia diuina non est respectus intrinsecus Dei ad creaturas possibiles: ergo omnipotentia diuina non refertur relatione transcendentali ad creaturas possibiles.

Antecedens pr. Quod est respectus intrinsecus ad creaturas possibiles, vna ex ipsis facta impossibili, fit & ipsum impossibile; atqui facta impossibili aliqua ex creaturis possibilibus omnipotentia diuina,seu Deus non fit impossibilis: ergo omnipotentia diuina non est respectus intrinsecus ad creaturas possibiles.

Vt probetur minor, suppono illam creaturam, quæ ex possibili fit impossibilis esse formicam, aut granum millij, & hoc posito, sic argumentor:

Non est probabile Deum, & ipsius omnipotentiam fieri impossibilem formica, & grano millij factis impossibilibus: ergo facta impossibili aliqua ex creaturis possibilibus, Deus non est impossibilis.

Antecedens pr. Illius possibilitas non est minor possibilitate Dei, cuius impossibilitas inducit impossibilitatem Dei; atqui non est probabile possibilitatem formicæ, aut grani milij non esse minorem possibilitate Dei: ergo Deus non fit impossibilis factis impossibilibus formica, aut grano milij.

Solutio: *Illius possibilitas non est minor possibilitate Dei, hoc est minus immutabilis, cuius impossibilitas inducit impossibilitatem Dei,* Concedo. *minus excellens & nobilis,* Nego. *atqui possibilitas formicæ debet dici minor possibilitate Dei, hoc est minus immutabilis,* Nego. *tamenim est inuariabile formicam semel possibilem non posse fieri impossibilem, ac Deum: hoc est minus nobilis,* Concedo. *Diuina siquidem est infinities perfectior quacumque creata*

Contrà. Æquè possibilitas formicæ, & cuiuscunque alterius rei creatæ non est tam inuariabilis ac diuina, quàm creaturæ terminus necessarius respectus intrinseci Dei ad ipsas; atqui creaturæ non sunt terminus necessarius respectus intrinseci Dei ad ipsas: ergo possibilitas formicæ, & cuiuscunque alterius rei creatæ non est tam inuariabilis, ac possibilitas Dei.

Minor pr. Res qualibet pendet ab eo, quod est terminus necessarius respectus intrinseci, quem ad illud dicit; atqui Deus non pendet à creaturis: ergo creaturæ non sunt terminus necessarius respectus intrinseci Dei ad ipsas.

Solutio: *Res qualibet pendet causaliter ab eo, quod est terminus necessarius respectus intrinseci, quem ad illud dicit,* Nego. *pendet terminatiuè,*

Concedo. *atqui Deus non pendet à creaturis causaliter, seu non accipit esse ab illis*, Concedo. *terminatiuè seu ipsa non accipiunt esse à Deo, & non sunt id, ad quod terminatur efficientia diuina*, Nego. *Ex hoc autem tantùm abest vt argui possit vlla imperfectio in Deo, vt potiùs ostendi possit maxima perfectio. Tanta scilicet, quanta est in eo, quod est esse id, à quo cætera omnia emendicare, & mutuari debent suum esse.*

Atque ex his colligi potest, primò eodem modo philosophandum esse de scientia simplicis intelligentiæ, seu repræsentatione rerum possibilium, & amore necessario earundem; habent enim similiter connexionem necessariam cum creaturis possibilibus.

Colligi potest secundò; omnipotentiam subordinari intellectui & voluntati Dei, illi quidem vt dirigenti, isti verò vt applicanti. Deus enim non operatur nisi sciens, & volens. Iuxta hunc sensum explicanda sunt tum ea scripturæ loca, quæ tribuunt voluntati diuinæ effectionem omnium rerum, tum ij auctores intelligendi, qui dicunt scientiam & liberum Dei decretum esse causam rerum; scientia enim est causa dirigens, & voluntas applicans omnipotentiam exequentem, quæ ista iubet, & illa proponit.

QVINTA CONCLVSIO:

Deus est immutabilis.

ILLVD est verè immutabile, quod immune est ab omni planè mutatione; atqui Deus est immunis ab omni planè mutatione: ergo Deus est immutabilis.

Minor pr. Mutationes quæ dici possunt reperiri in Deo sunt primò transitus de non esse ad esse, aut de esse ad non esse; & secundò acquisitio, aut deperditio formæ alicuius substantialis, aut accidentalis, perfectæ, aut modalis; atqui Deus est immunis ab omnibus illis mutationibus: ergo & ab omni planè mutatione.

Minor pr. Quod necessariò est, & non potest non esse, quòdque est perpetua & non interrupta possessio suarum perfectionum, non transit de non esse ad esse, aut de esse ad non esse, neque est acquisitio noua, aut deperditio vllius planè formæ siue substantialis, siue accidentalis; atqui Deus necessariò est, & non potest non esse, estque perpetua, & non interrupta possessio suarum perfectionum: ergo Deus est immunis ab omnibus illis mutationibus.

Minor pr. Ens à se est necessariò, non potest non esse, & est perpetua possessio, & non interrupta omnium planè perfectionum; atqui Deus est ens à se: ergo necessariò est, non potest non esse, éstque perpetua, & non interrupta possessio suarum perfectionum.

Secunda pars maioris probatur.

Quod non potest habere esse de nouo, neque quod

quod habet amittere est necessariò, & non potest non esse; atqui ens à se non potest habere esse de nouo, neque illud quod habet amittere: ergo ens à se est necessariò, & non potest non esse, seu desinere.

Minor pr. Quod habet esse de nouo, debet illud accipere vel à se, vel ab alio; atqui ens à se non potest accipere illud esse de nouo neque à se, neque ab alio: ergo non potest habere esse de nouo.

Minor pr. Esse reale non potest accipi ab eo, quod non est: & quod illud accipit ab alio non est ens à se, sed ab alio: ergo ens à se non potest accipere illud esse de nouo neque à se, neque ab alio.

Secunda pars minoris superioris argumenti, quòd ens à se sit perpetua, & non interrupta possessio omnium planè perfectionum simpliciter simplicium.

Ens à se est perpetua, & non interrupta possessio sui esse; atqui omnis planè perfectio simpliciter simplex est eius esse: ergo ens à se est perpetua, & non interrupta possessio omnium planè perfectionum simpliciter simplicium.

Minor pr. Perfectio simpliciter simplex non distinguitur ab esse entis à se: ergo est verè esse entis à se.

Antecedens pr. Quod distinguitur ab esse entis à se, est ens ab alio; atqui perfectio simpliciter simplex nō est ens ab alio: ergo perfectio simpliciter simplex non distinguitur ab esse entis à se.

Minor pr. Perfectio simpliciter simplex est idem cum Deo: ergo non est ens ab alio.

Antecedens pr. Perfectio simpliciter simplex est illa, quā est melius habere, quàm non habere, &

eo modo, quo est melius eam habere ; atqui melius est Deum eam habere per identitatem, quàm cum distinctione: ergo perfectio simpliciter simplex est idem cum Deo, & est in ipso per veram, & propriam identitatem.

Obÿcies. Deus mutatur : ergo non est immutabilis.

Antecedens pr. Quod incipit esse quod non erat mutatur ; atqui Deus incipit esse quod non erat : ergo Deus mutatur.

Minor pr. Deus est sua omnis perfectio ; atqui perfectio aliqua Dei incipit in eo esse, cùm antea non esset : ergo Deus incipit esse quod non erat.

Minor pr. Cognitio rei iam præteritæ, volitio creationis mundi, amor hominis iusti, & odium deinde eiusdem peccatoris sunt perfectiones Dei; atqui incipiunt esse in Deo cùm antea non essent: ergo perfectio aliqua Dei incipit in eo esse cùm antea non esset.

Solutio : *Cognitio rei præteritæ volitio creationis mundi, amor hominis iusti, & odium eiusdem peccatoris sunt perfectiones Dei secundùm id, quod dicunt in recto & ex parte Dei*, Concedo. *secundùm id, quod dicunt in obliquo & ex parte obiecti*, Nego. *atqui incipiunt esse cùm antea non essent secundum id, quod dicunt in recto, & ex parte Dei*, Nego. *secundùm id, quod important in obliquo & ex parte obiecti*, Concedo. *cognitio, & volitiones allatæ sunt in recto, & ex parte Dei ipsa diuina essentia, quæ semper eadem est, & inuariabilis : in obliquo verò præteritio illius rei, & opera bona, vel mala propter quæ Deus amat iustum, & odio habet peccatorem, vt docent Theologi cùm explicant actus Dei liberos.*

Contrà. Cognitio, & volitiones allatæ possunt non esse in Deo etiam secundùm id, quod dicunt in recto: ergo etiam secundùm rectum incipiunt esse in Deo, cùm antea non essent.

Antecedens pr. Cognitiones, & volitiones liberæ possunt non esse in Deo secundùm id totum, quod dicunt ex parte Dei; atqui cognitio, & volitiones allatæ sunt liberæ: ergo possunt non esse in Deo etiam secũdùm id, quod dicunt in recto.

Maior pr. Non sunt aliquando in Deo secundùm id, quod dicunt ex parte Dei: ergo possunt non esse.

Antecedens pr. Non sunt cùm est indifferentia Dei ad illas; atqui aliquando est illa indifferentia: ergo & ipsæ aliquando non sunt.

Antecedens pr. Indifferentia debet præcedere determinationẽ Dei ad illas, & earũ existentiam: ergo non sunt cùm est indifferentia Dei ad illas.

Solutio: *Indifferentia Dei debet præcedere ipsius determinationem ad illas prioritate naturæ, & à quo,* Concedo. *prioritate temporis, & in quo,* Nego. *Cùm causa libera æquè ac necessaria possit operari eodem instanti, quo incipit esse, sufficit vt censeatur indifferens fuisse ad effectum, quem produxit, vt ita illum posuerit, vt fuerit in eius planè potestate, & arbitrio determinare se ad eum non ponendum, aut ponendum contrarium.*

Contrà. Vnio hypostatica recipitur in Verbo subiectiuè, cùm antea non reciperetur: ergo indifferentia Dei potest præcedere determinationem Dei ad illas volitiones.

Antecedens pr. Vnio recipitur subiectiuè in suis extremis; atqui Verbum est vnum ex extremis

vnionis hypostaticæ: ergo vnio hypostatica recipitur in Verbo subiectiuè.

Solutio: *Vnio recipitur subiectiuè in suis extremis incompletis, & quæ habent vacuitatem aliquam, quæ debet repleri,* Concedo. *si sint completa, & nullam habeant vacuitatem, quæ repleri debeat.* Nego. *atqui Verbum est vnum ex extremis vnionis hypostaticæ completum, & immune ab omni planè vacuitate, quæ possit repleri,* Concedo. *incompletum, & quod habeat vacuitatem vllam, quæ repleri debeat,* Nego. *Cùm enim sit infinitè perfectum non eget illa vnione ad acquirendam vllam nouam perfectionem, quo fit vt vnio illa recipiatur in solâ humanitate, quæ valde perficitur per aduentum subsistentiæ diuinæ, quam illi alligat illa vnio per sui informationem, & terminationem ad Verbum sine vlla planè personæ illius diuinæ immutatione, vt fusiùs docent Theologi tractatu de Incarnatione.*

SEXTA CONCLVSIO:

Deus est immensus, & æternus.

DEVM esse immensum & æternũ est habere iã & habuisse ab æterno diffusionem suæ substãtiæ similem seclusis imperfectionibus dependẽtiæ, inhæsionis &c. illi quã haberet anima rationalis, aut Angelus creatus cum vbicatione secundũ omnem dimensionem in infinitum diffusa, & duratione permanenti sine principio, & fine; atqui Deus habet huiusmodi diffusionẽ suæ substantiæ: ergo Deus est immensus, & æternus.

Minor pr. Deus habet omnem perfectionem simpliciter simplicẽ; atqui huiusmodi diffusio

suæ substantiæ est perfectio simpliciter simplex: ergo Deus habet huiusmodi diffusionem suæ substantiæ.

Minor pr. Illud est perfectio simpliciter simplex quod importat perfectionē sine admixtione vllius imperfectionis; atqui diffusio substantiæ diuinæ similis illi seclusis imperfectionibus depēdentiæ, inhæsionis &c. qualis esset in Angelo & anima rationali creatis cū vbicatione diffusa in infinitum secundùm omnem dimensionem, & duratione permanenti sine principio, & fine est maxima perfectio sine admixtione vllius imperfectionis: ergo huiusmodi diffusio substantiæ diuinæ est perfectio simpliciter simplex.

Minor pr. Diffusio siue situalis: siue, temporaria terminatæ sunt aliqua perfectio: ergo sublatis imperfectionibus limitationis, dependentiæ, inhæsionis &c. sunt maxima perfectio sine admixtione vllius imperfectionis.

Veritas antecedentis certa est, & quòd semoueri ab eis possint imperfectiones, patebit ex solutione eorum, quæ nobis opponuntur.

Obijcies. Deus cum diffusione suæ substantiæ simili illi seclusis imperfectionib⁹; qualis esset in anima rationali, & Angelo creatis cū vbicatione diffusa in infinitum secùndum omnem dimēsionē, & duratione permanenti sine principio, & fine est in spatiis imaginariis extra cœlos, & in tempore imaginario ante mundum; atqui Deus non potest esse in spatiis imaginariis, nec tēpore imaginario: ergo Dei imēnsitas, & æternitas nō est diffusio ipsius substātiæ similis illi seclusis imperfectionibus, qualis est in anima rationali,

& Angelo creatis cum vbicatione diffusa in infinitum secundùm omnem dimensionem, & duratione permanenti sine principio, & fine.

Solutio; *Deus cum diffusione sua substantia simili illi seclusis imperfectionibus, qualis esset in anima rationali, & Angelo creatis cum vbicatione in infinitum diffusa secundùm omnem dimensionem, & duratione permanenti sine principio, & fine, est in spatiis imaginariis extra cœlos, & in tempore imaginario ante mundum, hoc est, illis, & isti coëxistit*, Nego. *hoc est, eodem modo se habet, quo se haberet quantum est ex se si illa spatia essent aliquid reale, quod illi posset coëxistere*, Concedo. *Certè si mundus destrueretur, Deus non amitteret illam diffusionem virtualem, per quam illi coëxistit, mundus enim nihil aliud ei confert ad hanc coëxistentiam quàm id, quod in se habet, quod semper distinctum est ab eo, quod est in Deo; atqui Deus non est in spatiis imaginariis, nec in tēpore imaginario, hoc est, cùm illa spatia nihil sint, illis non coëxistit, sicut nec vltimum cœlum*; Concedo. *hoc est non habet id omne iam, quod requiritur ex parte sua, vt illis coëxistat si essent aliquid reale*, Nego. *sicut enim cœlo supremo, vt non sit tantùm in seipso, sed præterea in alio ente creato, nihil aliud deest quàm existentia alterius corporis ipsi immediati: ita diffusioni virtuali substantia diuina existentia similis corporis sufficeret, vt dici posset esse in eo, & hac ratione optimè intelligitur quod dicit Salomon 3. Reg. c. 8.* Te Cœli Cœlorum capere non possunt, *& quod asserunt SS. Patres passim Deum esse extra cœlos, & non concludi terminis, & limitibus huius mundi.*

Contrà. Quod habet in ſe tam benè, ac cœlum ſupremum quidquid requiritur vt coexiſtat ſpatiis imaginariis ſi eſſent aliquid reale, poteſt eſſe fundamentum diſtantiæ, & propinquitatis; atqui diffuſio diuinæ ſubſtantiæ non poteſt eſſe fundamentum diſtantiæ, & propinquitatis: ergo Deus non habet in ſe tam benè, ac cœlum ſupremum quidquid requiritur vt coexiſtat, & ſit in ſpatiis imaginariis ſi eſſent aliquid reale.

Minor pr. Diſtantia, & propinquitas fundantur tantùm in quantitate; atqui diffuſio diuinæ ſubſtantiæ non eſt quantitas: ergo diffuſio diuinæ ſubſtantiæ non poteſt eſſe fundamentum diſtantiæ, & propinquitatis.

Solutio: *Diſtantia, & propinquitas fundantur tantùm in quantitate intelligendo per quantitatem accidens, quod eſt radix impenetrabilitatis,* Nego. *intelligendo per quantitatem illud accidens, vel quamcunque aliam trinam dimenſionem,* Concedo. *atqui diffuſio diuina ſubſtantia non eſt quantitas, hoc eſt, accidens, quod eſt radix impenetrabilitatis*, Concedo. *non eſt virtualis quædam trina dimenſio*, Nego.

Contrà. Quod eſt virtualis quædam trina dimẽſio eſt verum, & actuale ſpatiũ; atqui diffuſio diuinæ ſubſtantiæ non eſt verum, & actuale ſpatiũ: ergo neque virtualis quædam trina dimẽſio.

Minor pr. Verum & actuale ſpatium eſt extenſio partium extra partes ſitu locóque diſtantium; atqui diffuſio diuinæ ſubſtantiæ non eſt extenſio partium extra partes ſitu locóque diſtantium: ergo diffuſio diuinæ ſubſtantiæ non eſt verum, & actuale ſpatium.

Maior pr. Verum, & actuale ſpatium eſt extenſio formalis; atqui extenſio formalis habet partes extra partes ſitu, locóque diſtantes: ergo verum ſpatium eſt extenſio partium extra partes ſitu locóque diſtantium.

Maior pr. Spatium in communi eſt extenſio in genere: ergo verum, & formale ſpatium eſt extenſio formalis.

Reſpondeo negando conſequentiã. *Illatio enim non eſt bona à genere, quod habet duas ſpecies ad vnam ſolam ex illis. Altera autem ſpecies extenſionis in genere præter formalem eſt extenſio virtualis æquiualens formali, & ei, quæ habet partes.*

Contrà. Extenſio temporaria, ſeu duratio quæcunque habet partes extra partes, & eſt extenſio formalis: ergo etiam omnis extenſio ſitualis debet eſſe formalis.

Antecedens pr. Extenſio temporaria non habens partes eſt tota ſimul; atqui extenſio tẽporaria, ſeu durationes multę, v.g. æternitas, nõ ſunt totæ ſimul: ergo extenſio tẽporaria, ſeu duratio quæcunque habet partes, & eſt extẽſio formalis.

Minor pr. Quod eſt totum ſimul non eſt ſucceſſiuum; atqui æternitas eſt quid ſucceſſiuum: ergo non eſt tota ſimul.

Solutio: *Quod eſt totum ſimul non eſt ſucceſſiuum formaliter,* Concedo. *virtualiter,* Nego. *atqui æternitas eſt ſucceſſiua formaliter. vel virtualiter,* Concedo. *formaliter tantùm.* Nego. *Succeſſio virtualis eſt illa, quæ non habet partes priores, & poſteriores, æquiualet tamen formali, & ei, quæ habet huiuſmodi partes. Quo modo diuina æternitas, ſeu diffuſio diuinæ ſubſtantiæ ad omne tempus*

possibile à parte ante, & à parte post vna, & indiuisibilis in entitate, virtute aequiualet omnibus illis partialibus, per quas res creata corresponderent variis partibus successionis alienius temporaria finita, vel infinita.

Contrà, Deus non durat ante mundum conditum; atqui non potest esse in Deo diffusio virtualis explicata, quin duret ante mundum conditum: ergo duratio Dei, & eius aeternitas non est diffusio illa virtualis diuinae substantiae.

Maior pr. Quod durat est in tempore; atqui ante mundum conditum, neque Deus, neque quidquam aliud est in tempore: ergo Deus non durat ante mundum conditum.

Maior pr. Tempus est terminus relationis importatae per durationem: ergo quod durat est in tempore.

Antecedens pr. Similitudo non est magis relatio, quàm duratio; atqui tempus est terminus huius relationis: ergo tempus est terminus relationis importatae per durationem.

Maior pr. Ideo similitudo est relatio, quia non est vna sola albedo, sed a bedo v. g. vt sex, vt coëxistēs alteri albedini vt sex; atqui etiam duratio non est sola entitas rei durantis, sed ipsa vt coëxistēs partibus successiuis temporis: ergo similitudo non est magis relatio, quàm duratio.

Respondendum est, *minorem esse falsam. Res enim verè durat per hoc, quod habet in se quidquid necessarium est, vt coëxistat partibus successiuis tēporis si aliquod huiusmodi esset productum. Dico si aliquod esset productum, quia licèt ad coëxistentiam actualem cum illo, necessarium sit vt*

T v

fuerit productum, non tamen ad durationem, ad quam sufficit vt ratione ipsius, & propter ipsam res durans dici possit non incipere modo esse, siue duratio conferat ei hoc per partes formales, siue per aliquid illis partibus æquiualens.

Ex his colligi potest primò, Deum esse verè rebus omnibus intimè præsentem iuxta illud Apostoli Actorum 17. *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Et ad Romanos 11. *Ex ipso per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Ex quo patet.

Secundò, Deum esse indistantem ab omni suo effectu, & perfectius esse eum operari effectum cum immediatione, & indistantia ab illo etiamsi sit spiritalis, quàm sine tali immediatione, quo fit vt non possit non esse intimè præsens vlli suo effectui siue extra, siue intra cœlos producto, nec hic consequenter esse sine vbi, per quod sit potiùs præsens huic parti virtuali immensitatis diuinæ quàm alteri, cui ipse, vel alius fieri etiam potest præsens. Dico parti virtuali immensitatis diuinæ, quia cùm ipse Angelus habeat diffusionem suæ substantiæ minorem diuinâ non potest correspondere isti totaliter, sed tantùm partialiter.

Tertiò, animam rationalem retinendo cùm separatur à corpore eandem vbicationem quam habet in illo, per illam posse facere spatium ambire, & ambiri quemadmodum hoc præstabat vbicatio corporis, cum hoc discrimine quòd vbicatio corporis non compatiebatur in eodem spatij aliam trinam dimensionem alterius corporis, patiatur verò illam vbicatio animæ, Angeli, & diffusio virtualis substantiæ diuinæ.

Quartò, in hoc differre immensitatem ab æternitate, quòd hæc explicetur per correspondentiam, aut aptitudinem correspondendi partibus fluentibus prioribus, & posterioribus rei successiuæ, illa verò per coëxistentiam partibus rei permanẽtis,& quæ habet partes totas simul.

Quintò,æternitatem esse triplicem. Prima est duratio independẽs,& necessaria sine principio, & fine. Secũda dicitur illa,quæ est quidẽ illimitata, & à parte ante, & à parte post,est tamẽ dependens, & contingens absolutè. Tertia habet quidem principium, sed non finem,aut finẽ,sed sine principio. Prima est propria Dei, & duæ aliæ creaturarum, quæ possunt habere secundã, sicut multæ habẽt tertiam:Angeli enim,& anima rationalis nõ habebunt finẽ suæ durationis.

SEPTIMA CONCLVSIO:

In Deo est summa simplicitas.

IN eo est summa simplicitas, in quo nulla est realis compositio; atqui in Deo nulla est realis compositio:ergo in Deo est summa simplicitas.

Minor pr. In Deo nihil est minùs perfectum; atqui in eo,in quo est realis compositio est aliquid minùs perfectum : ergo in Deo nulla est realis compositio.

Minor pr. Minùs perfectum est habere perfectiones suas diuisas, quàm non habere diuisas; atqui illud, in quo est aliqua realis compositio habet perfectiones suas diuisas : ergo in eo, in quo est realis compositio est aliquid minùs perfectum.

Minor pr. Habet vnam suam perfectionem in

vno ex iis, ex quibus componitur, & aliam in alio: ergo habet perfectiones suas diuisas.

Maior praecedentis argumenti probatur.

Res illæ dicuntur aliis perfectiores, quæ in se vnæ continent perfectiones illarum plurium, vt videre est inductione in omni gradu entis: ergo perfectius est habere suas perfectiones non diuisas, quàm diuisas.

Obijcies. In eo non est summa simplicitas, in quo est aliqua compositio; atqui in Deo est aliqua compositio: ergo in Deo non est summa simplicitas.

Solutio: *In eo non est summa simplicitas, in quo est aliqua compositio realis*, Concedo. *formalis*, Nego. *atqui in Deo est aliqua compositio realis*, Nego. *formalis*, Concedo.

Contrà. Non minùs debet esse compositio aliqua realis in Deo, quàm formalis; atqui in Deo est compositio formalis: ergo in Deo debet esse quoque compositio realis.

Maior pr. Ideo tantùm non est aliqua realis compositio in Deo, quia hoc est minùs perfectum; atqui etiam habere formalem, est aliquid minùs perfectum: ergo non minùs debet esse compositio realis in Deo, quàm formalis.

Minor pr. Magis est perfectum nullam habere compositionem formalem, quàm habere aliquam: ergo habere compositionem formalem est aliquid minùs perfectum.

Respondeo negando antecedens. Ratio est; quia non habere compositionem formalem est non conuenire cum aliis entibus, & est ab illis non differre. Non est autem perfectio vllo mo-

do; sed potius maxima imperfectio, neque conuenire cum alijs, neque ab illis differre. Hoc enim est non esse ens, sed quid chimæricum.

Sectio III.

De Existentia, & Natura Angelorum.

Nomine Angelorum intelligimus substantias intellectuales imperfectiores, & inferiores Deo: perfectiores autem, & superiores homine, & inquirimus an huiusmodi aliquæ existant, & quænam sit earum essentia.

Conclusio Prima:

Dantur Angeli.

Non est negandum dari illud, cuius existentiam suadent Concilium Lateranense, varia loca Scripturæ Sacræ, & ratio naturalis; atqui Concilium Lateranense, varia loca Scripturæ, & ratio naturalis suadent existentiam Angelorum: ergo dantur Angeli.

Prima, & secunda pars minoris probantur.

Concilium Lateranense capite *Firmiter* asserit Deum condidisse humanam, & Angelicam naturam; in sacris etiam paginis legimus, *Angelis suis Deus mandauit de te*, & *Omnes Angeli adorent eum*: ergo Concilium Lateranense, & varia loca Scripturæ Sacræ, suadent existentiam Angelorum.

Tertia pars minoris præcedentis argumenti, pr.

Ratio petita ex dependentia effectus à causa

suadet existentiam Angelorum: ergo & ratio naturalis.

Antecedens pr. Multi sunt effectus, quorum nulla alia potest assignari causa quàm Angeli: ergo ratio petita ex dependentia effectus à causa suadet existentiam Angelorum.

Antecedens pr. Peritia linguarum omnium ab idiotis hominibus, reuelatio eorum, quæ longè geruntur ab iisdem, cùm sunt energumeni, sunt varij effectus; atqui illorum nulla alia assignari potest causa, quàm Angeli: ergo multi sunt effectus, quorum nulla assignari potest alia causa, quàm Angeli.

Minor pr. Causa illorum effectuum non potest assignari nisi Deus, vel aliqua alia creatura ab Angelis: sed Deus non est causa illorum effectuum, nec alia creatura ab Angelis: ergo illorũ nulla alia assignari potest causa, quàm Angeli.

Prima pars minoris pr.

Eadem est causa istorum effectuum, & blasphemiarum, quæ proferuntur ab illis hominibus; atqui Deus non est causa illarum blasphemiarum: ergo Deus non est etiam causa illorum effectuum.

Maior pr. Blasphemiæ illæ sæpè proferuntur idiomate ignoto illis hominibus: ergo eadem est causa istorum effectuum, & blasphemiarum, quæ proferuntur ab illis hominibus.

Secunda pars minoris argumenti superioris, quòd vlla alia creatura præter Angelos, non sit causa illorum effectuum, pr.

Alia creatura ab Angelis, quæ dici potest causa illorũ effectuũ, debet esse intellectualis; atqui

nulla est alia creatura intellectualis ab Angelo, quæ dici possit causa productiua illorum effectuum: ergo alia creatura ab Angelis non est causa illorum effectuum.

Minor pr. Illa alia creatura intellectualis debet esse anima rationalis beata, aut addicta pœnis æternis; atqui neutra est: ergo nulla alia creatura ab Angelis est causa illorũ effectuum.

Prima pars minoris probatur.

Eadem est causa blasphemiarum prolatarum ab istis hominibus, & istorum effectuum; atqui anima beata non est causa blasphemiarum illarum: ergo neque illorum effectuum.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti, quòd non sit etiam anima damnata, pr,

Anima damnata non nouit ea, quæ longè gerũtur ab eo energumeno, in quo supponitur esse: ergo non potest esse causa reuelationis eorum.

Antecedens pr. Deus non infundit illi huiusmodi notitiam, & ipsa eam non habet ex se: ergo non nouit ea, quæ longè geruntur ab energumeno, in quo supponitur esse.

Prima pars est clara, & secunda probatur.

Vt ipsa ex se eam haberet, deberet accedere ad illud obiectum longè positum, aut istud in tanta distantia immittere ad ipsam sui species, aut Deus in ipsa illas producere; atqui obiectum non emittit ad tantam distantiam, & per tam varia media, & tam impedita sui speciem, & ipsa ad illud non accedit, & Deus eas ipsi non infundit: ergo ipsa non habet eam notitiam ex se.

Prima pars minoris caret difficultate, & secunda probatur.

Non potest accedere ad illud obiectum, & simul esse in energumeno; atqui supponitur esse in energumeno; & non est probabile Deum permittere, vt ita spatietur quò voluerit: ergo non accedit ad obiectum.

Tertia pars minoris praecedentis argumenti, Deum non infundere ipsi eas species, pr.

Deus non est dicendus infundere animae damnatae eas species, quas non infundit animae beatae; atqui non infundit animae beatae has species: ergo neque damnatae.

Minor pr. Communis est sensus Theologorum, & Patrum, Beatos nosse tantùm ex ijs, quae in hoc mundo geruntur, ea, quae ad ipsorum statum pertinent peculiari ratione, quia v. g. fuere parentes, superiores, subditi, &c. ergo Deus non infundit eas species animae beatae.

Consequentia pr. Huiusmodi species sunt de his saepissimè quae peculiari ratione non pertinent ad beatos; atqui hae species non infunduntur à Deo animae beatae: ergo Deus non infundit illi has species.

CONCLVSIO SECVNDA:
Angeli sunt spiritales.

ILLVD est spiritale, quod est immateriale; atqui Angeli sũt immateriales: ergo & spiritales.

Minor pr. Illud est immateriale, quod non dependet ab vllo materiali, & est penetrabile cum alio eiusdem speciei; atqui Angeli non dependẽt ab vllo materiali, & sunt penetrabiles cum alijs eiusdem speciei: ergo sunt immateriales.

Prima pars patet, & secunda probatur.

Angeli sunt inter se eiusdem speciei; atqui Angeli sunt penetrabiles inuicem: ergo & cum alijs eiusdem speciei.

Minor pr. Illud est penetrabile cum alio, quod est in eodem spatij cum illo; atqui Angeli sunt in eodem spatij cum aliis Angelis: ergo sunt penetrabiles inuicem.

Minor pr. Homo est idem spatium, & legio dæmonum multi Angeli; atqui legio dæmonum est in eodem homine: ergo Angeli sunt in eodem spatij cum aliis Angelis.

Respondent: *Homo est idem spatium sumptus secundùm eamdem partem* Concedo. *sumptus secundùm diuersas*, Nego. *atqui legio dæmonum est in eodem homine secundùm eamdem partem*, Nego. *secundùm diuersas*, Concedo.

Contrà. Tam legio dæmonum esse potest in eadem parte hominis, quàm vnus ex iis in ea simul cum anima rationali; atqui potest esse aliquis ex iis, in eadem parte hominis simul cum anima rationali: ergo legio dæmonũ esse potest in eodem homine secundùm eamdem partem.

Minor pr. In ea parte est dæmon, ex qua eiicitur; atqui eiectus fuit à Christo Marci octauo, ex parte hominis Iudæi, in qua erat simul cum anima rationali: ergo dæmon aliquis est in eadẽ parte hominis simul cũ anima rationali.

Minor pr. Aliquis saltem illius legionis eiectus est ex parte viua illius hominis, aut egressus per illam; atqui in parte viua est anima rationalis: ergo eiectus fuit dæmon ex parte, in qua erat simul cum anima rationali.

Maior pr. Omnes non sunt egressi per partes

non viuas, neque etiam in illis mansere: ergo aliquis saltem egressus est ex parte viua.

CONCLVSIO TERTIA:

Angeli sunt substantiæ simplices.

ILLVD est substantia simplex quod est expers compositionis physicæ essentialis; atqui Angeli sunt expertes compositionis physicæ essentialis: ergo sunt substantiæ simplices.

Minor pr. Illud est expers compositionis physicæ essentialis, quod non constat materia; atqui Angeli non constant materia: ergo sunt expertes compositionis physicæ essentialis.

Minor pr. Illud non constat materia, in quo nulla deprehenditur transmutatio, aut aliud ei simile; sed in Angelis nulla deprehenditur transmutatio, aut aliud ei simile: ergo Angeli non constant materia.

Maior pr. Non debet asseri in aliquo esse materia sine fundamento; atqui nullum est aliud fundamentum, per quod deprehĕdatur materia, quàm transmutatio: ergo illud non cōstat materia, in quo nulla deprehenditur transmutatio.

Respondere posset aliquis. *Atqui nullum est aliud fundamentum, quam transmutatio, per quod deprehendatur materia corporea, & extensa,* Concedo. *materia incorporea,* Nego.

Contrà. Fundamentum illud aliud materiæ spiritalis, debet esse necessitas aliqua in forma huiusmodi materiæ; atqui nulla est necessitas in forma spiritali materiæ spiritalis: ergo nullum est aliud fundamentum materiæ etiam spiritalis, quàm transmutatio.

Minor pr. Necessitas materiæ in forma, non videtur esse posse alia, quàm vt sit, vel vt agat, sed in forma spiritali nulla est necessitas, neque vt sit, neque vt agat materiæ spiritalis: ergo nulla est necessitas in forma spiritali materiæ spiritalis.

Minor pr. Quod non dependet à subiecto, cuiusque omnes operationes sunt spiritales, non eget materia siue corporea, siue spiritali; atqui forma substantialis spiritalis, non dependet à subiecto, & omnes eius operationes sunt spiritales: ergo in forma spiritali, vt sit, vel, vt agat, nulla est necessitas materiæ spiritalis.

Prima pars maioris clara est, & secunda probatur.

Anima rationalis est forma substantialis spiritalis; atqui ad suas operationes merè spiritales non eget materia: ergo forma spiritalis, cuius omnes operationes sunt spiritales, vt illas exerceat non eget materia.

Minor pr. Anima rationalis ad suas operationes spiritales, non eget eo, à quo separata illas elicit, & fortè perfectiùs; atqui seiuncta à corpore elicit suas operationes spiritales, & fortè perfectiùs: ergo anima rationalis ad suas operationes spiritales, non eget materia,

Minor pr Anima rationalis separata intelligit, & vult, & fortè perfectiùs: ergo seiuncta à corpore elicit suas operationes spiritales, & fortè perfectiùs.

Obÿcies. In Angelis est compositio physica essentialis: ergo Angeli non sunt substantiæ simplices.

Minor p. In eo eſt compoſitio phyſica eſſentialis, in quo ſunt duæ partes, vna materialis per modum ſubiecti, & altera ſpiritalis per modum actus; atqui in Angelis ſunt duæ partes, vna materialis per modum ſubiecti, & altera ſpiritalis per modum actus: ergo in Angelis eſt compoſitio phyſica eſſentialis.

Minor pr. In ſubſtantia materiali ad minus debet eſſe vna pars materialis; atqui Angeli ſunt materiales, & corporei: ergo in Angelis eſt ſaltem vna pars materialis.

Minor pr. Illud eſt corporeum, quod conſtat corpore; atqui Angeli conſtant corpore: ergo ſunt materiales, & corporei.

Minor pr Angeli ſæpè viſi ſunt cum corpore: ergo Angeli conſtant corpore.

Solutio: *Angeli viſi ſunt ſæpè cum corpore proprio*, Nego. *aſſumpto*, Concedo. *Corpora cum quibus apparent Angeli non ſunt propria ipſorum, ſed efformata ab ipſis ex aëre, vel ex aliqua alia materia in eum finem, vt poſſint à nobis conſpici. Caterùm, vt corpus aliquod dicatur aſſumptum ab Angelo, duo requiruntur: primum eſt, vt ei Angelus ſit intimè præſens; ſecundò, vt eo ita vtatur ad ſe repræſentandum, vt cenſeri poſſit internum principium operationum, quas in illo, & per illud elicit.*

Contrà, Qui dicuntur à Scriptura duxiſſe in vxores filias hominũ conſtant vero, & proprio corpore; atqui Angeli cap. 6. Geneſeos dicuntur accepiſſe in vxores filias hominum: ergo Angeli conſtant vero, & proprio corpore.

Minor pr. Filij Dei, qui illo ſexto capite dicun-

tur duxisse in vxores filias hominũ appellantur, secundùm antiquam versionem Septuaginta, Angeli Dei: ergo Angeli illo sexto capite dicuntur duxisse in vxores filias hominum.

Solutio: *Filij Dei, qui illo sexto capite dicuntur duxisse in vxores filias hominum, appellantur secundùm antiquam versionem Septuaginta Angeli Dei, hoc est substantia inferiores Deo, & superiores homine,* Nego. *hoc est Filij potentum, & principum, qui acceperunt in vxores filias hominum, hoc est plebeiorum,* Concedo. *veritas huius responsionis confirmari potest primò ex illo* 41. *Iob* Timebunt Angeli, & territi purgabuntur, *in quo per Angelos intelliguntur potentes, qui timebunt coram Leuiathan, de quo ibi est sermo. Secundò ex eo quod habetur eodem capite sexto Geneseos* Videns Deus quòd multa malitia esset hominum, *illorum scilicet, quos antea dixerat Angelos Dei, & accepisse in vxores filias hominum.*

Contrà. Psalmo 103. Angeli vocantur ignis vrens, *qui facis,* ait Regius Propheta, *Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem:* ergo secundùm versionem illam antiquam Septuaginta, Angeli Dei sunt substantiæ superiores homine corporeæ, quæ potuere accipere sibi in vxores filias hominum.

Consequentia pr. Ignis est substantia corporea; atqui Angeli ex Psalmo 103. allato sunt ignis vrens: ergo sunt etiã substantiæ corporeæ.

Solutio: *Atqui Angeli ex Psal.* 103. *allato sunt ignis vrens in sensu litterali,* Nego. *in sensu mystico, & quoad aliquam conuenientiam accidẽtalem,* Concedo. *Conuenientia illa in eo est posita,*

quod ſicut ignis abundat luce, & calore, ita & Angeli diuina luce illuſtrentur, & cœleſti charitate inflammentur.

Contrà. In ſeptima Synodo actione quinta, Angeli dicuntur depingi poſſe, quia ſunt præditi corpore tenui aërio, aut igneo, itáque ſemper ſenſiſſe Eccleſiam: ergo Angeli ſunt ignis, non tantùm ſecundùm conuenientiam aliquam accidentalem, ſed potiùs ſubſtantialem, & quòd conſtent vero, & proprio corpore.

Reſpondendum *eſt ad antecedens, primam eius partem eſſe veram, vt pote definitam à Synodo: ſecundam verò, quæ eſt ratio, propter quàm id aſſerebatur ab Epiſcopo Theſſalonicenſi, non eſſe admiſſam à Concilio, cui credendum eſt, non propter rationem aliquam humanam, ſed quia definitiones eius, & decreta ſunt Dei reuelatio & locutio. Quòd autem hæc ratio admiſſa non fuerit à Synodo, ex eo poteſt confirmari quòd Taraſius Patriarcha præſes Concilij dicta illius Epiſcopi Theſſalonicenſis referens dixit*: Oſtendit autem Pater, quòd & Angelos pingere oporteat quando circunſcribi poſſunt, & vt homines apparuerunt, *quod tantùm approbauit Synodus, dicens,* etiam Domine. *Arribal addit diſp. 148. cap. 3. illud,* etiam Domine, *non continere vllam approbationem dictorum ab illo Epiſcopo, ſed tantùm fideliter relata eſſe breuiter à Patriarcha, quæ ille pluribus dixerat.*

CONCLVSIO QVARTA:

Angeli non sunt expertes compositionis ex Natura, & Subsistentia.

ILLVD non est expers compositionis ex natura, & subsistentia, cuius subsistentia distinguitur realiter ab eius natura; atqui subsistentia Angelorum distinguitur realiter ab eorum natura: ergo Angeli non sunt expertes compositionis ex natura, & subsistentia.

Minor pr. Subsistentia Angelorum potest non esse, existente eorum natura: ergo subsistentia Angelorum distinguitur realiter ab ipsorum natura.

Antecedens pr. Illud potest non existere existente alio, quod potest non assumi à Verbo assumpto alio; atqui subsistentia Angelica potuit non assumi à Verbo assumpta eorum natura: ergo subsistentia Angelorum potest non esse existente eorum natura.

Minor pr. Illius subsistentia potest non assumi à Verbo, cuius natura ab eo potest assumi; atqui Angelorum natura ex Patribus, & Diuo Paulo assumi potuit à Verbo tam benè, ac humana: ergo subsistentia Angelica potuit non assumi à Verbo assumpta eorum natura.

Minor pr. Qui commendat beneficium assumptionis naturæ humanæ à Verbo, ex eo, quòd non assumpserit potiùs naturam Angelicã, satis significat, eam à Verbo potuisse assumi; atqui Diuus Paulus ad Hebræos 8. commendat bene-

ficiū assumptionis naturæ humanæ ex eo, quod non assumpserit Angelicam: ergo Angelorum natura ex Diuo Paulo, assumi potuit à Verbo.

SECTIO IV.

De varietate Angelorum.

RECEPTA est diuisio Angelorū in tres Hierarchias, & vniuscuiusque Hierarchiæ in tres ordines, seu choros. Prima Hierarchia cōtinet Seraphinos, Cherubinos, & Thronos; secūda Dominationes, Virtutes & Potestates; & tertia Principatus, Archangelos & Angelos. Quænam autem sit distinctio, & diuersitas inter has Hierarchias, & ordines examinandum est.

PRIMA CONCLVSIO:

Angeli non sunt omnes eiusdem speciei.

SERAPHINI differunt specie ab Archangelis: ergo Angeli nō sunt omnes eiusdem speciei.

Illi Angeli differunt inter se specie, quorum vni conuenit aliquid commune intrinsecum, notabiliter diuersum, quod non conuenit alteri; atqui Seraphinis conuenit aliquid commune intrinsecum notabiliter diuersum, quod non conuenit Archangelis: ergo Seraphini differunt specie ab Archangelis.

Minor pr. Esse quid perfectius alio substantialiter, est aliquid commune intrinsecum notabiliter diuersum; atqui Seraphini sunt substantialiter

liter perfectiores Archangelis : ergo Seraphinis cõuenit aliquid commune intrinsecum notabiliter diuersum, quod non cõuenit Archangelis.

Minor pr. Non minùs Seraphin sunt substantialiter perfectiores Archangelis, quàm accidentaliter in gratia scilicet, & aliis donis supernaturalibus ; atqui sunt perfectiores Archangelis accidentaliter in gratia scilicet, & aliis donis supernaturalibus : ergo Seraphin sunt substantialiter perfectiores Archangelis.

Probatur primò maior.

Maior perfectio accidentalis gratiæ, & aliorum donorum supernaturalium data est eis, ex Sanctis Patribus, Basilio præsertim, & Damasceno iuxta mensuram perfectionis substantialis, & in natura : ergo non minùs Seraphin sunt substantialiter perfectiores Archangelis, quàm accidentaliter, in gratia scilicet, & aliis donis supernaturalibus.

Probatur secundò minor prioris argumenti.

Qui perfectiores sunt in charitate, perfectiores etiam sunt in gratia, & aliis donis supernaturalibus ; atqui Seraphin ex Sanctis Patribus, perfectiores sunt in charitate Archangelis: ergo & in gratia, & aliis donis supernaturalibus.

Secunda Conclusio:

Vnaquæque species Angelica habet plura indiuidua de facto existentia.

Species multæ Angelicæ habent plura indiuidua de facto existentia : ergo & vnaquæque.

Antecedens pr. Species Angelicæ non debent dici habere vnum tantùm indiuiduum de facto existens; ergo non potest negari habere plura.

Antecedens pr. Species Angelica, quæ habet tantùm vnum indiuiduum de facto existens, ipso deleto, deletur tota; atqui species Angelica deleto vno ex suis indiuiduis, non deletur tota: ergo species Angelicæ non habent tantùm vnum indiuiduum de facto existens.

Maior probatur primò.

Species Angelica deletur tota cùm quidquid illius existit deletur; atqui deleto vno indiuiduo ipsius, cùm habet tantùm vnum, deletur quidquid illius existit, ergo species Angelica, quæ habet tantùm indiuiduum, ipso deleto, deletur tota.

Probatur secundò minor prioris argumenti.

Indiuiduum speciei Angelicæ verè deletur saltem moraliter, cùm priuatur vita morali; atqui cùm vnum indiuiduum speciei Angelicæ, est priuatum vita morali, tota eius species non est huiusmodi vita priuata: ergo species Angelica deleto vno ex suis indiuiduis non deletur tota.

Minor pr. Indiuiduum speciei Angelicæ, priuatur vita morali cùm peccat mortaliter, & addicitur pœnis æternis; atqui cùm vnum indiuiduum speciei Angelicæ peccauit mortaliter, & addictum est pœnis æternis, tota eius species nō peccauit mortaliter, neque est addicta pœnis æternis: ergo cùm vnum indiuiduum speciei Angelicæ, est priuatum vita morali, tota eius species non est huiusmodi vita priuata.

Minor pr. Qui admittit vno indiuiduo speciei

Angelicæ addicto pœnis æternis, ipſam totam eis addici, admittere debet quamplurimas eis addictas totas, & integras; atqui quam plurimæ totæ, & integræ non ſunt eis addictæ: ergo addicto pœnis æternis vno indiuiduo ſpeciei Angelicæ, ipſa tota non eſt eis addicta.

Minor pr. Non minor, aut alia dici debet eſſe prouidentia circa ſpecies Angelicas, in delectione, & deſtructione illa morali, quàm circa alias in deſtructione phyſica: atqui Deus non permittit alias totas, & integras deſtrui phyſicè: ergo nec ſpecies Angelicas quamplurimas deſtrui totas, & integras moraliter, ſeu addici pœnis æternis.

Obijcies. Vnaquæque ſpecies Angelica, habet vnum ſolùm indiuiduum: ergo falſum eſt multas ſpecies Angelicas, habere plura indiuidua de facto exiſtentia.

Antecedens pr. Vnaquæque ſpecies Angelica non habet plura indiuidua, quàm ipſam patiatur habere ordo ſtatutus in rerum natura; atqui ordo ſtatutus in rerum natura, non patitur ipſam habere pluſquam vnum indiuiduum: ergo vnaquæque ſpecies Angelica habet vnum ſolùm indiuiduum.

Minor pr. Ordo ſtatutus, & qui ſeruatur in rerum natura, patitur tantùm ſpecies illas habere plura indiuidua, quarum indiuidua ſunt corruptibilia; atqui indiuidua ſpeciei Angelicæ, non ſunt corruptibilia: ergo ordo ſtatutus in rerum natura, non patitur ipſam habere pluſquam vnum indiuiduum.

Maior pr. Multiplicatio indiuiduorum conce-

ditur tantùm à natura, ad perennitatem speciei, & cùm non potest conseruari in vno; atqui species, cuius indiuidua non sunt corruptibilia, obtinet illam perennitatē in vno solo, vt videre est in sole: ergo ordo statutus in rerum natura, & qui seruatur, patitur tantùm illas species habere plura indiuidua, quæ illa habent corruptibilia.

Solutio: *Neganda est primò maior. Species enim stella v.g licèt possit conseruari in vnico indiuiduo, vt pote incorruptibili, habet tamen plurima, & ratio propter quam non dentur plures soles, non est quia eius species obtinet perennitatem, & perpetuitatem in eo, quem intuemur, sed quia vnicus sufficit ad illuminandam totam terram. Distingui potest secundò eadem maior: Multiplicatio indiuiduorum conceditur tantùm à natura ad perennitatem speciei physicam, vel moralem, & cùm non foret conseruanda in vnico indiuiduo physicè, vel moraliter,* Concedo. *Physicè tantùm,* Nego, *atqui species, cuius indiuidua non sunt corruptibilia, obtinet perennitatem physicam in vno solo,* Concedo. *moralem.* Nego. *si enim priuaretur, vt fieri potest, vita morali, & ipsum, & eius species tota destrueretur, & per illud consequenter non habere: perpetuitatem.*

Contrà. Perennitas, & perpetuitas moralis allata non potest haberi in forma separata à materia per pluralitatem indiuiduorum: ergo neque in Angelis.

Antecedens pr. Forma separata à materia non potest habere plura indiuidua: ergo neque perpetuitatem illam moralem, de qua est quæstio per pluralitatem indiuiduorum.

Antecedens pr. Quod ita eſt vnum, vt non poſſit eſſe plura, non poteſt habere plura indiuidua; atqui forma ſeparata à materia ita eſt vna, vt non poſſit eſſe plura: ergo non poteſt habere plura indiuidua.

Minor pr. Quod habet omnem omnino perfectionem ſuæ ſpeciei ita eſt vnum, vt non poſſit eſſe plura; atqui forma ſeparata habet omnem perfectionem ſuæ ſpeciei: ergo ita eſt vna, vt non poſſit eſſe plura.

Solutio: *Quod habet omnem omnino perfectionem ſuæ ſpeciei ſpecificam, & numericam, ita eſt vnum; vt non poſſit eſſe plura*, Concedo. *ſpecificam tantùm*, Nego. *atqui forma ſeparata à materia, habet omnem perfectionem ſuæ ſpeciei ſpecificam*, Concedo. *numericam, & indiuidualem*, Nego.

Contrà. In forma ſeparata à materia, non eſt duplex perfectio numerica, & indiuidualis: ergo forma ſeparata à materia, habet omnem perfectionem ſuæ ſpeciei, non tantùm ſpecificam, ſeu eſſentialem, ſed etiam numericam.

Antecedens pr. In iis non eſt duplex perfectio numerica, quæ non poſſũt differre ſolo numero; atqui formæ ſeparatæ à materia non poſſunt differre ſolo numero: ergo in forma ſeparata à materia, non eſt duplex perfectio numerica.

Minor pr. Quæ non habent materiam non differunt ſolo numero; atqui formæ ſæparatæ à materia, & per ſe exiſtentes, non habent materiam: ergo non poſſunt differre ſolo numero.

Maior pr. Differentia numerica petitur à ſola materia, iuxta illud Ariſtotelis quinto Metaph.

Quæ habent eandem materiam, sunt vnum numero; & duodecimo Metaph. Quæ non habent materiam non sunt plura numero: ergo quæ nõ habent materiam non differunt solo numero.

Solutio: *Neganda est prima pars antecedentis, & ad loca Aristotelis dicendum est, ea esse vera de rebus istis inferioribus, & quæ patent oculis nostris, & sensibus, non verò de aliis, quæ non innotescunt sensibus, quales sunt Angeli, & formæ separatæ à materia, & per se existentes.*

Contrà. Loca illa Aristotelis debent esse vera, etiam in illis rebus quæ imitantur actualitatem Dei; atqui Angeli, & formæ separatæ à materia imitantur perfectè actualitatem Dei: ergo loca illa Aristotelis sunt vera etiã in Angelis, & formis separatis à materia per se existentibus.

Minor pr. Quod est Deo propinquum, & magis accedit ad eius perfectionem, debet imitari eius actualitatem, & negationem consortij omnis alterius; atqui Angeli, & formæ separatæ per se existentes sunt Deo propinquæ, & magis accedunt ad eius perfectionem: ergo Angeli, & formæ separatæ à materia imitantur perfectè actualitatem Dei, & negationem consortij omnis alterius indiuidui.

Solutio: *Quod magis accedit ad perfectionem Dei, debet imitari eius actualitatem, & negationem consortij omnis alterius indiuidui, si valeat in illo ratio, propter quam est illa negatio in Deo,* Concedo. *si non valeat,* Nego. *Atqui in Angelis, & formis separatis per se existentibus quantumuis accedentibus ad Dei perfectionem, valet illa ratio, propter quam est in Deo negatio con-*

sortij omnis alterius indiuidui, Nego. *& non valet*, Concedo. *Ratio illa vt diximus suprà conclusione secunda sect. secunda de Deo, est inclusio omnis omnino perfectionis, cum qua stare non potest multiplicatio vlla numerica.*

Ex dictis inferes primò, propterea differentiam numericam desumi non debere à materia, quia vnaquæque res est hæc, & non alia per suam propriam entitatem. Certè duæ animæ rationales licèt informarent successiuè, aut etiam simul eandem materiam non desinerent differre numero, & indiuidualiter.

Secundò, Angelos non solùm diuersarũ Hierarchiarum, & ordinum posse esse diuersæ speciei; sed etiam eos, qui sunt eiusdem ordinis. Neque enim est vlla repugnantia, vt aliquibus ex illis conueniat aliquid intrinsecũ notabiliter diuersum, quod non cõueniat aliis exigere, v.g. longè maiorem præsentiam, plurium obiectorũ species clariores, aut magis vniuersales, &c.

Tertiò, non esse dubium, quin Angeli sint in magno numero iuxta illud, *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*, Danielis septimo, & Apocal. quinto, *Audiui vocem Angelorum multorum, & erat numerus millia millium*, incertum tamen esse quantus sit eorum numerus determinatè, cùm non constet nobis, neque ex effectibus, neque ex reuelatione vlla, quænam sit eius vltima vnitas, & in iis quæ pendent ex mera Dei voluntate, cui non desunt proportionati fines, propter quos velle possit diuersa, & contraria, nihil certi statui possit, donec manifestatum sit nobis quid elegerit.

Quartò, ad probandam diuersitatem specificam inter Angelos, argumentum aliud peti posse ex subiectione, & superioritate, quam asserunt multi auctores esse inter dæmones, in quibus cùm nihil remanserit supernaturale, admittendum est necessariò imperium, quod habent alij supra alios, fundatum esse in excellentia naturali, quam habent illi supra istos.

SECTIO V.

De intellectu Angelico.

PRIMA CONCLVSIO:

Intellectus Angeli non distinguitur ab ipso realiter.

NVLLA est necessitas admittendi distinctionem realem inter intellectum Angeli, & eius substantiam: ergo intellectus Angeli non distinguitur ab ipso realiter.

Maior pr. Tota necessitas distinctionis realis intellectus Angeli ab ipso, est, vt assignetur cõmodè principium connaturale intellectionum Angelicarum; atqui sine huiusmodi distinctione commodè assignatur principium cõnaturale intellectionum Angelicarum: ergo nulla est necessitas distinctionis intellectus Angeli ab ipso.

Minor pr. Substantia Angeli, simul cum specie impressa obiecti, potest dici commodè prin-

cipium connaturale intellectionum Angelicarum: ergo sine huiusmodi distinctione assignatur commodè principium intellectionum Angelicarum.

Minor pr. Illud commodè assignatur principiũ connaturale intellectionum Angelicarum, quod intelligitur habere satis virium, & actiuitatis ad illas ponendas, & ea ei concessa hæ perfectiùs, & faciliùs communicant suum effectum formalem Angelo; atqui substantia Angeli simul cum specie impressa habet satis virium, & actiuitatis ad ponendas intellectiones, & ea ei concessa hæ perfectiùs, & faciliùs ei communicant suum effectum formalem: ergo substantia Angeli, simul cum specie impressa, commodè assignatur principium connaturale intellectionum Angelicarum.

Secunda pars minoris probatur primò.

Effectus formalis intellectionum consistit in eo: quòd hæ recipiantur in eo, à quo fiunt; atqui concessa vi ipsarum productiua principali tota, substantiæ Angeli perfectiùs, & faciliùs vniuntur ei, à quo fiunt: ergo concessa vi productiua intellectionum Angelicarum ipsi Angelo, ipsæ ei perfectiùs communicant suum effectum formalem.

Minor pr. Quod immediatè vnitur alteri, & soli perfectiùs ei vnitur: quàm si mediatè tantùm, aut nō soli; atqui concessa vi productiua principali tota intellectionum Angelicarum substantiæ Angeli illæ vniuntur isti immediatè, & soli: ergo concessa vi ipsarum productiua principali tota substantiæ Angeli perfectiùs, & faciliùs

vniuntur ei, à quo fiunt.

Prima pars minoris patet, nihil enim est medium, & secunda probatur.

Aliud, cui dici possunt vniri, est species impressa; atqui non vniuntur speciei impressæ: ergo vniuntur soli substantiæ Angeli.

Minor pr. Non magis vniri debent speciei impressæ, quàm obiecto (cuius agit vices) cùm adest, & immediatè coagere potest; atqui isti non vniuntur: ergo neque eius speciei impressæ.

Minor pr. Intellectio non est in duobus locis, atqui substantia, & obiectum licèt ei immediatum sunt in duobus locis: ergo intellectio non vnitur, seu non est in eodem loco cum ipso.

Prima pars minoris quarti argumenti, in probationem conclusionis, substantiam scilicet Angeli, habere satis virium, ad ponendas suas intellectiones, probatur.

Ratio quæ afferri potest, cur substantia Angeli non habeat satis virium ad ponendas suas intellectiones, sine intellectu distincto, est, quia sicut non est sua omnis perfectio, ita nec sua omnis virtus; atqui licèt habeat satis virium, ad ponendas intellectiones, sine intellectu distincto realiter, non est sua omnis virtus: ergo substantia Angeli, sine intellectu distincto habet satis virium, & actiuitatis ad ponendas intellectiones.

Minor pr. Illud non est sua omnis virtus respectu alicuius effectus, quod vt illum ponat requirit aliud comprincipium; atqui substantia Angeli, licèt habere dicatur satis virium ad ponẽdam intellectionem, sine intellectu distincto,

requirit aliud comprincipium ad illam ponendam: ergo ſubſtantia Angeli, licèt habeat ſatis virium ad ponendam intellectionem, ſine intellectu diſtincto, non eſt ſua omnis virtus.

Minor pr. Requirit ſpeciem impreſſam; atqui ſpecies impreſſa eſt comprincipium intellectionis: ergo requirit aliud comprincipium.

Conclvsio Secvnda:

Intellectio Angelica diſtinguitur realiter ab Angelo.

Intellectio Angelica non eſt ipſemet Angelus: ergo diſtinguitur ab ipſo.

Antecedens pr. Non magis intellectio Angelica eſt Angelus, quàm eiuſdem volitio; atqui volitio Angelica non eſt Angelus: ergo neque intellectio.

Minor pr. Angelus eſt ſemper idem; atqui volitio Angelica non eſt ſemper eadem: ergo Angelus non eſt ſua volitio.

Minor pr. Quod eſt modò odium Dei cùm antea eſſet amor, non eſt ſemper idem; atqui volitio dæmonum eſt modò odium Dei, cùm antea eſſet eius amor: ergo volitio Angelica non eſt ſemper eadem.

Ex dictis inferes primò, quòd quemadmodum res quælibet eſt ſua aliqua perfectio, licèt non omnis, eſſentia enim rei cuiuſcumque, eſt eius perfectio ab ipſa, vt clarum eſt, non diſtincta; ita & non repugnare, vt ſit ſua aliqua virtus, quod etiam aduerſarij non negant, de ea, reſpectu ſuarum proprietatum, quæ ab illa ſola manant,

Secundò, intellectus Angelicos cùm identificentur ipsis Angelis esse tam diuersos inter se specie, quàm sint ipsi Angeli.

Sectio VI.

De speciebus Angelicis, à quo illas habeant, quarum rerum, & quando.

Conclusio Prima:

Intellectus Angelicus indiget speciebus impressis ad percipienda varia obiecta.

Intellectus Angelicus eo indiget ad intelligendum, per quod fit potens ad producendam intellectionem alicuius rei; atqui intellectus Angelicus fit potens ad producendam intellectionem multarum per species: ergo intellectus Angelicus indiget speciebus ad percipiendas varias res.

Minor pr. Angelus non est potens ad intelligendas varias res seipso: ergo fit potens ad illas intelligendas per species.

Antecedens pr. Non magis Angelus est potens seipso ad intelligendas varias res, quàm aliæ creaturæ intellectiuæ: sed aliæ creaturæ intellectiuæ non sunt potentes seipsis ad intelligendas alias res: ergo Angelus non est potens se ipso ad intelligendas varias res.

Maior pr. Nullum est fundamentum conce-

dendi Angelis vim intelligendi ſine ſpeciebus impreſſis : ergo non magis Angelus eſt potens ſeipſo ad intelligendas varias res, quàm aliæ creaturæ intellectiuæ.

Antecedens pr. Non videtur eſſe alia ratio, quàm maior ipſorum perfectio ; atqui illa non eſt ſufficiens : ergo nullum eſt fundamentum concedendi Angelis vim intelligendi ſine ſpeciebus impreſſis.

Minor pr. Maior perfectio non poteſt eſſe fundamentum concedendi Angelo id, ſine quo intelligimus maiorem illam eius perfectionem ; atqui ſine vi intelligendi ſine ſpeciebus intelligimus maiorem perfectionem Angeli: ergo maior Angeli perfectio non eſt ſufficiens fundamentum ad eam ipſi concedendam.

Minor pr. Per hoc, quod Angelus ſit ſubſtantia ſpiritalis ſimplex, completa & productiua tam perfectarum operationum &c. intelligitur ſufficienter maior eius perfectio; atqui hoc non eſt vis intelligendi ſine ſpeciebus impreſſis : ergo ſine vi intelligendi ſine ſpeciebus intelligimus maiorem perfectionem Angeli.

CONCLVSIO SECVNDA:

Angeli accipiunt ſpecies à Deo.

ANGELI accipiunt ſpecies à Deo, vel ab obiecto; atqui illas non accipiunt ab obiecto : ergo à Deo.

Minor pr. Angeli accipere non poſſunt ſpecies ab obiecto, niſi mediatè, vel immediatè; atqui dici non poteſt, quòd illas accipiant ab obie-

cto, neque mediatè, neque immediatè: ergo non accipiunt species ab obiecto.

Prima pars minoris probatur.

Vt Angeli accipiant species mediatè ab obiecto, debet obiectum illas producere in spatio intermedio; atqui obiectum producere eas non potest in spatio intermedio: ergo non accipiunt illas mediatè ab obiecto.

Minor pr. Species illæ sunt spiritales, sed obiectum producere non potest species spiritales in spatio intermedio: ergo obiectum producere non potest species in spatio intermedio.

Responderi posset ad maiorem: *Species illa sunt spiritales qua recipiuntur in Angelo*, Concedo. *qua recipiuntur in medio*, Nego. *& concessa minori, ergo obiectum non potest producere species spiritales in spatio intermedio*, Concedo. *materiales*, Nego.

Contrà. Species materiales productæ in medio non possunt efficere spiritales, quæ recipiuntur in Angelo: ergo neque obiectum per illas has efficere mediatè.

Antecedens pr. Res materialis quæuis saltem sola non est dicenda habere vim producendi effectum in subiecto spiritali; atqui species illæ sunt materiales, & sæpe valde viles, Angelus autem est spiritalis: ergo species materiales productæ in medio efficere non possunt spiritales, quæ recipiuntur in Angelo.

Maior pr. Qui admittit rem materialem per se solam habere vim producendi effectum in subiecto spiritali, vix potest negare ignē virtute sua naturali non agere in animas damnatas;

atqui ignis ex communi ſenſu auctorum non agit virtute ſua naturali, & non eleuata in animas damnatas ſeparatas à corpore: ergo res materialis ſaltem ſola non eſt dicenda habere vim producendi effectum in ſubiecto ſpiritali.

Probatur iam minor argumenti ſuperioris, obiectum non poſſe producere ſpecies ſpiritales in ſpatio intermedio.

Species ſpiritales produci non poſſunt in ſubiecto materiali; atqui ſpatium intermedium eſt materiale: ergo obiectum producere non poteſt ſpecies ſpiritales in ſpatio intermedio.

Minor pr. Spatium intermedium eſt aër v. g. terra, aut quid ſimile, ſed aër v. g. terra, aut quid ſimile ſunt materialia: ergo ſpatium intermedium eſt materiale.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti, quòd obiectum non producat ſpecies immediatè, probatur.

Vt ſpecies producantur immediatè ab obiecto, debet Angelus eſſe illi contiguus; atqui Angelus, vt habeat ſpecies obiecti alicuius, non debet eſſe illi contiguus: ergo non accipit ſpecies ab obiecto immediatè.

Minor pr. Quod debet eſſe contiguum obiecto, vt habeat illius ſpecies, paſſu, vel ſemipaſſu ab illo diſtans illud cognoſcere non poteſt; atqui non eſt probabile Angelum diſtantem tantùm paſſu, aut ſemipaſſu ab aliquo obiecto illud percipere non poſſe: ergo Angelus vt habeat ſpecies obiecti alicuius non debet eſſe illi contiguus.

Maior ſuprà poſita, ſpecies ſpiritales produc

debent curã, neque commercium cum illis, quæ sunt superioris ordinis; atqui res supernaturales sunt superioris ordinis, quàm sit Angelus: ergo Angelus habere non debet curam rerum supernaturalium, neque cum iis vllum commercium.

Minor pr. Ordo supernaturalis est superior naturali; atqui res supernaturales sunt primi, & Angelus secundi ergo res supernaturales sunt ordinis superioris, quàm sit Angelus.

Secunda pars minoris superioris argumenti, quòd etiam non debeatur Angelo cognitio secretorum cordis, probatur.

Eorum non debetur cognitio Angelo, quæ impediunt dominium creaturæ liberæ in suos actus, & faciunt inutilem locutionem; atqui cognitio secretorum cordis impedit dominium creaturæ liberæ in suos actus, & facit inutilem locutionem: ergo Angelo non debetur cognitio secretorum cordis.

Prima pars minoris probatur.

Illud impedit dominium creaturæ liberæ in suos actus, quod facit, vt non perfectè disponat de illis; atqui cognitio secretorum cordis facit, vt non perfectè disponat de illis: ergo cognitio secretorum cordis impedit dominium creaturæ liberæ in suos actus.

Minor pr. Illud facit, vt creatura libera non disponat perfectè de suis actibus, quod facit, vt abstineat ab illis ponendis aut non ponendis cùm vellet; atqui cognitio Angelica secretorum cordis facit, vt creatura libera abstineat à ponendis suis actibus, aut non ponendis cùm vellet: ergo cognitio secretorum cordis facit, vt non perfectè disponat de illis.

Minor pr. Illud facit, vt creatura libera abſtineat à ponendis ſuis actibus, aut non ponendis, quod facit ne illis ſint ignoti, quibus eos ignotos eſſe vult; atqui cognitio Angelica ſecretorum cordis, facit vt actus creaturæ liberæ non ſint ignoti iis, quibus eos ignotos eſſe vult: ergo cognitio Angelica ſecretorum cordis facit, vt creatura libera abſtineat à ponendis ſuis actibus, aut non ponendis, cùm vellet eos ponere aut non ponere.

Minor pr. Ij, quibus eos ignotos eſſe vult, ſæpè ſunt Angeli; atqui cognitio Angelica ſecretorum cordis facit, vt iis non poſſint eſſe ignoti: ergo neque iis, quibus eos ignotos eſſe vult.

Minor pr. Illud non eſt ignotum Angelis cuius habent cognitionem; atqui ex conceſſis habent cognitionem ſecretorum cordis: ergo cognitio Angelica ſecretorum cordis facit vt non poſſint eſſe iis ignoti.

Minor pr. Illi actus ſunt ea, quæ nos vocamus ſecreta cordis: ergo habent ex conceſſis cognitionem ſecretorum cordis.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti, cognitionem ſecretorum cordis facere inutilem locutionem, probatur.

Illud facit inutilem locutionem, quod nihil illi relinquit declarādum, & aperiendū; atqui cognitio ſecretorū cordis nihil relinquit locutioni declarandum, & aperiendum: ergo cognitio ſecretorum cordis facit inutilem locutionem.

Minor pr. Illud nihil relinquit locutioni declarandum, & aperiendum, quod ſupponit omnia ſine illa nota, & perſpecta; atqui cognitio ſecre-

torum cordis ſupponit omnia ſine locutione nota, & perſpecta: ergo cognitio ſecretorum cordis nihil relinquit locutioni declarandum, & aperiendum.

Minor pr. Quæ dici poteſt Angelus declarare alteri per locutionem, ſunt nota ſibi, & illi ignota; atqui cognitio ſecretorum cordis facit, vt quod vni notum eſt, notum etiam ſit alteri: ergo cognitio ſecretorum cordis ſupponit ſine locutione omnia nota, & perſpecta.

Minor pr. Quod facit, vt cognitiones omnes vnius, & volitiones notæ ſint alteri, facit, vt nihil ſit notum vni, quod non ſit notum alteri; atqui cognitio ſecretorum cordis facit, vt cognitiones vnius, & volitiones notæ ſint alteri: ergo cognitio ſecretorum cordis facit, vt nihil ſit notum vni, quod non ſit notum alteri.

Minor pr. Cognitio cogitationum & volitionum facit, vt cognitiones & volitiones vnius notæ ſint alteri; atqui ſecreta cordis ſunt cogitationes, & volitiones: ergo cognitio ſecretorum cordis facit, vt cognitiones omnes vnius & volitiones notæ ſint alteri.

Tertia pars minoris primi argumenti, quòd Angelo non debeatur cognitio futurorum, pr.

Eorum non debetur cognitio Angelo, quam habemus ex Scriptura eſſe Dei propriam, & eum ea carere; atqui cognitio futurorum ex Scriptura eſt propria Dei, & Angelus ea caret: ergo Angelo non debetur cognitio futurorum.

Prima pars minoris probatur.

Illa cognitio eſt propria Dei, quæ ſumitur in certum argumẽtũ diuinitatis; atqui ex Scriptu-

ra cognitio eorum, quæ ventura sunt, seu futurorum sumitur in argumentum diuinitatis: ergo cognitio futurorum est propria Dei.

Minor pr. Isaiæ 4. *Dicite nobis, quæ ventura sunt, & dicemus, quia dij estis vos*: ergo cognitio futurorum sumitur in certum argumentum diuinitatis.

Secunda pars minoris probatur.

Non minùs Angelus caret cognitione vnius futuri quàm alterius; atqui certum est ex Scriptura, quòd careat cognitione alicuius futuri: ergo Angelus caret cognitione futurorum.

Minor probatur. Dies extremi iudicij est vnum ex futuris; atqui certum est ex Scriptura, quòd careat cognitione diei extremi iudicij: ergo certum est ex Scriptura, quòd careat cognitione alicuius futuri.

Minor probatur Ea cognitione caret Angelus, quam nemo, seu nulla creatura habet; atqui apud Matth. ait Christus, De die iudicij nemo, seu nulla creatura nouit, seu habet cognitionem: ergo certum est ex Scriptura quòd Angelus careat cognitione diei extremi iudicij.

Obijcies. Angelus habet species eorum, quorum habet cognitionem; atqui Angelus habet cognitionem rerum supernaturalium, secretorum cordis, & futurorum: ergo Angelus habet species rerum supernaturalium, secretorum cordis, & futurorum.

Prima pars minoris probatur.

Conseruatio specierum Eucharisticarum, & eductio actuum supernaturalium in Angelis sunt

entia ſupernaturalia etiam in ſubſtantia; atqui Angelus habet cognitionem conſeruationis ſpecierum Euchariſticarum, & eductionis actuum ſuorum ſupernaturalium: ergo Angelus habet cognitionem rerum ſupernaturalium.

Solutio: *Atqui Angelus habet cognitionem conſeruationis ſpecierum Euchariſticarum, & eductionis actuum ſuorum ſupernaturalium perfectam*, Nego. *imperfectam*, Concedo. *ergo Angelus habet cognitionem rerum ſupernaturalium perfectam*, Nego. *imperfectam*, Concedo.

Contrà. Cognitio certa, & euidens eſt perfecta; atqui Angelus habet certam, & euidentem cognitionem conſeruationis ſpecierum Euchariſticarum, & eductionis actuum ſuorum ſupernaturalium: ergo habet cognitionem perfectam conſeruationis ſpecierum Euchariſticarum.

Solutio: *Cognitio certa, & euidens eſt perfecta, ſi ſit intuitiua*, Concedo. *ſi ſit tantùm abſtractiua*, Nego. *atqui Angelus habet certam, & euidentem cognitionem abſtractiuam conſeruationis ſpecierum Euchariſticarum, & eductionis actuum ſuorum ſupernaturalium*, Concedo. *intuitiuam*, Nego.

Contrà. Qui habet cognitionem abſtractiuam rerum ſupernaturalium, conſeruationis v. g. ſpecierum Euchariſticarum, habet earum ſpecies; atqui Angelus ex cõceſſis habet cognitionem abſtractiuam rerum ſupernaturalium, conſeruationis v. g. ſpecierum Euchariſtica-

rum: ergo habet earum ſpecies.

Maior pr. Qui habet cognitionem abſtractiuam rerum ſupernaturalium, conſeruationis v.g. ſpecierum Euchariſticarum, non minùs habet earum ſpecies, quàm qui habet intuitiuam; atqui qui habet intuitiuam habet earum ſpecies: ergo etiam qui habet cognitionem abſtractiuam rerum ſupernaturalium, conſeruationis v. g. ſpecierum Euchariſticarum, habet earum ſpecies.

Maior pr. Omnis cognitio ſupponit ſpecies, vel concurſum obiecti; atqui cognitio abſtractiua rerum ſupernaturalium eſt tam benè cognitio, ac intuitiua, & ad eam non eſt concurſus obiecti: ergo qui habet cognitionem abſtractiuam rerũ ſupernaturalium, conſeruationis v. g. ſpecierum Euchariſticarum, non minus habet earum ſpecies quam qui habet intuitiuam.

Solutio: *Omnis cognitio ſupponit concurſum obiecti, vel ſpecies proprias, vel alienas*, Concedo. *proprias tantùm*, Nego. *& conceſſa minori: ergo qui habet cognitionem abſtractiuam rerum ſupernaturalium, habet earum ſpecies proprias*, Nego. *alienas, earum ſcilicet rerum, ex quarum exiſtentia deducuntur*, Concedo. *Creatio v. g. aut eductio ſupernaturalis ſupponit ſpecies eductionis naturalis, vi quarum de ea formatur cognitio ab Angelo. Quando autem dicimus Angelum non habere ſpecies rerum ſupernaturalium, aut alterius rei hoc intelligimus de ſpeciebus propriis, non de alienis, quæ parere quidem poſſunt cognitionem abſtractiuam, non autem intuitiuam, qualem tantùm iſtarum rerum Angelis denegamus.*

Secunda pars minoris superioris argumenti, quòd Angelus habeat cognitionem secretorum cordis, probatur.

Cognitiones, & volitiones humanæ sunt secreta cordis; atqui Angelus habet cognitionem nostrarum cognitionum, & volitionum: ergo Angelus habet cognitionem secretorum cordis.

Minor pr. Qui habet cognitionem imaginationum, & appetitionum, & nouit earum cum volitionibus, & cognitionibus connexionem, habet istarum quoque cognitionem; atqui Angelus habet cognitionem imaginationum, & appetitionum humanarum, & nouit earum cum cognitionibus, & volitionibus connexionem: ergo Angelus habet cognitionem nostrarum cognitionum, & volitionum.

Minor pr. Angelus habet cognitionem rerum naturalium, quæ non sunt secreta cordis; atqui imaginationes, & appetitiones non sunt secreta cordis: ergo Angelus habet cognitionem imaginationum, & appetitionum.

Solutio: *Angelus habet cognitionem rerum naturalium, quæ non sunt secreta cordis, si non habeant necessariam cum illis connexionem,* Concedo. *si habeant,* Nego. *Visis enim istis viderentur alia, quod perinde impediret dominium creaturæ liberæ in suos actus; atqui imaginationes, & appetitiones non sunt secreta cordis, nec habent necessariam connexionem cum illis,* Nego. *& habent,* Concedo. *Cùm enim nunquam operetur intellectus, & voluntas, quin simul operentur phantasia, & appetitus, & vice ver-*

sa; cognito qualis esset imaginatio, & appetitio, sciretur quoque qualis sit cognitio, & volitio.

Contrà. Quod percepta imaginatione, & appetitione Angelus scire possit intellectionem, & volitionem, non impedit quominùs Angelus eas percipiat: ergo licèt habeant necessariam connexionem cum secretis cordis, debet eas videre.

Antecedens pr. Cùm quis audit aliquem inter dormiendum loquentem, & quæcumque habet secretissima pandentem, percepta huiusmodi locutione percipit secreta cordis ipsius; atqui hoc non impedit quominùs illam locutionem percipiat; ergo quod percepta imaginatione, & appetitione Angelus scire possit intellectionem, & volitionem, non impedit quominùs Angelus eas percipiat.

Solutio: *Cùm quis audit aliquem inter dormiendum loquentem, & quacumque habet secretissima pandentem, percepta hac locutione percipit secreta cordis ipsius, & hoc valdè raro, & omnino per accidens contingit,* Concedo. *& hoc semper, aut sæpè & ex ordine natura accidit,* Nego. *& concessa minori: ergo quòd percepta imaginatione, & appetitione Angelus scire possit intellectionem, & volitionem, non impedit quominùs Angelus eas percipiat, si hoc raro contingat, & merè per accidens,* Concedo. *& hoc contingit necessariò, & ex ordine natura, qui petit, vt cùm est actus imaginationis, sit etiam ei correspondens actus intellectionis, & volitionis,* Nego. *sic enim per illam constantem notitiam prouisum non esset satis dominio creatura libera in suos actus, vt esse debet, & verè est, licèt aliquan-*

do

do per accidens, per imprudentiam scilicet, aut aliam causam non naturalem, noti fiant iis, quibus eos ignotos esse vult.

Tertia pars, quòd Angeli habeant cognitionem rerum futurarum, probatur.

Tempestates, pluuiæ, & venti anni sequentis sunt res futuræ; atqui Angeli habent cognitionem illarum tempestatum, pluuiarum, & ventorum: ergo Angeli habent cognitionem futurorum.

Solutio: *Tempestates, pluuiæ, & venti anni sequentis sunt res futuræ liberæ,* Nego. *necessariæ,* Concedo. *& concessa minori: ergo habent cognitionem futurorum necessariorum,* Concedo. *liberorum,* Nego.

Contrà. Bella, & cædes hominum temporum sequentium sunt futura libera; atqui habent cognitionem illorum bellorum, & cædium: ergo habent cognitionem futurorum liberorum.

Solutio: *Atqui habent cognitionem certam illorum bellorum, & cædium,* Nego. *coniecturalem,* Concedo. *ergo habent cognitionem futurorum liberorum certam,* Nego. *coniecturalem,* Concedo.

Contrà. Talem habent cognitionem illorum bellorum, & cædium, qualis est, quam habent de illis prædictionem; atqui certò prædicunt hæc bella, & cædes; ergo certam habent de illis cognitionem.

Minor pr. Tam certò prædicunt bella illa, & cædes, quàm certò dicunt, cùm sunt, illorũ existentiam: sed certò dicunt cùm sunt illa bella, & cædes, eorum existentiam: ergo certò præ-

dicunt illa bella & cædes.

Maior pr. Quod prædicunt Angeli per eamdem speciem, per quam id dicunt, tam certò prædicunt, ac dicunt; atqui Angeli prædicunt illa bella, & cædes per eam speciem, per quam illa dicunt esse cùm sunt: ergo tam certò prædicunt bella illa, ac cædes, quàm certò dicunt, cùm sunt illorum existentiam.

Minor pr. Cùm illa bella, & cædes sunt non infunditur illis noua eorum species: ergo prædicunt illa per eam speciem, per quam illa dicunt esse, cùm sunt.

Antecedens pr. Species nouæ ad existentiam bellorum, cædium, & aliorum similium non sunt pauciores, nec infrequentiores quàm guttæ pluuiæ non interruptæ; atqui non est continua pluuia specierum in intellectu Angeli: ergo cùm illa bella & cædes sunt, non infunditur illis noua eorum species.

Minor pr. Continua pluuia specierum secum trahit productionem cognitionum illis correspondentium; atqui in intellectu Angeli non sunt tot cognitiones: ergo in intellectu Angeli non est continua pluuia specierum.

Minor pr. Cognitiones correspondentes illi pluuiæ specierum sunt ferè innumeræ; atqui non sunt innumeræ cognitiones simul in intellectu Angeli: ergo in intellectu Angeli non sunt tot cognitiones.

Neganda est minor, *& dicendum æquè posse esse innumeras simul cognitiones in intellectu Angeli, aut vnam illis æquiualentem, ac experientia ostendit innumeras esse visiones, aut*

vnam illis aequiualentem in oculo hominis iter agentis per vastam planitiem, aut in ea sedentis, & nunc oculos ad cœlum tollentis, nunc ad terram deprimentis, repraesentat enim eius visio omnia illa, quantumuis multa, & pene innumera, à quibus ad oculum duci potest linea recta non impedita per corpus opacum.

Quòd autem quae est maior superioris argumenti, cùm infunduntur de nouo illae species, elicere debeat Angelus cognitionem illis correspondentem, inde peti debet, quod nihil intellectui Angelico ad eam eliciendam dici possit deesse, non magis, quàm oculo noua coloris specie informato, & sicut iste est agens necessarium, ita & ille, nec dici potest adesse etiam illam speciem post, & tamen non elici illius cognitionem, neque enim semper Angelus cogitat de re illa. Respondeo siquidem egere postea speciem illam excitatione, qua nonnunquam abest. In prima autem productione minimè desiderari posse videtur huiusmodi excitatio, sine illa enim experientia docet fieri cognitionem.

Contrà. In Angelo non sunt cognitiones vllæ de secretis cordis; atqui cognitiones illæ innumeræ, quas dicimus posse esse in illis, sunt de secretis cordis & actibus liberis: ergo non possunt esse cognitiones illæ innumeræ in intellectu Angeli.

Minor pr. Productio rerum illarum, & earum existentia de nouo includit decretum, & actum liberum Dei: ergo cognitiones illæ innumeræ sunt de secretis cordis, & actibus liberis.

Solutio: *Productio rerum illarum & earum existentia de nouo includit decretum, & actum Dei liberum manifestatum*, Concedo. *non manifestatum, & quod Deus velit esse ignotum*, Nego. *neque enim potest esse maior manifestatio illorum actuum Dei, quàm positio illorum, per quæ possunt nobis innotescere, ante oculos omnium creaturarum etiam materialium: ergo cognitiones illæ sunt de secretis cordis, & actibus liberis manifestatis*, Concedo. *non manifestatis*, Nego.

Contrà. Ex distinctione data non sunt cognitiones vllæ in Angelo de decretis, & actibus liberis Dei non manifestatis; atqui cognitiones de pluuia futura v. g. vento, & similibus sunt de decretis liberis Dei non manifestatis: ergo in Angelis non sunt cognitiones de pluuia futura v. g. vento, & similibus.

Minor pr. Decretum liberum Dei de pluuia futura v. g. cras importat ex parte Dei essentiam diuinam, & ex parte pluuiæ ipsius existentiam pro tali tempore; atqui essentia diuina non est manifestata malis Angelis, neque existentia pluuiæ crastina: ergo cognitiones de pluuia futura sunt de decretis, & actibus liberis Dei non manifestatis.

Prima pars minoris non est dubia, & secunda probatur.

Existentia pluuiæ crastina non manifestatur nisi per positionem eius extra causas; atqui hodie non est posita extra causas: ergo existentia pluuiæ crastina non est manifestata.

Respondendum est ad maiorem præcedentis

argumenti. *Decretum liberum Dei de futura pluuia v. g. est essentia diuina, & existentia pluuiæ crastinæ tantùm*, Nego. *illa duo, & simul causa illa secunda à quibus orietur, & quæ habent vim illam producendi, quam cohibere non possunt*, Concedo. *& iam ad minorem, atqui essentia diuina non est manifestata malis Angelis, neque existentia pluuiæ crastina*, Concedo. *neque etiam causæ illæ secundæ naturales, quæ habent vim illam producendi, à qua non possunt abstinere*, Nego. *per aspectum enim istarum cognosci possunt eorum effectus vtpote cum iis necessaria consecutione connexi.*

Contrà. Effectus illi possunt impediri per decretum liberum Dei de non concurrendo cum illis causis; atqui illud decretum non est manifestatum: ergo decretum de pluuia futura non est manifestatum per causas illas, quæ habent vim illam producendi.

Solutio: *Effectus illi possunt impediri per decretum liberum Dei de non concurrendo cum illis causis, & hoc potest esse de lege ordinaria, & secundùm ordinem naturæ*, Nego. *contra ordinem naturæ, & de potestate absoluta*, Concedo. *& concessa minori: ergo decretum de pluuia futura non est sufficienter manifestatum per causas illas naturales, quæ habent vim illam producendi stando in lege ordinaria, & ordine rerum naturali*, Nego. *habita ratione potentiæ Dei absoluta*, Concedo. *Verùm cùm conceditur Angelo cognitio certa futurorum naturalium, & non liberorum, non intelligitur cognitio certa certitudine metaphysica, ad quam necessaria esset notitia decreti*

liberi diuini de non impedienda vi agentium naturalium, sed tantùm certa certitudine naturali, & physica. Atque ex dictis

Inferes primò pro sequenti sectione, Angelos cognoscere plura vt plura, seu habere simul cognitionem multarum rerum sine vlla planè subordinatione inter illas, & absque eo quod sit inter illas vlla connexio. Res enim, quæ producuntur de nouo simul in varijs mundi partibus nullam talem habent, neque subordinationem, neque connexionem.

Secundò, Angelos, cùm cognoscunt futuras tempestates, pluuias, ventos &c. cognoscere illa in indiuiduo tantùm confusè, & non distinctè, ne cogamur dicere illos cognoscere futura libera decreta, scilicet diuina de producendo hoc potiùs indiuiduo, quàm alio; quod illis non est concedendum, vt libertatis sigillum integrũ seruetur; neque enim quoad indiuiduationem præcessit vlla manifestatio in causis ipsorum, sunt enim planè indifferentes ad omnia sua indiuidua, & debent determinari à Deo ad hoc potiùs, quàm aliud, quod fit per decretum Dei liberum omnino latens ante productionem illius indiuidui, & tantùm innotescens Angelis per positionem eius extra causas.

Tertiò, res, quarum diximus Angelum non habere species, non esse obiectum illius connaturale, benè verò alias, quarum ipsis concessimus speciem, & cognitionem, inter quas ipsius substantiam primum tenere locum dubium non est, est enim res naturalis, & eius cognitio ei maximè necessaria, & valdè conueniens. Eius

autem propterea non meminimus, quòd percipiat illam immediatè, & sine specie. Est enim eius intellectui sufficientissimè applicata, & maximè proportionata, vt concurrere possit ad sui cognitionem, alia autem de quibus disputauimus indigent omnia specie, & per seipsa raro efficiunt sui cognitionem.

Quartò, Angelum habuisse ab initio suæ creationis species rerum omnium naturalium sumptarum secundùm essentiam, earum enim ei debebatur cognitio, existentiæ verò earumdem tantùm quando positæ sunt extra causas, alioquin cognoscerent futura, quod probatum est ipsis non deberi.

Quintò, non esse vsquequaque certum an debeantur Angelis species rerum de nouo existentium, quantumuis ab iis distent, posset enim dici certam esse distantiam, ex qua illas possint cognoscere, non verò ex maiori. Definiri autem posset illa distantia illis terminis, ad quos vsque protendere potest obiectum suas species per medium non impeditum. Cùm enim obiectum debeat concurrere ad sui cognitionem Angelicam, vel humanam per se, vel per species, non videtur cognosci debere in spatio, ad quod non potest immittere comprincipium necessarium vt cognoscatur ab illis egentibus huiusmodi comprincipio. Si enim eo non egerent, & eo ipso, quod obiectum est cognoscibile illud perciperent prout facit Deus, cognoscerent res supernaturales futuras & secreta cordis, hæc enim omnia sunt intelligibilia.

Quænam autem sit illa distantia, ad quam vs-

que obiecta creata protendere possunt suas species, dicendum videtur esse limitatam pro limitatione, & perfectione ipsorum, ita vt perfectiora producere illas possint ad maiorem, & imperfectiora ad minorem.

SECTIO VII.

De modo cognitionis Angelicæ.

CONCLVSIO PRIMA:

Cognitiones Angelorum sunt formaliter discursiuæ.

ILLIVS cognitiones sunt discursiuæ formaliter, qui assentitur vni propter aliud per varios actus; atqui Angelus assentitur vni propter aliud per varios actus: ergo Angeli cognitiones sunt formaliter discursiuæ.

Minor pr. Ille assentitur vni propter aliud per varios actus, qui assentitur per actus, quorum vnus est euidens, & alter probabilis; atqui Angelus assentitur multis per actus, quorum aliqui sunt probabiles, & alij euidentes: ergo Angelus assentitur vni propter aliud per varios actus.

Minor pr. Actus Angeli, in ijs, in quibus vti debet coniecturis vnus est euidens, & alij probabiles; atqui in multis vti debet coniecturis: ergo Angelus assentitur multis per actus,

quorum aliqui ſunt probabiles, & alij euidentes.

Maior pr. In iis, in quibus Angelus vti debet coniecturis, Angelus habet huiuſmodi actus vbi eſt hoc, illud ſequitur; atqui ibi eſt hoc: ergo illud ſequitur: Atqui in hoc ſyllogiſmo, prima propoſitio, & vltima ſunt probabiles, & ſecunda euidens: ergo actus Angeli in ijs in quibus vti debet coniecturis, vnus eſt euidens & alij probabiles.

Prima pars minoris probatur.

Ille actus eſt probabilis, cuius obiectum poteſt non eſſe; atqui obiectum actus, qui dicit vbi eſt hoc, illud ſequitur, poteſt non eſſe: ergo ille actus eſt probabilis.

Minor pr. Sequela illa ex ſuppoſitione eſt contingens: ergo poteſt non eſſe.

Altera pars minoris ſuperioris argumenti, quòd concluſio ſit etiam probabilis, probatur.

Illa propoſitio eſt probabilis, quæ eſt concluſio ſyllogiſmi deducti ex vna præmiſſa probabili, ſed cognitio, per quam Angelus dicit, ergo hoc eſt, deducitur ex altera præmiſſa probabili: ergo eſt probabilis.

Maior pr. Concluſio ſequitur deteriorem partem, ſed præmiſſa probabilis eſt deterior pars: ergo illa propoſitio eſt probabilis quæ eſt concluſio ſyllogiſmi deducti ex altera præmiſſa probabili.

CONCLVSIO SECVNDA:

Angelus cessare potest ab actuali sui cognitione.

ANGELVS non necessitatur ad actualem sui cognitionem : ergo Angelus cessare potest ab actuali sui cognitione.

Antecedens pr. Nihil aliud dici potest necessitare Angelum ad actualem sui cognitionem, quàm præsentia suæ substantiæ; atqui præsentia suæ substantiæ eum non necessitat : ergo non necessitatur ad actualem sui cognitionem.

Minor pr. Præsentia substantiæ Angeli non magis ipsum necessitat ad actualẽ sui cognitionem, quàm præsentia speciei supplentis absentiam obiecti, aut præsentia ipsiusmet obiecti ad ipsum obiectum cognoscendum; atqui neque præsentia speciei, neque præsẽtia obiecti necessitant Angelum ad illud obiectum cognoscendum : ergo præsentia suæ substantiæ non necessitat Angelum ad actualem sui cognitionem.

Maior pr. Non magis præsentia speciei, aut obiecti debet necessitare Angelum ad cognoscendum illud obiectum, quàm homines, aut animalia; atqui nec præsentia, nec species obiecti necessitant homines, aut animalia ad cognoscendum obiectum præsens per se, vel per speciem sui : ergo neque præsentia speciei, neque præsentia obiecti necessitant Angelum ad cognoscendum illud obiectum.

Minor pr. Sonus est obiectum; atqui nec præ-

sentia soni, nec eius speciei necessitant hominem ad cognitionem soni: ergo præsentia obiecti, & speciei ipsius non necessitant hominem ad ipsum cognoscendum.

Minor pr. Illud non necessitat hominem ad sui cognitionem, quo posito homo non elicit eius cognitionem; atqui posito sono, aut eius specie in aure hominis aliis rebus valdè intenti, homo non elicit cognitionem soni: ergo nec præsentia soni, nec eius speciei necessitant hominem ad cognitionem soni.

Minor pr. Homo aliis rebus valde intentus interrogatus num audierit sonum factum ad aurem, negat se illum audiisse: ergo non elicit illius cognitionem.

Obijcies. Angelus necessitatur semper ad sui cognitionem: ergo cessare non potest à sui cognitione.

Minor pr. Intellectus Angeli necessitatur semper ad id, ad quod faciendum nihil ei vnquam deest; atqui Angelo nihil vnquam deest, ad eliciendam sui cognitionem: ergo Angelus necessitatur semper ad sui cognitionem.

Minor pr. Nihil aliud dici potest deesse Angelo ad eliciendam sui cognitionem, quam vis eliciendi illam tunc, cùm valdè attendit vni, aut pluribus aliis obiectis; atqui cùm valde attendit vni, aut pluribus aliis obiectis non deest ipsi vis ad eliciendam sui cognitionem: ergo Angelo nihil vnquam deest ad eliciendam sui cognitionem.

Minor pr. Illi intellectui non deest vis ad sui cognitionem etiam cùm attendit variis obie-

ctis, cuius virtus non minuitur, quantumcunque multiplicentur obiecta, & si minuatur, remanet semper sufficiens ad sui cognitionem; atqui vis intellectus Angelici non minuitur, quantumcunque multiplicentur obiecta, & licèt minueretur, remanere dici debet semper ad sui cognitionem: ergo intellectui Angelico cùm attendit variis obiectis non deest vis ad sui cognitionem.

Prima pars minoris probatur.

Virtus merè spiritalis non minuitur in productione effectuum merè spiritalium; atqui vis intellectus Angelici est merè spiritalis, & omnes eius effectus pariter: ergo vis intellectus Angelici non minuitur quantumcunque multiplicentur obiecta.

Solutio: *Neganda est maior, & ratio est, quia si vis spiritalis non minueretur per multiplicationem suorum effectuum, non deberet etiam dici augeri, aut crescere intensionem, aut perfectionem eorumdem; atque ita imperfectior, tam intensos, tam perfectos, & tam multos produceret effectus, ac perfectior, quod omnes negant.*

Secunda pars minoris superioris argumenti, quòd remaneat semper vis in Angelo ad sui cognitionem, probatur.

Vis intellectus Angelici applicata pluribus obiectis, quibus omnibus non est simul sufficiens remanere dici debet potiùs ad ea, quæ sunt connaturalia, quàm ad alia, quæ non sunt connaturalia; atqui cognitio sui est Angelo connaturalis aliæ verò minimè: ergo vis intellectus Angeli etsi minuatur, cùm attendit variis obiectis, remanet tamen ad sui cognitionem.

Solutio: *Vis intellectus Angelici applicata pluribus obiectis, quibus omnibus non est simul sufficiens, remanet potiùs ad ea, quæ sunt connaturalia, quàm ad alia, quæ non sunt ei connaturalia, cùm non interuenit imperium voluntatis*, Concedo. *Cùm interuenit huiusmodi imperium faciendi contrarium*, Nego. *atqui cognitio sui est Angelo connaturalis, & non subest imperio voluntatis.* Nego. *& subest*, Concedo.

Contrà Productio cognitionis sui non magis subesse debet imperio voluntatis Angeli, quàm productio subsistentiæ, aut aliarum proprietatum; atqui productio subsistentiæ, & aliarum proprietatum, non subest imperio voluntatis Angeli: ergo nec productio cognitionis sui.

Maior pr. Ideò productio subsistentiæ non subest imperio voluntatis Angeli, quia est ei connaturalis; atqui etiam productio cognitionis sui est Angelo connaturalis: ergo productio cognitionis sui, nõ magis subest imperio voluntatis Angeli, quàm productio ipsius subsistentiæ.

Solutio: *Ideò productio subsistentiæ non subest imperio volũtatis, quia est ei connaturalis præcisè*, Nego. *quia est ei connaturalis tanquam proprietas, & cuius productio est omnino independens ab imperio voluntatis, neque ei vllo modo subordinatur*, Concedo. *atqui productio cognitionis sui est connaturalis Angelo, & est etiam omnino independens ab imperio voluntatis, & ei non subordinatur*, Nego. *& dependet, & ei subordinatur*, Concedo. *Subsistentia est ex iis, quæ prima sunt in substantia, & in ipsum generans refunduntur, iuxta illud, quod dat esse, dat etiam*

ad illud consequentia. Cognitio verò est omnino quid transiens, & quae licèt careat substantia intellectualis, non dicitur imperfecta, aut carere aliquo suo complemento adeo necessario.

Contrà. Illud dici non debet subesse imperio voluntatis, quod est connaturaliter debitum naturæ; atqui productio cognitionis sui est connaturaliter debita Angelo: ergo dici non debet subesse imperio voluntatis, & eius libertati.

Solutio: *Illud omne dici non debet subesse imperio voluntatis, quod est connaturaliter debitum naturæ* Concedo. *aliquod*, Nego. *Illud scilicet quod non se habet per modum proprietatis; atqui productio cognitionis sui est connaturaliter debita Angelo sola*, Nego. *simul cum aliis, quæ se habent per modum proprietatis*, Concedo. *Ratio est facilis, quia cognitio obiecti, cuius Angelo infunditur de nouo species, est ei connaturaliter debita, & tamen subest imperio voluntatis; potest enim ea se priuare, non quidem directè prohibendo illam, sed indirectè applicando, scilicet, intellectum tot aliis, vt ad illam non sufficiat; quod idem dici debet de cognitione sui, & de aliis, quæ non se habent per modum proprietatis.*

Contrà. Illud dici debet habere se per modum proprietatis in Angelo, quod est illi vniuersale principium se determinandi ad hanc potiùs cognitionem, quàm ad aliam; at cognitio sui est ipsi vniuersale principium se determinandi ad hanc potiùs cognitionem, quàm ad aliam: ergo productio cognitionis Angeli est ei connaturaliter debita per modum proprietatis.

Solutio: *Illud dici debet habere se per modum*

proprietatis in Angelo, quod est illi vniuersale principium, & solum se determinandi ad hanc potiùs cognitionem, quàm ad aliam, ita vt sine illo sit insufficiens, Concedo. *si sine illo possit sufficienter se determinare*, Nego. *atqui cognitio sui in Angelo, est ipsi vniuersale principium, & solum, ita vt sine illo sit insufficiens se determinandi ad hanc potiùs cognitionem, quàm ad aliam*, Nego. *non solum & ita vt sine illo possit se determinare*, Concedo. *Aduentus nouarum specierum determinat Angelum, ad cognitionem suorum obiectorum, à quibus sunt, & alia his affines species per istas excitata ad producendam etiam cognitionem obiectorum, quorum agunt vires, donec cessante illa magna attentione ad alia obiecta, redeat Angelo cognitio sui, se esse intellectiuum, se habere has, & illas species, &c. qua cognitio etiam per aduersarios est illi medium sufficientissimum ad se determinandum, ad quamcumque libuerit.*

SECTIO OCTAVA.

De voluntate, & locutione Angelorum.

PRIMA CONCLVSIO:

Voluntas Angelorum, non est accidens illis realiter superadditum.

VOLVNTAS Angelorũ est principium productiuum, & receptiuum volitionum ipsorũ: atqui principium productiuum, & receptiuũ vo-

litionum Angelicarum, non est accidens realiter superadditum Angelis: ergo voluntas Angelorum, non est accidens illis realiter superadditum.

Minor pr. Quod Angeli agunt per suam propriam substantiam, non est accidens illis realiter superadditum; atqui Angeli per suam propriam substantiam efficiunt, & recipiunt suas volitiones: ergo Angeli sunt principium productiuum, & receptiuum suarum volitionum.

Maior pr. Tam Angeli dicendi sunt efficere, & recipere suas volitiones per suam substantiam, quàm accidens illud superadditum, per quod illas effici, & recipi volunt aduersarij; atqui auctores contrariæ sententiæ volunt Angelum efficere, & recipere illud accidens realiter superadditum: ergo Angeli efficiunt etiam, & recipiunt per suam substantiam suas volitiones.

Maior pr. Nullum inconueniens timeri meritò potest ex eo, quòd Angeli efficiant, & recipiant per suam substantiam suas volitiones, & illas efficiendo, & recipiendo hoc modo perfectiùs, & veriùs communicatur ipsis effectus formalis volitionum: ergo tam dicendi sunt Angeli efficere, & recipere suas volitiones, quàm accidens illud realiter superadditum, per quod illas effici, & recipi volunt aduersarij.

Probatio secundæ partis antecedentis debet esse similis illi, quam posuimus suprà sect. 2. ad confirmandum, intellectum Angeli non distingui ab ipso realiter; & veritas primæ patebit ex solutione obiectionis sequentis.

Obijcies. In agentibus creatis principium ope-

randi, est accidens ipsis realiter superadditum; atqui Angelus est agens creatum, & voluntas principiũ operandi ipsius: ergo voluntas Angelorum est accidens ipsis realiter superadditum.

Maior pr. Principium operandi cœlorum & astrorum est lumen, elementorum primæ qualitates, mixtorum secundæ, vegetantium calor natiuus, & simile quid in aliis agẽtibus creatis; atqui qualitates primæ, secundæ, calor natiuus, &c. sunt accidens realiter superadditum cœlis, elementis, mixtis, vegetatiuis, & aliis agentibus creatis: ergo principium operandi agentium creatorũ, est accidens illis realiter superadditũ.

Solutio: *Principium operandi cœlorum est lumen, elementorum primæ qualitates, mixtorum secundæ, vegetantium natiuus calor, & simile quid in aliis agentibus creatis, ita vt illa agentia, nihil agant per suam substantiam,* Nego. *ita vt multa agant per suam substantiam,* Concedo. *& concessa minori: ergo principiũ operandi agentium creatorũ, est accidens illis realiter superadditum, ita vt ipsa nihil agant per suam substantiam,* Nego. *Omnia enim sunt productiua suarum proprietatum, & reparatiua earumdem cùm illis fuere ablata, vt videre est in aqua calefacta restituente se, remoto agente calido ad pristinum frigus, ita vt ipsa agant per suam substantiam, & tantùm iuuentur ab illis, ad aliquos effectus,* Concedo.

Contrà. Accidentia non producuntur à substantiis; atqui agentia creata sunt substantiæ, & eorum proprietates accidentia: ergo proprietates agentium creatorum, non producuntur ab ipsis per suam substantiam.

Maior pr. Substantiæ non specificantur ab accidentibus; atqui specificantur ab actibus suis, & iis, quæ producunt: ergo accidentia non producuntur à substantiis.

Solutio: *Substantia non specificantur ab accidentibus formaliter, & intrinsece*, Concedo. *terminatiuè*, Nego. *atqui specificantur ab actibus suis, & iis, quæ producunt formaliter, & intrinsecè, ita vt ipsarum effectus sint differentia intrinseca, & essentialis ipsarum, ipsisque proinde indentificata*, Nego. *Distinguuntur enim ab ipsis realiter. Specificantur ab actibus suis terminatiuè, ita vt sint terminus ordinis intrinseci quem habent substantia ad ipsos*, Concedo.

Contrà. Substantiæ non possunt ordinari, & referri ad accidentia; atqui substantiæ, quæ specificantur terminatiuè ab accidentibus ordinantur, & referuntur ad illa: ergo substantiæ, non specificantur ab accidentibus etiã terminatiuè.

Maior pr. Est omnino contra rectum ordinem vt nobilius ordinetur, & referatur ad ignobilius; atqui substantiæ sunt nobiliores, & accidentia ignobiliora: ergo substantiæ non possunt ordinari, & referri ad accidentia.

Solutio: *Est omnino contra rectum ordinem, vt nobilius ordinetur, & referatur ad ignobilius ordinatione, & relatione non conducente ad ipsius commodum, & dignitatem*, Concedo. *conferente ipsi magnam vtilitatem, & manifestante ipsius maiorem excellentiam*, Nego. *& concessa minori: ergo substantia non possunt ordinari, & referri ad accidẽtia ordinatione, & relatione non conducente ad ipsarum commodum, & dignitatem*, Concedo.

conferente magnam ipsis vtilitatem, & manifestante maiorem ipsarum excellentiam, Nego. *Vtilitas, & commodum, quod percipiunt substantia ab accidentibus, est illud, quod conferunt ei earum proprietates, à quibus valde ornantur, & iuuantur in multis, dignoscitúrque ex cognitione excellentia ipsarum maior dignitas principij, cui debentur, & cui intrinseca est, & essentialis exigentia ipsarum, etiam in sententia aduersariorum, qui propterea habent soluenda, qua nobis opponunt de ordinatione, & relatione substantia ad accidentia. Exigentia enim illa est quadam ordinatio, & relatio. Intelligi enim non potest sine suo termino, & eo, ad quod est.*

Contrà. Substantiæ ordinatæ ad effectus suos accidentales, & proprietates propter suum commodum sunt ad illos determinatæ; atqui agentia creata non sunt determinata per suam substantiam, ad suos effectus accidentales: ergo substantiæ non sunt ordinatæ, & relatæ ad accidentia propter suum commodum.

Minor pr. Quod est indifferens ad varios suos effectus, non est determinatum ad illos; atqui substantia, & entitas agentium creatorum, Angelorum v. g. est indifferens ad varios suos effectus, volitiones v. g. aut intellectiones: ergo agentia creata non sunt determinata per suam substantiam ad suos effectus.

Solutio: *Atqui substantia, & entitas agentium creatorum, Angelorum v. g. est indifferens ad varios suos effectus, & non habet à quo determinetur, quàm per principium illud operandi immanens, ipsis realiter superadditum*, Nego. *& ha-*

bet aliud, à quo determinetur sua illa indifferentia, & vis productiua variorum effectuum ad vnum certum, & determinatum, scilicet, aut obiectum, aut eius species, aut aduentus alterius comprincipij, Concedo. *Certè illa principia operandi accidentalia immanentia auctorum cõtraria sententia, cùm sint ipsamet indifferentia ad varios effectus, intellectus v. g. & voluntas ad varias intellectiones, & volitiones non video cur quod admittunt sufficere ad illa principia determinanda, ad hanc potiùs intellectionem, quàm ad aliam nolint satis esse ad determinandam ad eandem intellectionem ipsammet substantiam Angeli. Iam ad consequens : ergo agentia creata non sunt determinata per suam substantiam ad suos effectus, & habent, à quo alio determinentur, quàm à principio illo operandi aduersariorum*, Concedo. *& non habent, à quo alio determinentur*, Nego.

Contrà. Angeli, & alia agentia non magis habent, quàm anima rationalis, à quo alio determinentur ad varios suos effectus, quàm à principio illo operandi; atqui anima rationalis non habet à quo alio determinetur ad varias suas operationes: ergo neq; Angeli, & alia agẽtia creata habent etiã, à quo alio determinẽtur.

Minor pr. Potentiæ vitales sensitiuæ, intellectus, & voluntas sunt principia operandi animæ rationalis ipsi realiter superaddita : ergo anima rationalis non habet à quo alio determinetur ad varias suas operationes, quàm ab illis.

Antecedens pr. Ista prædicata contradictoria esse immateriale, & nõ esse immateriale, informare materiam, & nõ informare materiã, esse

& non esse subiectum fidei, & charitatis, conueniunt animæ, & potentiis eius vitalibus sensitiuis, & eius intellectui, & voluntati: ergo potentiæ vitales sensitiuæ, & intellectus, & voluntas sunt principia operandi animæ rationalis, ipsi realiter superaddita.

Antecedens pr. Potentiæ vitales sensitiuæ, non sūt immateriales, intellectus, & volūtas non informāt materiam, sunt autem subiectum fidei, & charitatis; anima verò est immaterialis, informat materiā, & non est subiectū fidei, & charitatis: ergo ista prædicata contradictoria esse immateriale, & nō esse immateriale, informare materiam, & non informare materiam, esse subiectum fidei & charitatis, & non esse illarū subiectū, conueniunt animæ, & eius potentijs vitalibus sensitiuis, & eius intellectui, & voluntati.

Respondeo ad antecedens primò, *negando potentias vitales sensitiuas, non esse immateriales secundùm id, quod dicunt in recto secundùm quod tantùm contendimus esse idem cum anima, non vero secundùm id, quod important in obliquo, & ex parte organi, quo iuuantur ad efficiendas sensationes.*

Respondeo secundò, *intellectum, & voluntatem realiter sumpta informare materiam, & ei vniri aquè, ac animam, quæ sumpta formaliter, vt productiua intellectionum, & volitionum, seu vt intellectus, & voluntas, non intelligitur vnita corpori, seu non explicatur per conceptum repræsentantem eam vnitam suæ comparti.*

Respondeo tertiò, *fidem, & charitatem recipi, & vniri ambas animæ, quæ comparata cum*

prima, & illi coniuncta denominatur intellectus, seu principium productiuum intellectionis, quemadmodum considerata vt producens, & recipiens secundam appellatur voluntas. Ex quo patet intellectum, & voluntatem in recto, nihil aliud importare quàm entitatem animæ, quæ spectata secundum obliquum, seu secundùm varios suos effectus, aut alia adiuncta sortitur varia nomina, repræsentata v. g. vt productiua visionum vocatur potentia visiua, vt productiua appetitionum appetitus, & sic de aliis, vt fusiùs dicemus in tract. de Anima.

CONCLVSIO SECVNDA:

Volitiones Angelorum sunt liberæ.

ILLIVS volitiones sunt liberæ, quod propter illas est vituperabile, aut laudabile; atqui Angeli propter suas volitiones sunt vituperabiles, aut laudabiles: ergo Angelorum volitiones sunt liberæ.

Minor pr. Propter illud Angeli sunt vituperabiles, aut laudabiles, propter quod puniuntur, aut donantur præmio; atqui propter suas volitiones Angeli puniuntur, aut donantur præmio: ergo propter suas volitiones sunt vituperabiles, aut laudabiles.

Minor pr. Obedientia, aut inobedientia sunt volitiones; atqui propter inobedientiam Angeli mali damnati sunt, & propter obedientiam Angeli boni sunt beati: ergo Angeli propter suas volitiones puniuntur, aut donantur præmio.

TERTIA CONCLVSIO:

Volitiones Angelorum non ſunt immutabiles.

ILLIVS volitiones non ſunt immutabiles, qui poteſt amare quod oderat, aut odiſſe quod amauerat; atqui Angeli amare poſſunt, quod oderant, & odiſſe quod amarant: ergo volitiones Angelorum, non ſunt immutabiles.

Minor pr. Angelus cuſtos Iudæ proditoris, amauit eum cùm obediuit Chriſto vocanti ipſum ad Apoſtolatum, & alia præcipienti; atqui eundem odio habet iam: ergo Angeli odiſſe poſſunt, quod amarant.

Reſpondent: ***Atqui Angelus cuſtos Iudæ eum odio habet iam propter idem motiuum, ſcilicet obedientiam Chriſto vocanti, propter quam illum amauerat***, Nego. ***propter aliud motiuum, inobedientiam nimirum mandatis Dei, & proditionem Chriſti***, Concedo. ***ergo Angeli odiſſe poſſunt quod amarant, propter idem motiuum, ſeu rebus ſtantibus in eodem ſtatu***, Nego. ***propter aliud motiuum, & rerum ſtatu mutato***, Concedo. ***neque enim tam inordinata eſſe credenda eſt voluntas Angelica, vt malum, quod eſt motiuum ipſius odij, amet.***

Contrà primò Quod odio habet iam, quod antea amauerat licèt ex alio motiuo, non habet amorē ſuum illū immutabilem; atqui Angelus cuſtos Iudæ odio habet iam nefarium illū proditorem, quē antea amauerat, licèt ex alio mo-

tiuo: ergo illius amor non est immutabilis.

Contrà secundò. Volitio, qua Angelus constituit se præsentem medietati sui loci adæquati, mutatur in aliam cùm se constituit præsentem alteri medietati, aut duabus simul; atqui est idem motiuum illarum volitionum: ergo volitiones Angeli sunt mutabiles, etiam si non habeant diuersum motiuum.

Minor pr. Motiuum illarum volitionum Angeli est exercitium libertatis: ergo est idem motiuum illarum.

Antecedens pr. Exercitium libertatis sufficit ad ipsum mouendum, ad eliciendas illas volitiones: ergo motiuum illarum volitionum est exercitium libertatis.

Respondent: *Exercitium libertatis sufficit ad ipsum mouendum ad illas volitiones hanc vel illam sub disiunctione*, Concedo. *alteram ex illis cùm semel se determinauit Angelus ad aliam*, Nego. *determinatio enim ad vnam tollit indifferentiam ad aliam non tantùm tunc, sed etiam post.*

Contrà. Determinatio hæc ad vnam, non facit illam necessariam, neque ex parte obiecti, neque ex parte principij, aut subiecti: ergo determinatio ad vnam, non tollit indifferentiam ad aliam.

Antecedens pr. Quod non addit excessum bonitatis obiecto, & non tollit suo principio, siue quoad specificationem, siue quoad exercitiū, dominiū in suos actus; non facit determinationē, quam istud habet ad illud necessariam; atqui determinatio, de qua disputamus, non addit excessum bonitatis obiecto, & non aufert suo principio

pio dominium in suos actus, siue quoad specificationem, siue quoad exercitium: ergo determinatio hæc ad vnam non facit aliam necessariam, neque ex parte obiecti, neque ex parte principij, seu subiecti.

Prima pars minoris est clara, & vt secunda probetur, suppono Angelum transtulisse se ad alium locum, & posteà redire ad eundem illum, cuius medietati constituerat se priùs præsentem, & sic argumentor.

Determinatio illa præcedens desiit esse: ergo non aufert suo principio dominium in suos actus, siue quoad specificationem, siue quoad exercitium.

Respondent: *Determinatio illa præcedens desiit esse in se*, Concedo. *in specie, quã reliquit*, Nego.

Contrà. Species relicta à determinatione illa quæ desiit, non aufert suo principio dominium in suos actus: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod subest arbitrio sui principij, & quo istud vtitur ad nutum, non aufert ipsi dominium in suos actus; atqui species illa relicta ab illa determinatione, sicut & aliæ relictæ ab aliis actibus, subest arbitrio sui principij, & istud ea vtitur ad nutum: ergo species relicta à determinatione illa, quæ desiit, non aufert suo principio dominium in suos actus.

Obijcies. Illius volitiones sunt immutabiles, quod perseuerat semper in ea, quam semel habuit; atqui Angeli perseuerant semper in volitione, quam semel habuerunt: ergo Angelorum volitiones sunt immutabiles.

Minor pr. Ille perseuerat semper in volitione

quam semel habuit, qui non potest illam deponere; atqui Angelus non potest deponere voluntatem, quam semel habuit: ergo Angeli perseuerant semper in voluntate, quam semel habuerunt.

Minor pr. Dæmones non possunt deponere volitionem, quam semel habuerunt: ergo Angeli deponere non possunt voluntatem, quam semel habuerunt.

Antecedens pr. Volitio, quam habuere dæmones paulò pòst suam creationem, fuit inobedientia, & odium Dei; atqui deponere non potuere, nec possunt inobedientiam, nec odium Dei: ergo dæmones deponere non possunt volitionem, quam semel habuerunt.

Minor pr. Non est probabile dæmones deponere potuisse eas volitiones, quas nullus è tanto ipsorum numero deposuit; atqui nullus ex illis deposuit inobedientiam, & odium Dei: ergo deponere non potuere inobedientiam, & odium Dei.

Solutio: *Non est probabile dæmones deponere potuisse physicè, & absolutè eas volitiones, quas nullus è tanto numero deposuit,* Nego. *moraliter,* Concedo. *& concessa minori: ergo non potuere physicè, & absolutè deponere inobedientiam, & odium,* Nego. *moraliter,* Concedo. *Impotentia autem illa moralis, minimè repugnans libertati orta est in illis, tum ex breui spatio viæ, quod habuere, tum ex carentia auxilij vberioris, quam grauitas peccati, in quod turpiter lapsi sunt merebatur.*

Contrà. Quod adhæret fixè, & immobiliter

obiecto : in quod fertur amore, vel odio, quem habet ex illis actibus deponere non potest, non tantùm moraliter, sed etiam absolutè; atqui dæmones adhærent fixè, & immobiliter odio Dei : ergo non possunt illud deponere absolutè.

Minor pr. Eo modo se habet voluntas dæmonum, & aliorum Angelorum, quo eorum vis apprehensiua, siue intellectus; atqui intellectus Angeli adhæret fixè, & immobiliter suo obiecto : ergo & dæmones odio Dei.

Maior pr. Voluntas Angeli mouetur ab eius intellectu sicut mobile à motore: ergo eo modo se habet voluntas Angelorum, quo eorum vis apprehensiua, siue intellectus.

Negandum est antecedens, *voluntas enim Angeli non aliter mouetur ab intellectu, quàm per propositionem bonitatis, aut malitiæ obiecti, quæ propositio relinquit ipsius arbitrio, vt eam amet, aut odio habeat, quod non facit vis impressa, quam accepit à motore mobile, quod illa accepta non potest non moueri quantum est ex se. Posset etiam responderi ad præcedens argumentum data maiori negando minorem : Intellectus enim Angeli tantùm abest, vt quod contendunt aduersarij, adeò adhæreat immobiliter ei, quod semel iudicauit, ac noster intellectus adhæret primis principiis, vt impossibile sit ei aliquando non formare iudicium omnino contrarium, cùm nimirum innotescit ei aliquid, quod antea ignorauerat, vt sæpè fit in iis, in quibus vti debet discursu, aut coniecturis.*

CONCLVSIO QVARTA:

Angelus non alloquitur alios Angelos per signa externa spiritalia, aut materialia.

ANGELVS alloquitur alios Angelos, etiam cùm ab illis distat; atqui sæpè cùm ab illis distat, producere non potest signa externa materialia, aut spiritalia: ergo non alloquitur alios Angelos per signa externa spiritalia, aut materialia.

Minor pr. Angelus non potest, cùm distat ab alio, producere signa externa materialia, & spiritalia, nisi medium sit illorum receptiuum; atqui medium sæpè non est illorum receptiuum: ergo cùm distat producere non potest signa materialia, aut spiritalia.

Minor pr. Medium est sæpè aliquid materiale, aut inane; atqui producere non potest in medio materiali signa spiritalia, neque in inani signa materialia, aut spiritalia: ergo medium sæpè non est illorum receptiuum.

CONCLVSIO QVINTA:

Angelus cùm alloquitur alium Angelum, non producit physicè eius cognitionem.

VT Angelus producat physicè cognitionem alterius, debet esse ei contiguus; atqui Angelus sæpè non est contiguus iis, quos alloquitur: ergo cùm alloquitur alium Angelum, non producit physicè eius cognitionem.

Maior pr. Quod distat ab alio, non potest in eo quidquam producere, nisi medio cooperante,

vel compatiente ; atqui Angelo producenti physicè cognitionem in alio Angelo, medium sæpè neque cooperari, nec compati potest: ergo vt Angelus producat physicè cognitionem alterius, debet esse ei contiguus.

Minor pr. Medium est quid materiale, aut inane; atqui neque materiale quidpiam, aut inane cooperatur, aut compatitur Angelo producenti physicè species in Angelo : ergo medium neque cooperatur, neque compatitur. *Prima pars minoris probatur, secunda enim de inani clara est.*

Vt medium materiale compatiatur tantùm debet aliquid recipere ab Angelo quod non coagat, & vt cooperetur debet, quod in ipso recipitur coagere; atqui non sufficit, vt recipiat aliquid, quod non coagat, & illud receptum coagere non potest : ergo medium materiale neque compatitur, neque cooperatur Angelo producenti physicè species in alio Angelo.

Prima pars probatur, quòd non satis sit, vt quod recipitur non coagat.

Quod medium materiale recipit est materiale; atqui non sufficit vt Angelus producat physicè species in Angelo post ipsum posito, vt illud materiale receptum nō coagat: ergo non sufficit, vt quod recipitur, in medio materiali non coagat.

Minor pr. Cùm effectus, qui est in passo distanti est valdè diuersæ rationis ab eo, qui est in medio, non sufficit, vt intermedius non coagat; atqui quod producitur in medio materiali est valdè diuersum ab eo, quod producitur in Angelo : ergo non sufficit, vt Angelus pro-

ducat physicè species in Angelo distanti, vt materiale interiacens non coagat.

Minor pr. Materiale est valdè diuersum ab spiritali; atqui quod recipitur in medio materiali est materiale, & quod in Angelo spiritale: ergo quod producitur in medio materiali est valdè diuersum ab eo, quod producitur in Angel o.

Maior pracedentis argumenti pr.

Cùm effectus, qui est in passo distanti, est valdè diuersæ rationis ab eo, qui est in propinquiori,& in intermedio, non est vna continuata actio; atqui cùm non est vna continuata actio, non sufficit, vt quod est in intermedio non coagat: ergo cùm effectus, qui est in passo distanti est valdè diuersæ rationis, non sufficit, vt quod est in intermedio non coagat.

Minor pr. Cùm non est vna continuata actio, si quod est in intermedio non coagit,datur actio in distans; atqui non datur actio in distans:ergo cùm non est vna continuata actio, non sufficit, vt quod est in intermedio non coagat.

Maior pracedentis argumenti pr.

Tunc non est vna continuata actio, cùm non est vnus continuatus effectus; atqui cùm effectus, qui est in passo distanti est valdè diuersus ab eo, qui est in propinquiori, & intermedio, non est vnus continuatus effectus: ergo cùm effectus qui est in passo distanti,est valdè diuersus ab eo, qui est in medio, non est vna continuata actio.

Minor pr. Diuersum, & vnum opponuntur: ergo effectus valdè diuersus non est vnus.

Secunda pars superioris argumenti, quòd medium materiale coagere non possit, pr.

Receptum illud est materiale; atqui materiale coagere, non potest Angelo producenti physicè cognitionem, in alio Angelo distanti: ergo receptum illud coagere non potest.

Minor pr. Non est concedenda ea vis illi rei materiali, sine aliqua efficaci ratione; atqui nulla est planè huiusmodi ratio efficax: ergo materiale coagere non potest Angelo, producenti physicè cognitionem in alio Angelo.

Minor pr. Alia afferri non potest ratio, quàm vt Angelus possit dici verè loquens; atqui vt dicatur verè loquens, non est concedenda illi rei materiali, vis producendi physicè cognitionem Angeli: ergo nulla est efficax ratio concedendi illam vim rei materiali.

Minor pr. Angelus potest esse, & de facto est verè loquens, licèt non producat physicè cognitionem in audiente: ergo vt dicatur verè loquens, non est concedenda illi rei materiali vis producendi physicè cognitionem Angeli.

Antecedens pr. Angelus positus in inani, & ex eo alium distantem alloquens, est verè loquens; atqui non producit physicè cognitionem in audiente: ergo Angelus est verè loquens, licèt non producat physicè cognitionem in audiente.

Minor pr. Angelus non agit in distans medio neque cooperante, neque compatiente; atquì audiens est distans, & medium non cooperatur, neque compatitur: ergo non producit physicè cognitionem in audiente.

CONCLVSIO SEXTA:

Species per quas Angelus loquens auditur ab alio Angelo, producuntur tantùm ab ipſo moraliter.

ILLVD producitur ab Angelo loquente tantùm moraliter, quod producitur quidem moraliter, ſed non phyſicè; atqui ſpecies, per quas Angelus loquens auditur ab alio Angelo, producuntur quidem ab illo moraliter, ſed non phyſicè: ergo ſpecies, per quas Angelus loquens auditur ab alio Angelo, producuntur ab illo tantùm moraliter.

Prima pars minoris pr.

Illud producit moraliter ſpecies, per quas auditur, quod eſt cauſa, & occaſio, cur illæ producantur à Deo; atqui Angelus loquens eſt cauſa, cur ſpecies, quibus auditur, producantur à Deo: ergo producit eas moraliter.

Minor pr. Angelus loquens debet eſſe cauſa, cur producantur illæ ſpecies, vel alij Angeli non loquentes; ſed alij Angeli non ſunt cauſa, cur producantur illæ ſpecies: ergo Angelus loquens eſt cauſa cur ſpecies, quibus auditur producantur à Deo.

Minor pr. Illud non eſt cauſa, ſeu occaſio cur producantur illæ ſpecies, quod non mouet Deum, vt illas producat; atqui Angeli non loquentes, non mouent Deum, vt producat illas ſpecies: ergo alij Angeli non ſunt cauſa, cur producantur illæ ſpecies.

Minor pr. Illud non mouet Deum, vt producat illas species, quod non habet voluntatem, neque formalem, neque interpretatiuam, vt illæ producantur; atqui Angeli non loquentes, non habent voluntatem, neque formalem, neque interpretatiuam, vt illæ producantur: ergo Angeli non loquentes, non mouent Deum, vt producat illas species.

Minor pr. Angeli non loquentes, non habent voluntatem formalem, aut interpretatiuam de eo, quod ipsis non debetur, & quod si peterent, ipsis non concederetur; atqui non debetur ipsis, quod Deus producat species eorum, quæ alius vult, aut intelligit, & licèt hoc peterent, ipsis non concederetur: ergo Angeli non loquentes, non habent formalem voluntatem, neque interpretatiuam, vt illæ producantur.

Secunda pars, nō producere illas species physicè, pr.

Vt Angelus loquens producat physicè species in audiente, debet ei esse contiguus; atqui sæpè non est contiguus: ergo non producit physicè species in audiente.

Maior pr. Angelus loquens, vt producat species physicè in audiente debet ei esse contiguus, aut medium illi cooperari, aut compati; atqui medium illi sæpè neque cooperatur, neque compatitur: ergo vt Angelus loquens producat physicè species in audiente, debet illi esse contiguus.

Minor pr. Medium est sæpè inane; atqui inane neque cooperari, neque compati potest: ergo medium illi sæpè neque cooperatur, neque compatitur.

Obijcies, Quod non producit species physicè in

audiẽte est mutũ; atqui Angeli nõ sunt muti: ergo Angeli producũt physicè species in audiẽte.

Maior pr. Quod non loquitur est mutum; atqui quod non producit species physicè in audiente, non loquitur: ergo quod non producit physicè species in audiente, est mutum.

Minor pr. Quod non producit id consequenter, ad quod fit auditio, non loquitur; atqui quod nõ producit physicè species, non producit id consequenter, ad quod fit auditio: ergo quod non producit physicè species in audiente, non loquitur.

Solutio: *Quod non producit id consequenter, ad quod fit auditio, non loquitur si illud eius nomine non producatur*, Concedo. *si producatur*, Nego. *atqui quod non producit physicè species, non producit id consequenter, ad quod fit auditio, & hoc eius nomine non producitur*, Nego. *& hoc producitur eius nomine*, Concedo. *Ratio est, quia qui scribit epistolam alterius nomine, non cẽsetur per eam loqui, sed ille cuius nomine eã scribit.*

Contrà. Angelus potest per se immediatè producere species, & id, ad quod consequenter fit auditio: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Angelus producit immediatè id, quod Deus finit illum producere immediatè; atqui Deus finit Angelum producere immediatè illas species: ergo Angelus producit immediatè illas species.

Minor pr. Deus finit Angelum producere immediatè id, quod est ipsius naturæ conueniens; atqui productio immediata illarum specierũ est ipsius naturæ cõueniens: ergo Deus finit Angelum producere immediatè species.

Minor pr. Non minùs productio illa immediata illarum specierum est conueniens naturæ Angelicæ, quàm naturæ humanæ; atqui conueniens est naturæ humanæ : ergo & Angelicæ.

Respondeo negando maiorem. *Ratio est, quia si Angelus deberet producere immediatè species, per quas audiretur, cùm loquitur, deterioris esset conditionis, quàm homines, sæpè enim non posset alloqui alios Angelos distantes, defectu scilicet medij compatientis : cùm tamen homines nunquam prohibeantur alloqui alios distantes in loco, in quo esse possunt naturaliter.*

CONCLVSIO SEPTIMA:

Angelus mentiri potest alteri Angelo.

ILLE potest mentiri, qui potest ire contra mentem; atqui Angelus ire potest contra mentem, alloquens alium Angelum : ergo mentiri potest alteri Angelo.

Minor pr. Ille ire potest contra mentem, qui potest declarare se habere aliquid in mente, quod verè non habet; atqui Angelus potest declarare se habere aliquid in mente, quod verè non habet: ergo Angelus ire potest contra mentem alloquens alium Angelum.

Minor pr. Illi, quibus Angelus declarat quod habet in mente, sunt homines, aut alij angeli; atqui Angelus declarare potest hominibus, & Angelis se habere aliquid in mente, quod verè non habet : ergo Angelus declarare potest se habere aliquid in mente, quod verè non habet.

Minor de Angelis probatur.

Angelus declarare potest aliis Angelis, quæ habet in mente per signa externa, vel purè mentaliter; atqui Angelus potest declarare, & per signa externa, & purè mentaliter se habere aliquid in mente, quod verè non habet: ergo Angelus declarare potest aliis Angelis, se habere aliquid in mente, quod verè non habet.

Prima pars minoris probatur.

Signa externa sunt voces, v. g. quibus Angeli vti possunt; atqui possunt proferre voces significatiuas contrarij eius, quod habent in mente: ergo Angelus declarare potest per signa externa se habere aliquid in mente, quod verè nõ habet.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti pr.

Angelus potest manifestare alteri Angelo actum suæ voluntatis, habentem pro obiecto actum aliquem intellectus, quem de facto non habuit; atqui tunc purè mentaliter declarat alteri se habere in mente, quod verè non habet: ergo Angelus potest declarare purè mentaliter se habere aliquid in mente, quod verè nõ habet.

Minor pr. Angelus declarat alteri Angelo, in eo casu se habuisse actum illum iudicij; atqui ex suppositione non habuit illum: ergo purè mentaliter declarat alteri se habere in mente, quod verè non habet.

Maior pr. Angelus loquens declarat illi alteri Angelo, cui loquitur, quod iste de facto concipit loquentem habuisse in mẽte, videndo actum voluntatis ipsius; atqui videndo actũ illum voluntatis, concipit loquentem habuisse actũ iudicij, quem non habuit: ergo Angelus loquens declarat illi alteri Angelo cui loquitur, se habuisse in

mente actum illum iudicij, quem non habuit.

Obijcies. Angelus purè mentaliter alium alloquens, non it contra mentem: ergo Angelus purè mentaliter loquens non mentitur.

Antecedens pr. Ille non it contra mentem, qui non significat alteri se habere aliquid in mente, quod reuera non habet; atqui Angelus purè mẽtaliter loquẽs non significat alteri se habere aliquid in mẽte, quod reuera nõ habet: ergo Angelus purè mentaliter loquens non it cõtra mentẽ.

Minor pr. Ille non significat se habere aliquid in mente, quod reuera non habet, qui non significat se habere conceptum, quem non habet; atqui Angelus purè mentaliter loquens non significat se habere conceptum, quem non habet: ergo non significat se habere in mente, quod reuera non habet.

Minor pr. Angelus purè mentaliter loquens nõ aliter significat se habere conceptum, quem nõ habet, quàm dirigendo ad illum suum illum cõceptum, & volendo, vt alter illum intelligat, & in illo producatur species intuitiua illius; atqui dirigere non potest ad alium, conceptum quem non habet, neque velle, vt alter illum intelligat, & in eo producatur species intuitiua illius: ergo nõ significat se habere conceptũ, quẽ non habet.

Minor pr. Angelus non vult, quod scit non posse fieri; atqui Angelus scit non posse produci speciem intuitiuam conceptus, quem non habet, & qui non est: ergo non vult, vt alter intelligat conceptum, quem non habet.

Solutio prioris argumenti: *Angelus purè mentaliter loquens non aliter significare potest alterà*

directè se habere conceptum, quem non habet, quàm dirigendo ad illum suum illum conceptum, & volendo vt alter illum intelligat, & in illo producatur species intuitiua illius, Concedo. *indirectè*, Nego. *& concessa minori: ergo non significat se habere conceptum directè, quem non habet*, Concedo. *indirectè*, Nego. *Directè significat Angelus suum conceptum, quando vult, vt ille immediatè in se, & non per alium intelligatur: indirectè verò, quando illum tantùm manifestat per alium, cuius iste sit obiectum, vt in casu de quo loquimur.*

Contrà. Actus intellectus Angelici, qui non fuit, de quo est quæstio, non potest esse obiectum actus voluntatis eiusdem: ergo non potest significari alteri Angelo indirectè.

Antecedens pr. Vt actus aliquis intellectus Angelici sit obiectum voluntatis eiusdem, debet priùs fuisse obiectum alterius actus intellectus Angelici; atqui non potest esse obiectum alterius actus intellectus Angelici: ergo actus intellectus Angelici, qui non fuit, non potest esse obiectum voluntatis eiusdem.

Minor pr. Actus intellectus Angelici, qui sunt obiectum alterius actus intellectus Angelici debent esse: ergo ille, qui non fuit, non potest esse obiectum vllius actus intellectus Angelici.

Antecedens pr. Actus intellectus Angelici de existentia aliorum actuum eiusdem intellectus sunt intuitiui; atqui obiectũ actus intuitiui debet esse: ergo actus intellectus Angelici, qui sunt obiectum alterius actus Angelici debent esse.

Solutio: *Actus intellectus Angelici asserentes existentiã aliorum actuum intellectus sunt intuiti-*

ui. Concedo. *non asserentes illam existentiam, sed tantùm proponentes voluntati bonum esse, vt alter Angelus intelligat eam fuisse & præscindentes ipsi ab eo, quod fuerit, aut non fuerit, & per alium iudicantes non fuisse*, Nego. *& concessa minori: ergo actus intellectus Angelici, qui sunt obiectum alterius actus intellectus Angelici asserentis illos esse debent esse*, Concedo. *non asserentis illos esse, sed tantùm proponentis voluntati bonum esse, vt alter Angelus intelligat eos fuisse*, Nego. *Potest enim Angelus concipere conueniens, & è re sua esse, vt alter concipiat eos fuisse nihil per illum actum explicando an fuerint verè, vel non fuerint, & voluntas potest affici erga illam conuenientiam, & per illum suum affectum declarare alteri suum illum amorem, & actum illum intellectus non existentem, qui est eius obiectum.*

SECTIO X.

De potentia motiua Angelorum, & tempore, quo fuere producti.

PRÆTER intellectum & voluntatem admittendum est in Angelis principium productiuum motus ipsorũ ab vno spatio in aliud, quod vocatur potentia loco motiua, de cuius distinctione à substantia Angeli idem dicendum est quod superioribus sectionibus docuimus de intellectu & voluntate. Rationes enim quæ probant has duas potentias non distingui realiter, probant idem de tertia. Difficilius est definire quidnam sit illud, per quod Angelus est in loco,

& in hoc ſpatio potiùs, quàm in alio. Quidam enim volunt hoc habere per operationem, quam exercet circa corpus in quo dicitur eſſe in loco; alij non per ipſam operationem, ſed per illum actum intellectus, & voluntatis per quem potentia exequens eſt proximè expedita ad operãdum; nonnulli per vnionem quãdam cum loco; multi per indiſtantiam & inexiſtentiam in loco nihil importantem ſuperadditum neque loco, neque Angelo; plures tandem, & veriùs per inexiſtentiã quidem illam in loco, ſed quæ negari non debeat eſſe accidens ſpeciale illis realiter ſuperadditum, quod vocatur vbi, eſtque duplex, vnum, per quod Angelus conſtituitur in aliquo ſpatio permanẽter & ſine vlla ſucceſſione, aliud verò, per quod fit præſens ſucceſſiuè variis ſpatiis. De diuerſitate vtriuſque pluribus erit agẽdi locus in Phyſica diſput. de Motu, & de Loco.

CONCLVSIO PRIMA:

Angelus eſt in loco, ſeu ſpatio per accidens ſpeciale illi realiter ſuperadditum.

QVOD non eſt immenſum, neque affixum certo loco, & ſpatio, eſt in eo per accidens ſpeciale illi realiter ſuperadditum: atqui Angelus non eſt immenſus, neque affixus certo loco, & ſpatio: ergo Angelus eſt in loco & ſpatio per accidens ſpeciale illi realiter ſuperadditum.

Maior pr. Quod non eſt immenſum, neque affixum certo loco, & ſpatio non eſt in eo per ſolam ſuam entitatem: ergo debet eſſe in il'o per accidens ſpeciale illi realiter ſuperadditum,

Respondent. *Quod non est immensum neque affixum certo loco, & spatio non est in eo per solam suam entitatem absolutè sumptam, aut illi non vnitam, vel non operantem circa illud, aut non applicantem suam vim agendi, & expedientem potentiam exequentem.* Concedo. *per suam entitatem, vt indistantem, & inexistentem loco, & spatio, aut illi vnitam, vel operantem circa illud, aut applicantem suam vim agendi, & expedientem suam potentiam exequentem,* Nego.

Contrà. Quod est indifferens vt sit in variis spatiis, aut sine quo res potest esse in illis, nō est id, per quod, quod non est immensum, neque affixum certo loco, & spatio est in loco, & spatio; atqui secluso speciali accidēte entitas Angeli vt inexistens, & indistans à loco, & spatio, vnita illi, operans circa illud, aut applicans suam vim agendi, & expediens potentiam exequentem, est indifferens, vt sit in variis locis, aut potest esse in huiusmodi spatiis, sine illis enumeratis: ergo quod non est immensum, neque affixum certo spatio, non est in eo per solam suam entitatem vt indistantem, illi vnitam, operantem circa illud, aut expedientem potentiam exequentem.

Prima pars minoris probatur.

Entitas Angeli vt inexistens, & indistans à loco, & spatio nihil aliud est, secluso speciali accidente, quàm duæ illæ entitates; atqui duæ illæ entitates sunt indifferentes, vt sint in variis spatiis: ergo entitas Angeli vt inexistēs loco, & indistās ab illo est indifferēs, vt sit in variis spatiis.

Respondent. *Entitas Angeli vt inexistens loco, & spatio, nihil aliud est secluso speciali accidente*

illis realiter superaddito, quàm duæ illæ entitates absolutè, aut seorsim sumptæ, Nego. *simul sumptæ, & vt indistantes,* Concedo. *atqui duæ illæ entitates absolutè, aut seorsim sumptæ sunt indifferentes vt sint in variis spatiis,* Concedo. *simul sumptæ, & indistantes,* Nego.

Contrà. Entitas Angeli, vt inexistens loco, corpori v. g. Petri energumeni, & simul sumpta cum illo potest esse intra cœlos, & extra cœlos: ergo est indifferens vt sit in variis spatiis.

Respondent: *Entitas Angeli, vt inexistens corpori energumeni potest esse intra cœlos, & extra cœlos seruata inexistentia cum eadem parte immensitatis diuinæ, & diffusionis substantiæ Dei,* Nego. *non seruata eadem inexistentia cum immensitate diuina,* Concedo.

Contrà. Inexistentia diuersa entitatis Angeli, & illius corporis cum immensitate Dei est aliquid realiter superadditum illis duabus entitatibus: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Non est realiter idem cum illis: ergo est aliquid illis realiter superadditum.

Antecedẽs pr. Ex duobus, quæ sunt idem realiter existente vno, existit etiam & aliud; atqui existentibus, & positis extra causas entitate Angeli, & entitate corporis energumeni non est illarum inexistentia, neque inter se, neque cum eadem parte virtuali immensitatis diuinæ; ergo inexistentia entitatis Angeli, & illius corporis inter se, & cum eadem parte virtuali immensitatis diuinæ non est idem cum illis.

Respondent: *Atqui positis extra causas entitate Angeli, & entitate corporis energumeni indi-*

ſtantibus inter ſe : & ab illa parte virtuali immenſitatis diuinæ non eſt illarum inexiſtentia, neque inter ſe, neque cum illa parte virtuali immenſitatis diuina, Nego. *non indiſtantibus,* Concedo *ergo inexiſtentia entitatis Angeli, & illius corporis inter ſe, & cum eadem parte virtuali immenſitatis diuina non eſt idem cum illis indiſtantibus,* Nego. *non indiſtantibus,* Concedo.

Contrà. Entitas Angeli, & entitas illius corporis vt ſimul poſitæ indiſtantes, & inexiſtentes illi parti virtuali immenſitatis diuinæ, & alij termini, quibus poſſunt explicare auctores contrariæ ſententiæ illam inexiſtentiam, & indiſtantiam, vel important aliquid realiter diſtinctum ab illis duabus entitatibus, vel non; atqui neutrum dici poteſt: ergo inexiſtentia, & indiſtantia illarum duarum entitatum non eſt idem cum illis.

Prima pars minoris certa eſt, ſi enim admitteretur, haberemus illud accidens realiter diſtinctum quod contendimus dari, & ſecunda probatur.

Quod nihil importat diſtinctum realiter ab alio, iſto poſito, illud quoque ponitur, & exiſtit; atqui poſitis extra cauſas, & exiſtentibus entitate corporis, & Angeli poteſt non eſſe earum inexiſtentia, & indiſtantia, poſita ſcilicet vna intra cœlum, & alia extra: ergo inexiſtentia, & indiſtantia illarum duarum entitatum importat aliquid realiter diſtinctum ab illis.

Reliqua partes minoris ſuperioris argumenti, ſcilicet entitatem Angeli vt vnitam ſpatio, operantem circa illud, aut expedientem potentiam exequentem eſſe indifferentem vt ſit in varijs ſpa-

tijs, aut sine illa vnione, operatione & expeditione potentia esse in illis, vt probentur suppono: Michaële posito in Empireo, & Raphaële in terra destrui illis immotis duo illa corpora, & alia intermedia; & hoc posito, sic argumentor ad probandum vltimum membrum illius minoris.

Michaël & Raphaël in casu posito retinent eandem diffusionem suæ substantiæ, quam habebant antea; atqui nullam habent vnionem cum vllo spatio, nullam etiam operationem circa illud, aut expeditionem potentiæ exequentis: ergo entitas Angeli potest esse in spatio sine vnione cum illo, operatione circa illud, & expeditione potentiæ exequentis.

Maior probatur primò. Diffusio substantiæ illorum Angelorum non perit nisi propter defectum aut causæ conseruantis, aut subiecti, aut aduentum contrarij; atqui causa ipsius conseruatiua, & subiectiua, scilicet Angelus non perit, & ipsa nullum habet contrarium, quodnam enim? ergo non perit, & Angeli retinent eandem diffusionem suæ substantiæ si velint.

Probatur secundò minor præcedentis argumenti.

Nullum est aliud spatium, quàm immensitas, & diffusio diuinæ substantiæ ad omne spatium; atqui non potest esse vnio Michaëlis, & Raphaëlis cum illa, nec operatio circa illam, aut expeditio potentiæ exequentis: ergo Michaël, & Raphaël in casu posito nullam habent vnionem cum vllo spatio, neque operationem circa illud, aut expeditionem potentiæ exequentis.

Minor pr. Deus non producit illam vnionem,

neque ipsi Angeli, qui etiam perfectè norunt se non posse exercere vllam actionem propriam circa immensitatem Dei: ergo non potest esse vnio ipsorum cum illa, nec operatio circa illam, aut expeditio potentiæ exequentis.

Antecedens pr. Deus non est vnitus illis Angelis, & impossibilitas motus, qui est sola operatio propria circa immensitatem Dei, quam possent dici habere, est illis notissima: ergo Deus non producit illam vnionem, neque ipsi, ipsique norunt perfectè se non posse exercere vllam actionem propriam circa Dei immensitatem.

Alterum membrum minoris superioris argumenti, scilicet entitatem Angeli posita vnione cum spatio, cum corpore, v. g. energumeni, operatione circa illud, & expeditione potentiæ exequentis ad ipsum mouendum, esse adhuc indifferentem vt sit in varijs locis, probatur.

Cùm extrema alicuius vnionis & agens, & subiectum actionis sunt indifferentia vt sint in varijs spatijs; vnum ex primis, vt vnitum alteri, & primum aliorum duorum, vt operans circa secundum habent etiam eandem indifferentiam; atqui entitas Angeli, & corpus energumeni, quæ sunt extrema vnionis, & agens, & subiectum operationis, de quibus est quæstio, sunt indifferentia, vt sint in varijs spatijs: ergo entitas Angeli vt vnita spatio, operans circa illud, & expediens potentiam exequentem est indifferens vt sit in varijs spatijs.

Respondent: *Atqui corpus illud energumeni secundum se est indifferens, vt sit in varijs spatijs.* Concedo, *vt iunctum alteri corpori, cui est con-*

tiguum, & ad quam coniunctionem seruandam aut destruendam sit illa operatio Angeli, Nego. *ergo entitas Angeli vt vnita spatio, & operans circa illud secundùm se est indifferens vt sit in varijs locis*, Concedo. *vt vnita aut operans circa illud vt iunctum alteri contiguo*, Nego.

Contrà. Illud contiguum, & alia contigua isti, ipsum denique totum vniuersum est indifferens vt sit in alio spatio: ergo etiam & corpus energumeni vt iunctum alteri ipsi cõtiguo.

Antecedens pr. Totum vniuersum potest produci, aut transferri extra cœlos: ergo est indifferens, vt sit in alijs spatijs.

Antecedens pr. Liberum fuit Deo producere mundum extra cœlos: ergo totum vniuersum potest produci, aut transferri extra cœlos.

Obijcies. Angelus non magis eget speciali accidente realiter superaddito vt sit in loco, & spatio, quàm vt sit in tempore; atqui nullum habet sibi realiter superadditum vt sit in tempore: ergo non est etiam in loco per accidens illi realiter superadditum.

Minor pr. Angelus intelligitur sufficienter durans sine accidente reali speciali superaddito: ergo non eget vt sit in tempore accidente reali superaddito.

Antecedens pr. Angelus intelligitur durans per positionem ipsius extra causas, & successionem partium temporis fluentium alias post alias: ergo Angelus intelligitur sufficienter durans sine accidente reali speciali superaddito.

Respondendum est: *Antecedens esse falsum. cùm enim Angelus positus extra causas ita coexi-*

stat illis partibus temporis, vt possit non coexistere, necesse est vt habeat aliquid, per quod illis potiùs coexistat, quàm aliis: illud autem per quod hoc habet est speciale accidens, quod idem illi confert respectu temporis quod aliud præstat ipsi respectu spatij.

Contrà. Æquè Angelus intelligitur durans per positionem ipsius extra causas, & successionem partium temporis aliarũ aliis sine vllo alio superaddito, quàm res de non existente fieri existens sine vllo illi realiter superaddito; atqui res de non existente fit existẽs sine vllo ipsi realiter superaddito: ergo etiam Angelus intelligitur durans per positionem ipsius extra causas, & successionem partium temporis aliarum aliis.

Maior pr. Ratiò quare Angelus positus extra causas non intelligatur sufficienter durans per successionem partium temporis, est quia est indifferens vt illis coexistat; atqui etiam res non existens est indifferens ad existendum: ergo tam benè Angelus positus extra causas intelligitur durans per successionem partium temporis, quàm res de non existente fieri existens sine vllo alio ipsi realiter superaddito.

Solutio: *Ratio quare Angelus positus extra causas per successionem partium temporis non intelligatur sufficientèr durans sine aliquo alio superaddito, est quia etiam illis positis est indifferens vt illis coexistat,* Concedo. *illis tantùm non positis,* Nego. *atqui etiam res non existens posita existentia est indifferens ad non existendum, & eget aliquo vt determinetur ad illam habendam,* Nego. *cùm enim supponatur esse impossibile est vt*

non sit, non posita existentia est indifferens ad existendum, Concedo.

Contrà. Indifferentia Angeli siue ad coëxistendum partibus temporis, siue spatijs, potest sufficienter tolli per operationem ipsius, aut applicationem ad expediendam potentiam exequentem sine vllo alio ente realiter superaddito: ergo non eget ad hanc determinationem vllo alio ente speciali realiter superaddito.

Antecedens pr. Indifferentia rei spiritalis ad coexistendum partibus spatij tollitur per contactum virtutis; atqui Angelus est spiritalis, & virtus illa est operatio, aut expeditio potentiæ exequentis: ergo indifferentia Angeli ad coexistendum partibus spatij tollitur per operationem, aut expeditionem potentiæ exequentis.

Minor pr. Indifferentia corporis ad coexistendum loco, & spatio tollitur per contactum quantitatis: ergo & indifferentia rei spiritalis per contactum virtutis.

Respondeo *antecedens esse falsum: Corpus enim Christi in Eucharistia, est in loco minimè sublata eius indifferentia ad ei coexistendum per quantitatem, cuius in eo mysterio effectus suspenditur & si materia prima cuiusuis rei desineret habere quantitatem, non ideo desineret esse in loco, neque enim statim reduceretur & coarctaretur spatio puncti.*

Contrà. Indifferentia corporis ad coexistendum loco, & spatio tollitur per id, quod est fundamentum distantiæ, & propinquitatis; atqui sola quantitas est fundamentum distantiæ, & propinquitatis: ergo indifferentia corporis ad co-

coëxistendum partibus spatij tollitur per contactum quantitatis.

Minor pr. Illud solum est fundamentum distantiæ, & propinquitatis, quod solum habet extensionem partiũ extra partes situ, locóque distantes; atqui sola quantitas habet huiusmodi extensionem: ergo sola quantitas est fundamentum distantiæ, & propinquitatis.

Solutio: *Illud solum est fundamentum distantia, & propinquitatis, quod solum habet extensionem partium extra partes formalem vel virtualem,* Concedo. *formalem tantùm*, Nego. *atqui sola quantitas habet extensionem formalem*, esto. *virtualem*, Nego. *Extensio virtualis est illa, qua sine multiplicitate partium per sui varias replicationes praestat, quidquid potest formalis: huiusmodi est illa, quam habet anima in corpore, quo destructo si ipsa vbicationem retineat, quam in illo habebat, poterit vt antè aliquid esse ipsi immediatum, & aliud distans. Vnum contiguum ex parte, qua informabat caput, & aliud remotum ex parte, qua informabat pedem, & inter illa duo esse veram, & propriam distantiam, & quidem tantam, quanta erat antea. Non pauciora enim intercipi possent corpora inter vtrumque.*

Conclvsio Secvnda:
Angelus non potest esse simul in duobus locis adæquatis.

Angelvs non potest esse simul in locis, quæ dari non possunt; atqui duo loca adæquata Angeli non possunt dari: ergo Angelus non potest esse in duobus locis adæquatis.

Minor pr. Locus adæquatus Angeli eſt illud omne ſpatium, quod ipſe poteſt ſimul, & ſemel occupare; atqui non poſſunt dari huiuſmodi duo ſpatia: ergo neque loca adæquata Angeli.

Minor pr. Datis huiuſmodi duobus ſpatiis neutrum ex illis eſſet id omne ſpatium, quod poteſt Angelus ſimul, & ſemel occupare: ergo huiuſmodi duo ſpatia non poſſunt dari.

Antecedens pr. Illud non eſt omne ſpatium, quod poteſt Angelus occupare ſimul, & ſemel, præter quod occupat aliud; atqui datis huiuſmodi ſpatiis Angelus occupat illud vniuſcuiuſque, & præterea aliud illud ſcilicet alterius: ergo datis huiuſmodi ſpatiis neutrum ex illis eſt omne ſpatium quod Angelus poteſt ſimul, & ſemel occupare.

CONCLVSIO TERTIA:

Angelus non poteſt eſſe in pluribus locis inadæquatis interruptis.

LOCA inadæquata interrupta Angeli ſunt v. g. medietas vbi, quod habet in cœlo, & medietas illius, quod habet in terra; ſed Angelus non poteſt habere ſimul medietatem vbi in cœlo, & alteram medietatem in terra: ergo non poteſt eſſe in pluribus locis inadæquatis interruptis.

Minor pr. Quod habet ſimul vnam medietatem vbi in cœlo, & alteram medietatem in terra, eſt ſimul in cœlo, & in terra; atqui Angelus eſſe non poteſt ſimul in cælo, & in terra: ergo non habet ſimul medietatem vbi in cœlo, & alteram in terra.

Minor pr. Illud non poteſt eſſe ſimul in cœlo, & in terra, quod vt ſit in terra deſinere debet eſſe in cœlo; atqui Angeli, ex ſanctis Patribus, Ambroſio lib. 1. de Spiritu ſancto, Gregor. lib. 2. Moralium cap. 2. &c. vt ſint in terra deſinere debent eſſe in cœlo: ergo Angelus eſſe non poteſt ſimul in cœlo & in terra.

Minor pr. Angeli deſerunt cœlum, vt accedant ad terram: ergo vt ſint in terra deſinere debent eſſe in cœlo.

Obijcies. Quod poteſt eſſe vbique poteſt eſſe in locis inadæquatis interruptis; atqui Angelus poteſt eſſe vbique ex Tertulliano, S. Hieronymo, & aliis SS. PP. ergo poteſt eſſe in locis inadæquatis interruptis.

Solutio: *Atqui Angelus ex Tertulliano, S Hieronymo &c. poteſt eſſe vbique ſucceſſiuè, ſeu nullus eſt locus, ad quem non poſſit ſe mouere celerrimè*, Concedo. *occupat ſimul omnem locum, & omne ſpatium*, Nego.

Contrà. Angelus poteſt occupare cùm vult ſpatium infinitæ longitudinis: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Quod occupat ſpatium in omnem dimenſionem finitum, poteſt occupare ſpatium finitæ longitudinis; atqui Angelus occupat de facto ſpatium finitum quadripalmare v.g. in omnem dimenſionem: ergo Angelus occupare poteſt ſpatium infinitæ longitudinis.

Minor pr. Spatium finitum quadripalmare v.g. ſecundum omnem dimenſionem æquiualet ſpatio infinitæ longitudinis: ergo quod poteſt occupare ſpatium quadripalmare ſecundùm omnem dimenſionem, poteſt etiam occupare ſpatium infinitæ longitudinis.

Antecedens pr. Infinitæ latitudines quadripalmares additæ aliæ aliis faciunt infinitam longitudinem, & illi æquiualent; atqui in ſpatio finito quadripalmari ſecundùm omnem dimenſionẽ ſunt infinitæ lõgitudines, & latitudines quadripalmares: ergo additæ aliæ aliis faciunt infinitam longitudinẽ, & illi æquiualẽt.

Minor pr. In ſpatio finito quadripalmari ſunt infinitæ partes proportionales ſecundùm profunditatem; atqui illæ ſunt alicotæ, & quadripalmares omnes ſecundùm latitudinem & longitudinem: ergo in ſpatio finito quadripalmari ſunt infinitæ longitudines, & latitudines quadripalmares.

Solutio: ***Neganda eſt conſequentia antepenultimi argumenti ſuprà facti: ergo quod poteſt occupare ſpatium quadripalmare ſecundùm omnem dimenſionem, poteſt etiam occupare ſpatium infinita longitudinis.***

Contrà. Ex duobus, quæ non ſe exeedunt. agens quod poteſt vnum, & ex illis illud, quod ſi dici debeat eſſe exceſſus tenet ſe ex parte ipſius poteſt & aliud; atqui ſpatiũ quadripalmare ſecũdùm omnem dimenſionem æquiualet ſpatio infinitæ longitudinis, & potiùs eſt quid maius: ergo quod poteſt occupare ſpatium quadripalmare ſecundùm omnem dimenſionem, poteſt etiam occupare ſpatium infinitæ longitudinis.

Solutio: ***Ex duobus, quæ non ſe excedunt, agens quod poteſt vnum poteſt etiam & aliud intra eumdem modum agendi, & diffundendi ſuam vim & virtutem,*** Concedo. ***ſi ſit diuerſus modus agendi, & diffundendi ſuam vim, & virtu-***

tem, Nego. *& concessa minori: ergo quod potest occupare spatium quadripalmare secundùm omnem dimensionem, potest etiam occupare spatium infinitæ longitudinis, & in hac vltima occupatione spatij est idem modus agendi, & diffundendi suam vim, & virtutem*, Nego. *& est diuersus modus agendi & diffundendi suam vim, & virtutem*, Concedo. *Diuersitas illius diffusionis virtutis in hoc consistit quòd vna sit ad omnem dimensionem, & alia ad vnam tantùm additis isti, quæ detrahuntur ex alijs, quod habemus experientia non posse agentia naturalia etiam necessaria. Neque enim ignis impeditus agere quantum potest in latum & profundum per oppositionem alterius corporis tantùm auget longitudinem suæ sphæræ, quantum aufertur ei per illum obicem de eiusdem illius suæ sphæræ latitudine, & profunditate. Cuius rei ea assignari potest causa, quòd creata agentia sint limitata non solùm quoad suos effectus certos, & determinatos, sed etiam quoad modum illos producendi, qui est in casu nostro habere sphæram suæ actiuitatis ex omni parte limitatam, & secundùm omnem dimensionem finitam, quo fit vt Angelus addere non possit diffusionis suæ substantiæ in longum partes, quæ possunt detrahi ipsi per æquiualentiam in latum, & profundum, & spatium quod occupat maneat semper finitum secundùm omnem dimensionem.*

CONCLVSIO QVARTA:

Angelus poteſt mutare vbi adæquatum, in aliud adæquatum continuum.

ANGELVS acquirere poteſt ſimultaneè ſuum vbi: ergo mutare poteſt vbi adæquatum in aliud adæquatum continuum.

Antecedens pr. Partes vbi Angelici nullam habent inter ſe repugnantiam in ſimultanea exiſtentia: ergo Angelus acquirere poteſt ſimultaneè ſuum vbi.

Minor pr. Partes illius vbi non habent repugnantiam in ſimultanea exiſtentia, per quod res non ponitur in duobus locis, aut partes eius non penetrantur; atqui per vbi Angelicum Angelus non ponitur in pluribus locis, quàm eſſe poſſit, neque eius partes penetrantur: ergo partes vbi Angelici nullam habent inter ſe repugnantiam in ſimultanea exiſtentia.

CONCLVSIO QVINTA:

Angelus moueri poteſt motu continuo.

ILLVD moueri poteſt motu continuo, quod acquirere poteſt alia, & alia vbi ſine interruptione; atqui Angelus acquirere poteſt alia, & alia vbi ſine interruptione: ergo moueri poteſt modo continuo.

Minor pr. Vt Angelus acquirere non poſſit

alia, & alia vbi ſine interruptione, debet cùm produxit vnum quieſcere aliquantulum, antequam producat aliud; atqui Angelus quieſcere non debet, cùm produxit vnum, antequam producat aliud: ergo Angelus acquirere poteſt alia & alia vbi ſine interruptione.

Minor pr. Non poteſt afferri alia ratio, quare debeat quieſcere, quàm quia non poteſt producere nouum vbi; atqui producere poteſt nouum vbi: ergo non debet quieſcere cùm produxit vnum antequam producat aliud.

Minor probatur. Tam poteſt producere nouum vbi, quàm conſeruare productum; atqui conſeruare poteſt productum: ergo & producere nouum.

Maior pr. Non plus requiritur virtutis ad producendum nouum, quàm ad conſeruandum productum: ergo tam poteſt producere nouum, quàm conſeruare productum.

Antecedens pr. Quando duo ſunt æqualis perfectionis, & ſpeciei non plus requiritur virtutis ad producendum vnum, quàm ad producendum aliud; atqui vbi nouum, & iam productum ſunt æqualis perfectionis: ergo non plus requiritur virtutis ad producendum nouum, quàm ad conſeruandum productum.

CONCLVSIO SEXTA:

Angelus moueri potest motu discreto.

ILLVD moueri potest motu discreto, quod postquam produxit nouum vbi quiescere potest, & deinde producere aliud; atqui Angelus postquam produxit vnum vbi quiescere potest, & deinde aliud producere: ergo Angelus moueri potest motu discreto.

Minor pr. Vt Angelus quiescere possit postquam produxit vnum vbi, antequam aliud producat, sufficit, vt cesset à productione noui; sed cessare potest à productione noui: ergo postquam produxit vnum vbi quiescere potest, & deinde aliud producere.

Minor pr. Liberè producit nouum: ergo cessare potest à productione noui.

CONCLVSIO SEPTIMA:

Angelus transire non potest ab spatio in spatium dissitum non transeundo per medium.

VT Angelus transeat ab spatio in spatium non transeundo per medium, requiritur, vt transferat suam substantiam ab vno loco dissito, in alium: non transferendo illam per intermedium; atqui Angelus non potest hoc agere: ergo transire non potest ab spatio in spatium dissitum non transeundo per medium.

Minor pr. Difficilius est vt Angelus transferat

ſuam ſubſtantiam ab vno loco in alium, non transferendo illam per intermedium, quàm ſuam actionem; atqui non poteſt transferre ſuam actionem ab vno loco in alium, non transferendo illam per medium: ergo Angelus trãsferre non poteſt ſuam ſubſtantiam ab vno loco in alium non transferendo illam per intermedium.

Minor pr. Quod transfert ſuam actionem ab vno loco in alium, non transferendo illam per medium, agit in diſtans; atqui Angelus non agit in diſtans: ergo non poteſt transfere ſuam actionem ab vno loco in alium non transferendo illam per medium.

Minor pr. Agentia creata non agunt in diſtans; atqui Angelus eſt agens creatum: ergo Angelus non agit in diſtans.

Obijcies. Terra eſt ſpatium diſſitum à cælo; atqui Angelus poteſt tranſire de cœlo ad terram non tranſeundo per medium: ergo Angelus tranſire poteſt ab ſpatio in ſpatium non tranſeundo per medium.

Minor pr Spatium intermedium inter cœlum & terram eſt aër; atqui poteſt tranſire de cœlo ad terram non tranſeundo per aërem: ergo tranſire poteſt de cœlo ad terram non tranſeundo per medium.

Minor pr. Illud tranſit de cœlo ad terram, non tranſeundo per aërem, quod non habens tam vaſtam præſentiam, ac eſt diſtantia cœli à terra immediatè poſt vbi, per quod fit præſens cœlo, aliud producit, per quod fit præſens terræ; atqui Angelus non habens tam vaſtam præſen-

tiam, ac eſt diſtantia cœli à terra, immediatè poſt vbi, per quod fit præſens cœlo, habere poteſt aliud, per quod fiat præſens terræ: ergo tranſire poteſt de cœlo ad terram non tranſeundo per aërem.

Minor pr. Vt Angelus immediatè poſt vbi, per quod fit præſens cœlo, habere poſſit aliud, per quod fiat præſens terræ, ſufficit, vt non ſe conſtituat præſentem vlli loco, ſiue careat omni vbi; atqui Angelus carere poteſt omni vbi: ergo immediatè poſt vbi, per quod fit præſens cœlo, habere poteſt aliud, per quod fiat præſens terræ.

Reſpondeo *negando minorem; quia res creata, quæ caret vbi eſt, & non eſt, eſt, quia ita ſupponitur, & non eſt, quia quod nullibi eſt, ſeu caret omni vbi, non eſt. Vt probabimus in Phyſica.*

CONCLVSIO OCTAVA:

Angelus mouere poteſt corpora, & alios ſpiritus.

ANGELVS mouet corpora energumenorum, & mouere poteſt alios Angelos: ergo mouere poteſt corpora, & alios ſpiritus.

Prima pars minoris patet experientia, & ſecunda probatur

Angeli ſunt alij alijs perfectiores; atqui perfectiores mouere poſſunt imperfectiores: ergo Angelus mouere poteſt alios Angelos.

Minor pr. Vt perfectior mouere non poſſit im-

perfectiórem, debet esse maior resistentia imperfectioris, quàm actiuitas perfectioris; atqui resistentia imperfectioris est minor, quàm actiuitas perfectioris: ergo perfectiores mouere possunt imperfectiores.

Minor pr. Resistentia imperfectioris est proportionata ipsius perfectioni; atqui perfectio ipsius est minor: ergo resistentia imperfectioris est minor, quàm actiuitas perfectioris.

NONA CONCLVSIO:

Angeli non fuere producti ante mundum.

DEVS produxit Angelos simul cum mundo: ergo Angeli non fuere producti ante mundum.

Antecedens pr. Concilium Lateranense sub Innocentio tertio cap. Firmiter definit ab initio temporis Deum condidisse simul vtramque creaturam spiritualem, & corpoream, Angelicam, & mundanam, & deinde humanam &c. ergo Deus produxit Angelos simul cum mũdo.

Respondent: *Concilium Lateranense definit ab initio simul conditam esse creaturam Angelicam & mundanam simultate principij & causa, seu, habuisse idem principium, & causam, Deum scilicet*, Concedo. *simultate durationis*, Nego.

Contrà. Existentia, & duratio Angelorum non præcessit existentiam, & durationem cœli, & terræ: ergo Angeli producti sunt simul cum mundo simultate durationis, & non tantùm principij, & causæ.

Antecedens pr. Existentia, & duratio Angelorum non præcessit, quod creatum est in prin-

cipio, & ante alia omnia; atqui Genes. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*: ergo existentia & duratio Angelorum non præcessit existentiam, & durationem cœli, & terræ.

Respondent: *Existentia, & duratio Angelorum non præcessit quod creatum est in principio, hoc est fuit principium, & primum operum Dei materialium, & immaterialium*, Concedo. *materialium tantùm*, Nego. *atqui in principio creavit Deus cœlum & terram, hoc est cœlum & terra fuere prima operum Dei materialium*, Concedo. *immaterialium*, Nego.

Contrà, Opera primæ diei ex illis sex, quibus productus est mundus, fuere prima operum Dei materialium & immaterialium; atqui cœlum & terra fuere opera primæ diei ex illis sex, quibus productus est mundus: ergo cœlum & terra fuere prima operum Dei materialium & immaterialium.

Maior pr. Sex illis diebus producta sunt omnia opera Dei materialia, & immaterialia: ergo opera primæ diei ex illis sex, quibus productus est mundus fuere prima operum Dei materialium, & immaterialium.

Antecedens pr. Exod. 20. Deus dicitur *fecisse omnia sex diebus, cœlum, terram, mare, & omnia, quæ in eis continentur*; atqui cœlum, terra &c. mare, & omnia, quæ in eis continentur complectuntur omnia opera Dei materialia & immaterialia: ergo sex illis diebus producta sunt omnia opera Dei materialia & immaterialia.

Obijcies. Angeli fuere producti ante tempus ergo & ante mundum conditum.

Antecedens pr. Angeli dici debent fuisse producti, cùm promissa est illis vita æterna; atqui vita æterna promissa est Angelis ante tempus: ergo Angeli fuere producti ante tempus.

Minor pr. Epistola ad Titum cap. 1. vers. 1. & 2. vita æterna promissa est ante tempora sæcularia; atqui illi, quibus facta fuit illa promissio sunt Angeli: ergo vita æterna promissa est Angelis ante tempus.

Minor pr. Promissio illa facta fuit creaturis intellectualibus existentibus homini, scilicet, aut Angelo; atqui homo non existebat: ergo promissio illa facta fuit Angelis.

Maior pr. Promissiones fiunt tantùm creaturis intellectualibus existentibus, & quæ possunt illas acceptare: ergo promissio illa facta est creaturis intellectualibus existentibus, homini: scilicet, vel Angelo.

Solutio antepenultimi argumenti. *Epist. ad Titum cap. 1. vers. 1. & 2. vita æterna promissa est ante tempora sæcularia, hoc est, multis sæculis ante aduentum Christi*, Concedo. *hoc est priùs quàm fuerit productum tempus, & mundus*, Nego. *& permissa minori: ergo vita æterna promissa fuit Angelis, & hominibus ante omne tempus*, Nego. *multis sæculis ante illud, in quo extitit Christus qui vtrisque meruit illam promissionem*, Concedo.

Contrà. Promissa est Angelis vita æterna cùm sunt primò creati; atqui initium creationis ipsorum est ante omne tempus planè: ergo vi-

ta æterna promissa est Angelis ante omne tẽpus.

Minor pr. Initium creationis Angelorum fuit, cùm fuere eleuati ad finem, & beatitudinem supernaturalem; atqui eleuati fuere ad beatitudinem supernaturalem ante omne tẽpus: ergo initium creationis ipsorum est ante omne tempus.

Minor pr. Angeli sunt illa sapientia, de qua Ecclesiastici capite primo dicitur: *Prior omnium creata est sapientia*; atqui illa habuit suam eleuationem supernaturalẽ ante omne tempus: ergo & Angeli.

Maior pr. Illa sapientia est Verbum diuinum, aut Angeli; atqui non est Verbum diuinum: ergo est Angelus.

Minor pr. Sapientia illa dicitur creata; atqui Verbum diuinum non est creatum: ergo sapientia illa, non est Verbum diuinum.

Solutio: *Sapientia illa dicitur creata, hoc est producta*, Concedo. *hoc est causata ex nihilo*, Nego. *atqui Verbum diuinum non est creatum, hoc est productum*, Nego. *producitur enim à Patre æterno, non est creatum, hoc est causatum ex nihilo*, Concedo.

Contrà. Ratio, quarè vox creata detorqueatur ad impropriam significationem allatam, est ne admittatur Angelos esse prima opera Dei; atqui non possunt negari esse prima opera Dei: ergo vox creata capitis primi Ecclesiastici, significat causatum ex nihilo.

Minor pr. Principium viarum Domini est primum operum Dei; atqui Iob cap. 41. Lucifer dicitur sub nomine Behemot, vt interpretantur SS.PP. principium viarũ Domini: ergo non po-

test negari esse primum operum Dei.

Solutio: *Initium, & principium viarum Domini est primum operum Dei dignitate, & prælatione, vt sentiunt Beda q. 9. & Isidorus l. 1. de summo bono,* Concedo. *temporis quantitate,* Nego. *& permissa minori, quam ij omnes negant, qui per Behemot intelligunt elephantem: ergo est primum operum Dei dignitate, & prælatione,* Concedo. *prioritate temporis,* Nego.

Contrà. Quod est primum operum Dei dignitate, & prælatione debet etiam esse primum prioritate temporis; atqui ex concessis Angeli sunt primum operum Dei dignitate, & prælatione: ergo & prioritate temporis.

Maior pr. Productio operum Dei debet inchoari ab iis, quorum existentia magis commendat potentiam ipsius, & potest habere gratias ipsius beneficentiæ; atqui existentia operum Dei priorum dignitate, magis commendat potentiam ipsius, & habere potest gratias ipsius beneficentiæ: ergo quod est primum operum Dei dignitate, debet etiam esse primum prioritate temporis.

Solutio: *Productio operum Dei debet inchoari ab iis, quorum existentia magis commendat ipsius potentiam, & potest habere gratias eiusdem beneficentiæ, si propter alias rationes contrarium operari nolit,* Concedo. *si placeat ipsi magis contrarium,* Nego. *ergo quod est primum operum Dei dignitate, debet etiam esse primum prioritate temporis, si ita ipsi placeat,* Concedo. *si non placeat,* Nego.

Contrà. Non est credibile, non placuisse Deo

exercere suam liberalitatem ad extra nisi à sex illis mille annis aut circiter, à quibus cœlum, & terra dicuntur producta : ergo primum operum Dei dignitate, debet etiam esse primum prioritate temporis.

Respondendum est, *antecedens esse falsum, cùm enim productio illa sit plenè libera Deo, potuit illi placere illam tunc tantùm ponere, & non priùs, & de facto ita illi placuisse habemus ex iis, quæ suprà attulimus in probationem conclusionis.*

DISPVTATIO IV. ET VLTIMA.

De Accidente.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit.

QVID sit accidens facile est intelligere ex ijs quæ diximus disp. 1. sect. 5. conc. 2. diuidendo ens, & disp. 2. sect. 1. conc. 1. definiendo substantiam. Cùm enim illud diuidatur adæquatè in accidens, & substantiam, & hæc sit prima res, aut constitutiuum primæ rei, clarum est istud debere esse id, quod non est prima res, neque constitutiuum primæ rei.

VNICA CONCLVSIO:

Accidentis diuisio in perfectum, & modale est adæquata.

ACCIDENS perfectum, & modale continent quidquid accidens, seu id omne, quod nec est prima res, nec constitutiuum primæ rei: ergo huius in illa diuisio est adæquata.

Antecedens pr. Quod non est prima res, nec constitutiuum primæ rei debet esse posse necessariò diuinitus sine suo subiecto, vel non posse esse: sed perfectum continet primum, & modale secundum: ergo & quidquid quod non est prima res, nec constitutiuum primæ rei.

Minor pr. Perfectum est illud, quod potest esse saltem diuinitus sine suo subiecto, & modale quod non potest esse sine suo subiecto: ergo perfectum continet primum, & modale secundum.

SECTIO II.

De Habitu.

NOVEM vulgò numerantur accidentium genera, & prædicamenta. De vnico habitu hîc nobis est agendum: alijs, in Logica explicatis, aut explicandis in Physica.

VNICA CONCLVSIO:

Habitus non est quid realiter superadditum vesti, & vestito.

ILLVD non est quid realiter superadditum vesti, & vestito, quod non est quid distinctum realiter à veste, & vestito; atqui habitus non est quid distinctum à veste, & à vestito: ergo non est quid realiter superadditum vesti, & vestito.

Minor pr. Nullum est fundamentum dicendi, habitum esse quid distinctum realiter à veste,& vestito: ergo non est quid distinctum à veste,& vestito.

Antecedens pr. Non est fundamentum dicendi habitum distingui ab iis,quibus positis,secluso quocunque alio per possibile ,vel impossibile, intelligitur ipse esse; atqui posita veste, & re, quæ dicitur vestita, secluso quocumque alio intelligitur res vestita: ergo nullum est fundamentum dicendi, habitum esse quid distinctum realiter à veste, & vestito.

Minor pr Res vestita nihil est aliud, quàm ipsa entitas vestis, & huius illi coaptatio;sed posita re,entitate vestis, & vtriusque coaptatione, secluso quocumque alio,intelligitur res vestita: ergo posita veste, & re, quæ dicitur vestita,secluso quocunque alio, res intelligitur vestita.

Obijcies Habitus distinguitur realiter à veste & vestito: ergo est quid realiter superadditum vesti & vestito.

Minor pr. Accidens distinguitur realiter à

ſubſtantia; atqui habitus eſt accidens, & veſtis, & veſtitus ſunt ſubſtantiæ: ergo habitus diſtinguitur realiter à veſte, & veſtito.

Solutio: *Accidens phyſicum diſtinguitur realiter à ſubſtantia*, Concedo. *accidens prædicamentale*, Nego. *atqui habitus eſt accidens prædicamentale*, Concedo. *phyſicum*, Nego.

Contrà Quod eſt accidens, & diſtinguitur realiter à veſte, & veſtito, eſt accidens ipſorum phyſicum; ſed habitus eſt accidens ex conceſſis, & diſtinguitur realiter à veſte, & veſtito: ergo habitus eſt accidens ipſorum phyſicum.

Secunda pars minoris probatur.

Quod eſt quid medium inter veſtem, & veſtitum diſtinguitur realiter ab illis; ſed habitus ex Ariſtotele, eſt quid medium inter veſtem, & veſtitum: ergo diſtinguitur realiter à veſte, & veſtito.

Solutio: *Sed habitus ex Ariſtotele, eſt quid medium inter veſtem, & veſtitum applicata*, Nego. *Inter veſtem, & veſtitum non applicata*, Concedo. *applicatio enim, & circumpoſitio illius iſti, ſiue vtriuſque vbi certo modo immediatum alterum alteri non minùs diſtinguuntur à veſte, & veſtito, quàm ab aliis entibus non exiſtentibus vbique, & non affixis certo loco, & ſpatio. Nos autem quando aſſerimus habitum non diſtingui realiter à veſte, & veſtito, intelligimus hoc de ipſis ſumptis ſimul cum ſuo vbi, non autem ſeparatis ab illo.*

Ex dictis inferes primò, tot eſſe diuerſas ſpecies habitus, quot ſunt diuerſæ veſtes ſæculares, eccleſiaſticæ, militares, &c.

Secundò, prædicata ſuperiora, & inferiora in hoc prædicamento eſſe habitum primo loco, ſecundo habitum militarem v. g. tertio habitum militarem equeſtrem, quarto habitum militarem equitis leuis armaturæ, quinto habitum equeſtrem leuis armaturæ huius equitis.

FINIS.



INDEX RERUM,
quæ in hoc primo Tomo disputantur.

E

FINIS.

Priuilege du Vice-Legat d'Auignon.

GASPAR LASCARIS DE CASTELLAR, Protonotaire Apoſtolique, du nombre des Participans, Abbé de S. Pons, Referendaire de l'vne & l'autre Signature de Noſtre S. Pere le Pape, & vn de ſes Chambriers d'Honneur, Vice-Legat, & Gouuerneur General és Cité & Legation d'Auignõ: A tous ceux qui ces preſentes verront; Salut: Nous ayant eſté remonſtré par GASPAR METVRAS, Marchand Libraire de la Ville de Paris, qu'ayant imprimé ou fait imprimer, vn Liure intitulé, *Philoſophia per Argumenta breuiter explicata, Authore Patre* GVILLELMO CHABRONO *Societatis Ieſu*, Pour raiſon duquel Liure il auroit fait de grandes dépenſes, qui luy ſeroient inu-

tiles si ledit Liure venoit à estre reimprimé ou contrefait en cét Estat, ce qui porteroit vn prejudice notable audit GASPAR METVRAS. A cette cause, inclinans à la tres-hũble Requeste par Nous presentée pour la part dud. Meturas, par ces Presentes Nous faisons inhibitions & defenses à tous Marchands Libraires & Imprimeurs, & autres de cét Estat, d'imprimer ou faire imprimer, ou contrefaire ledit Liure cy-dessus specifié, pendant tout le méme temps que ledit Meturas a obtenu ou obtiendra de sa Majesté tres-Chrestienne pour le méme effet, sous peine de vingt-cinq Marcs d'Argent, applicables au Fisc de sa Sainteté, & de confiscation des imprimez & exemplaires contrefaits, & de tous despens dommages & interests contre les contreuenans. Voulans & ordonnans que l'Extraict des presentes mis au commencement & à la fin desdits Liures aye force d'inthimation & signification personnelles. Donné en Auignon au Palais Apostolique ce quatorziesme May mil six cens soixante, & du Pontificat de Nostre Sainct Pere le Pape Alexandre septiesme l'an sixiesme.

G. LASCARIS.

A. CODRETI, Secretaire.